Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiaedogmat0000fran

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

TRACTATUS TRES,

DE REVELATIONE, DE ECCLESIA, ET DE VERBO DEI,

QUOS CONCINNAVIT

REVMUS DNUS FRANCISCUS PATRICIUS KENRICK,

Epus Arath. in Part. Infid. et Coadj. Ep. Philadelphiensis.

"Scito nobis nihil esse antiquius, quam Christi jura servare, nec patrum transire terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cujus se esse participem *Alexandrina* Ecclesia gloriatur." S. Hieronym. ep. ad Theophil. Alexandr.

FATHERS LIBRARY, ALMA COLLEGE, ST. JOSEPH'S CHURCH, LIBRARY, SANTA CLARA, California, CAL.

ALMA COLLEGE 208.9 LIBRARY K 34 6 Alma, California

PHILADELPHIÆ:

TYPIS L. JOHNSON, IN GEORGII VICO.

AN. MDCCCXXXIX.

8765

Entered according to the Act of Congress, in the year 1839, by
FRANCIS PATRICK KENRICK,
in the Clerk's Office of the District Court of the Eastern District of Pennsylvania.

CLERO AMERICANO

VINDICIAS HAS FIDEI

CUJUS INTEGRITATI STUDENT, DIFFUSIONI INCUMBUNT,

IN OBSEQUII TESTIMONIUM

AUCTOR

D. D. D.

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

atque ratio exposcit H/ et ea absoluta exhibeat deo
majestati adoratio, sanctitati amorem, justitiae laudes, et d[illegible]
timorem, ergo externa, quia homo sic constitutus [illegible]
non possit abstinere eas quas interna excepit
[illegible]

PRÆFATIO.

Quæ me dementia ceperit ut velim in eruditissimo hoc sæculo opus Theologicum in lucem edere, inter Missionis et Episcopatus curas, mirabuntur plurimi. Nec tamen id consilii mihi tantum occurrit: viro quippe litterarum laude ornato, Ambrosio Marechal, dum Theologiæ professoris munere in Seminario S. Mariæ Baltimorensi fungeretur, opportunum et fere necessarium visum est opus hujusmodi edere, nostris usibus accommodatum: quod tamen ad Archiepiscopatum evectus absolvere non potuit. Alios etiam novi qui queruntur inter præstantissimos tractatus qui in Europa sunt editi, vix reperiri certum aliquem auctorem qui controversias apud nos agitatas omnes complectatur, vel rerum conditionem in qua versamur contempletur. Qui operis invidiam periculumque in se suscipere vellet non inveni, ideoque quæ in mei utilitatem prius exscripseram, plurimis additionibus aucta, amicorum eruditione præstantium eum in finem usus opera, publici juris facienda duxi: præsulis doctrina et pietate insignis judicio confirmatus. Optassem quidem otio frui, et librorum supellectili majori cum eruditorum virorum consiliis, ut opus perficerem; sed verebar ne id mihi unquam concederetur, jam vinculo Episcopatus ligato: ideoque moras posui, ut qua possem ratione studiosorum Theologiæ consulerem utilitati, cum quocumque famæ discrimine vel dispendio. Decreveram prius horum tantummodo usui accommodare opus, et brevissime, quoad fieri liceret, dogmata probare, et quæ alias scitu sunt necessaria exponere: sed fusius deinceps egi ne fidei hostibus ea prodidisse, potius quam vindicasse, viderer, nam, ut recte animadvertit præclarus doctor Augustinus, "facile

est ut dicatur quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit: sed quemadmodum adversus eorum qui diversa sentiunt calumnias defendatur, operiosioris uberiorisque doctrinæ est."* De sententiis quæ libere inter Catholicos agitantur, præsertim de iis quæ periculum aliquando habuerunt perniciosæ dissensionis, siluissem libenter, nisi incepti ratio aliud suaderet: sed eas plerumque leviter attigi, de fidei summa præsertim solicitus. Cæterum

Hanc veniam petimus, damusque vicissim,

ut quæ solemni Ecclesiæ judicio definita non sunt, veritatis et unitatis studio libere tractentur, nec quis alteri sua placita sequendi imponat necessitatem, vel os obstruat. Quod si quæ mihi arriserint sententiæ in invidiam trahantur, totam in me suscipio, Ecclesiæ enim et Catholicis omnibus tantum sua dogmata tribuenda, mihi quidquid ultra progressus vindicaverim. Criticorum igitur fideique adversantium stylum in me velim acuendum

Me, me, (adsum qui feci) in me convertite ferrum.

De erroribus qui grassantur, et de sectarum auctoribus necesse fuit loqui, id enim ipsa operis ratio postulabat, sed eorum scripta, fideique confessiones consului et exscripsi, vix unquam aliorum dictis innixus. Cæterum si quid minus accuratum mihi invito exciderit, errati monitus libentissime illud corrigam. Patrum quæ citavi testimonia pleraque ex ipsis operibus desumpsi, sicut etiam conciliorum canones, et alia documenta sæpissime adii, ut de authentia foret nullus dubitandi locus. Paucos quosdam auctores laudavi, quorum opera penes me non erant, sed a scriptoribus insignibus eorum testimonia mutuatus sum. Ex iis qui opinionum temeritate notam habent plura desumpsi, quæ scilicet

* Enchiridion c. vi.

in Religionis rem alias optime protulerunt: quod notatum velim ne quis me putet eorum placita plerumque sectari. Ipsos fidei adversarios sæpius testes adduxi, quamvis non ignorarem Patres Ecclesiæ, interpretes Catholicos, vel alios scriptores, posse in eundem finem allegari, sed placuit quæ et illi bene scripserunt in Religionis vindicias laudare, licet a nobis discidio funesto heu! divulsi. Utinam qua pollent plurimi ex illis eruditionis copia, et judicii acumine totam illam doctrinam quam Apostoli cum suo sanguine Ecclesiæ profuderunt, et ipsi tueri vellent.

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

INDEX.

TRACT. I.—DE REVELATIONE DIVINA.

C. I. De veritatibus revelatis quibus ratio suffragatur. . . 1
C. II. De mysteriorum revelatione. 5
Prop. 1. Deus revelare potest mysteria, eorumque injungere fidem. 5
Prop. 2. Revelatio quam prædicat Christi Catholica Ecclesia a Deo est facta. 8
C. III. De miraculis. 13
Prop. 1. Miracula certo nosci possunt. 14
Prop. 2. Miracula certo cognita sunt certissima veritatis ad quam probandam eduntur argumenta. 16
C. IV. De prophetiis. 18
Prop. 1. Dari possunt vaticinia. 19
Prop. 2. Vaticinia certum præbent veritatis argumentum. 20
C. V. De historica Pentateuchi auctoritate. 22
Prop. 1. Pentateuchus Moysen habet auctorem. . . 24
Prop. 2. Pentateuchus Mosaicus quoad substantiam integer omnino est. 30
Prop. 3. Quæ ex propria scientia refert Moses maxima gaudent historica certitudine. 32
Prop. 4. Plurima quæ refert Moses, naturæ ordini utpote contraria, divinam virtutem necessario exigebant. . 34
Prop. 5. Vaticinia quæ Pentateucho continentur Mosem Dei legatum probant, et revelationem cujus præco fuit divinam. 37
Prop. 6. Omnia quæ retulit in Pentateucho Moyses, etiam quorum testis oculatus non fuit, plena fide sunt excipienda. 38
C. VI. De dogmatibus et legibus Pentateucho contentis. . . 43
Prop. 1. Quæ Pentateucho continentur de Deo et de hominis natura dogmata divinam produnt originem. . 44
Prop. 2. Morum regulæ a Moyse traditæ sua sanctitate divinam produnt originem. 48
Prop. 3. Leges cæremoniales quæ Pentateucho continentur, ob sapientissimos fines institutæ sunt, et divinam produnt originem. 50
Prop. 4. Leges judiciales Mosaicæ politiam statuebant genti Judaicæ maxime accommodatam, manifesta Dei auctoritate et providentia. 54
C. VII. De libris Prophetarum. 56
Prop. 1. Libri Prophetarum sunt genuini. 57
Prop. 2. Vaticinia quæ libris Prophetarum continentur probant divinam esse Religionem Judaicam. . . 59

C. VIII. De librorum cæterorum Vet. Test. auctoritate historica. . 62
Prop. 1. Libri omnes Veteris Testamenti sunt authentici, integri, et veraces. 63
C. IX. De Messia. 65
Prop. 1. Tempus adventus Messiæ a prophetis designatum jamdiu effluxit: impletum est scilicet Jesu Nazareno in terris existente. 66
Prop. 2. Prophetiæ quæ Messiæ ortum, nativitatem, vitam, mortem, et post mortem exaltationem respiciunt, in Jesu Nazareno sunt impletæ. 72
C. X. De Fide historica librorum Novi Testamenti. . . 75
Prop. 1. Evangelia, Acta Apostolorum, cæterique libri Novi Testamenti ab authoribus quibus tribuuntur conscripti sunt. 75
Prop. 2. Libri Novi Testament integri sunt. . . . 77
Prop. 3. Evangelia, Actus Apostolorum, cæterique libri Novi Testamento summam humanam et historicam merentur fidem. 79
C. XI. De miraculis Christi et Apostolorum. 84
Prop. Miracula a Christo et Apostolis patrata revelationem ab ipso factam divinam probant. 84
C. XII. De resurrectione Christi. 87
Prop. Christus revera a mortuis tertia die resurrexit. . 87
C. XIII. De vaticiniis Christi. 91
Prop. Vaticinia a Christo prolata manifestò sunt divina. . 91
C. XIV. De Intrinseca evidentia Christianæ revelationis. . . 94
Prop. Christianæ doctrinæ excellentia et sanctitas divinam ejus originem ostendit. 94
C. XV. De Jesu vita et moribus. 99
Prop. Mores integerrimi virtutesque quibus effulsit Jesus, divinam doctrinæ quam tradidit probant originem. . . 99
C. XVI. De propagatione Ecclesiæ Christianæ. 103
Prop. Ecclesiæ Christi propagatio velox per orbem divinam ejus originem probat. 103
C. XVII. De Martyribus. 107
Prop. Divina Christi revelationis origo probatur ex Martyrum multitudine. 107
C. XVIII. De Ecclesiæ conservatione. 113
Prop. Catholicæ Religionis conservatio certum est divinæ Christi missionis argumentum. 113

TRACTATUS II.—DE ECCLESIA.

Prænotanda. 116
Tabula. 116
Subsidia ad dignoscendam Ecclesiam. 118
Circulus vitiosus. 119
C. I. De Ecclesia Visibili. 120
Prop. Ecclesia, de qua in Christi promissionibus agitur, est visibilis; scilicet cœtus fidem profitentium sub rectoribus suam a Christo auctoritatem derivantibus. . . 122
C. II. De perpetuitate Ecclesiæ Visibilis. 127

Prop. Ecclesia visibilis numquam a Christi tempore defecit, numquam defectura est. 128
C. III. De Ecclesiæ Unitate. 131
Prop. Ecclesiæ unitas omnem dogmatum varietatem excludit. 132
C. IV. De Regiminis Unitate. 140
Prop. Ecclesia Christi unitatem regiminis necessariò postulat, ita ut singulæ Ecclesiæ locales communi quodam regimine debeant inter se connecti. 142
C. V. De Unitatis Centro. 148
Prop. B. Petrus a Christo Domino unitatis centrum constitutus est: supremam scilicet in terris accepit regendi Ecclesiam potestatem, seu primatum jurisdictionis; quo unitati fidei et regiminis consuleretur. 148
C. VI. De Sede Romana. 160
Prop. Episcopus Romanus tamquam Petri successor jure divino habet primatum jurisdictionis, estque centrum unitatis. 161
Corollaria. 175
C. VII. Quæ Ecclesia sit una. 178
Prop. In Ecclesia per orbem diffusa, quæ caput et centrum agnoscit Episcopum Romanum, est fidei et regiminis unitas. 178
C. VIII. De Unitatis defectu. 181
Prop. Principium quo fidei unitas servari possit omnino deest Protestantium sectis. 182
C. IX. De Ecclesiæ Sanctitate. 187
Prop. 1. Ecclesia Christi Sancta est, ratione Fundatoris sui, eorumque quorum usus est opera præcipua in ea propaganda; doctrina etiam et sacramentis, necnon et sanctorum progenie. 187
Prop. 2. Ecclesia cujus centrum est Sedes Romana sancta est ea omni ratione qua Christi Ecclesia Sancta prædicatur. 188
Prop. 3. Sanctitas doctrinæ Catholicæ et plurimorum Ecclesiæ filiorum omni sæculo divinis prodigiis probata est. 198
C. X. De Sanctitatis defectu. 202
Prop. 1. Doctrina a Protestanticis sectis propugnata Sanctitati non favet. 202
Prop. 2. Nec auctorum eximia virtute, nec subsidiis quibus usi sunt, nec virtutum fructibus, sectarum Protestanticarum origo, tamquam Dei opus, commendata est. . . . 206
C. XI. De Ecclesiæ Catholicitate. 210
Prop. 1. Ea præsertim ratione vera Christi Ecclesia Catholica est, quod in fidei dogmatibus omnibus concors per orbem diffundatur. 211
Prop. 2. Ecclesia Romana, scilicet Episcopo Romano communione conjuncta, est Catholica. 216
C. XII. De Apostolicitate Ecclesiæ. 219
Prop. 1. Vera Christi Ecclesia necessario debet suam originem ab Apostolis derivare, serie numquam interrupta pastorum. 219
Prop. 2. Apostolica censenda est doctrina quæ in Ecclesiis in quibus servatur successio Apostolici ministerii, quolibet sæculo, publice et solemniter proponitur credenda. 224

Prop. 3. Ecclesia Catholica, scilicet Ecclesia ubique terrarum Romanæ Sedi communione conjuncta, est Apostolica. 228
Prop. 4. Apostolica successio deest Protestanticis omnibus sectis. 232
C. XIII. De Ecclesiæ Infallibilitate. 235
Prop. 1. Ecclesia per orbem, catholica scilicet et Apostolica Christi Ecclesia, in Petro a Christo fundata, in nullum errorem contra doctrinam divinitus revelatam ullatenus potest incidere. 236
C. XIV. De Notis Ecclesiæ. 242
C. XV. De Ecclesiæ Præsulibus. 246
Prop. 1. Episcopi ad regendam Ecclesiam divino jure constituti sunt. 247
C. XVI. De Regimine Ecclesiæ. 258
Prop. 1. Laici quicumque, etiam Supremi principes, nullum prorsus habent in Ecclesia gubernanda jus, aut potestatem. 259
C. XVII. De modo docendi. 262
Prop. 1. Prædicatione Apostolici ministerii, publica scilicet et concordi præsulum Ecclesiæ doctrina, Christus omnes per omnia sæcula de veritatibus revelatis edoceri voluit. 263
C. XVIII. De tribunali doctrinæ. 267
Prop. 1. Corpus Episcoporum cum capite in fidei solemni definitione errare nequit. 267
Prop. 2. Definitiones fidei in Conciliis Œcumenicis latæ, Episcopis plerisque qui adsunt cum Pontifice summo consentientibus, infallibiles omnino sunt. 272
C. XIX. De Conciliorum auctoritate. 285
Prop. 1. Soli Episcopi, nativo suo jure, seu potius divino, habent suffragium decisivum in Conciliis quibuscumque. 287
C. XX. De Disciplina Ecclesiæ. 296
Prop. Habent Ecclesiæ Præsules, servato ordine sui gradus, auctoritatem disciplinam moderandi, et variandi pro temporum locorumque varietate. 297
C. XXI. De judiciis Ecclesiasticis. 300
C. XXII. De potestate Ecclesiastica. 304
Prop. 1. Potestas Ecclesiæ præsulum in iis quæ ad salutem et animarum regimen pertinent est plena et suprema: nec pendet ullatenus a potestate civili. . . . 304
C. XXIII. De Salute in Ecclesia. 313
Prop. 1. Nullus hæresos reus, scilicet qui animo pertinaci rejicit aliquam veritatem revelatam satis sibi propositam a legitimis Verbi præconibus, potest in ea animi conditione salutem assequi. 315
Corollaria. 321
Prop. 2. Schismatici non possunt salutem assequi. . . 322

TRACTATUS III.—DE VERBO DEI.

C. I. De Verbo interiori. 325
Prop. Verbum interius, seu immediata Dei revelatio menti uniuscujusque, non potest fidei regula statui. . . 326
C. II. De Verbo scripto. 332

Prop. Scripturæ non possunt plenæ et perfectæ fidei regulæ habere rationem. 333
C. III. De Traditione. 341
Prop. Traditio, quatenus intelligitur doctrina Apostolici ministerii et fides universalis Ecclesiæ, per omnia retro sæcula, est plena ac adæquata fidei regula. 341
Prop. 2. Certissimis testimoniis constat totam Christi doctrinam non fuisse scripto consignatam a sacris N. T. scriptoribus, sed quædam doctrinæ capita, viva voce tantum, et Apostolici ministerii opera transmissa. . . . 349
C. IV. De Scripturarum inspiratione. 355
Prop. Utriusque Testamenti libri omnes ex Dei inspiratione scripti sunt. 358
C. V. De Canone Scripturarum. 370
Prop. 1. Judicium de canonica auctoritate alicujus libri ad Ecclesiam pertinet, per præsules proferendum. . . 372
Prop. 2. Libri omnes Utriusque Testamenti cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, pro sacris et canonicis sunt habendi. . . . 375
C. VI. De Scripturarum interpretatione. 404
Prop. Scripturarum interpretatio juxta fidei analogiam, ex Apostolici ministerii doctrina derivatam, necessario facienda est. 405
Regulæ interpretandi. 410
C. VII. De textus Scripturæ integritate. 416
C. VIII. De Versionibus antiquis. 418
C. IX. De Versione Latina Vulgata. 422
C. X. De Versionibus vernaculis. 426
C. XI. De Patrum auctoritate. 431
C. XII. De auctoritatis methodo. 437

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

ERRATA.

Page 12, linea 2, *gmadotis* lege *dogmatis.*

" 18, linea 12, *prFstantes* lege *præstantes.*

linea 9, ab imo *præ det* lege *prævidet.*

" 21, not. lin. 1, *absides* lege *obsides.*

" 40, versus imum *Z* ter pro *æ.*

Alias leviores mendas corriget benignus lector.

FATHERS LIBRARY
ST JOSEPH'S SEMINARY
SAN JOSE - CAL.

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

DE THEOLOGIA.

PROŒMIUM.

Theologia, juxta vim vocis *de Deo sermo*, est scientia de Deo rebusque divinis. Quum rationis ipsius lumine ad Deum, conditorem nostrum et rectorem, dirigamur, *naturalis Theologia* ea audit quæ de Deo et ejus operibus disserit, solo rationis subsidio. Ea quum Metaphysicorum sparta sit, quæ Dei ipsius revelatione hominibus facta innititur nobis est tractanda. Scientia igitur de Deo rebusque divinis, prout ex divina revelatione innotescunt, *Theologia* proprie dicitur, seu si placeat, *supernaturalis Theologia* est. Apud homines revelationem edoctos viguit semper Theologia, fide scilicet norunt Deum, resque divinas; nec tamen plerique eam scientiæ instar coluerunt: vulgus enim hominum satis habuit ea addiscere quæ ipsorum intererat, paucis ad accuratiorem et profundiorem notitiam assurgentibus. Patriarchæ ipsi, primævi Dei cultores, rebus divinis non ita studuerunt, ut Theologiam coluisse dici possint: sed floruerunt apud Judæos *Prophetarum scholæ*, divinis laudibus concinendis addictæ, rerumque divinarum studio.* Theologi nomen Apostolo Joanni tributum est, quod de Christo Deo altius et clarius cæteris Evangelistis sit locutus; sed sensu longe inferiori eodem vocabulo ornantur qui rebus divinis student. Ipsa Apostolorum ætate nullum institutum est collegium scientiæ sacræ studiosorum; sed ab Apostolis cæteri, præsertim Episcopi, edocti, idoneos selegerunt et fideles homines, quibus eadem alios docendi munus demandarent.† Singuli igitur ad sacra munera evecti fidei didicerunt principia, et ritus quos peragerent, quin ad certam aliquam scientiæ formam disciplina Christiana reduceretur. Persecutoribus sævientibus, Justinus, Athenagoras, Tertullianus aliique calumnias Christifidelibus impactas refellerunt; et ut hominum commenta, quibus divina veritas offuscabatur, penitus delerent, plurimum laborarunt egregii rerum sacrarum tractatores post hæreses exortas. Summorum Theologorum nomen profecto merentur Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, aliique innumeri, quorum nonnulli humani aliquid passi sunt, plerique fidei dogmata egregie vindicarunt. Jam

* I Reg. x. 5. † II Tim. ii. 2.

ante Origenis tempora, Alexandriæ cathedra celebris fuit Pantæni et Clementis doctrina, qui Sacras Scripturas, fideique dogmata quamplurimis explicarunt auditoribus; quod munus docendi Origenes ipse magna cum laude implevit. Nomen autem "Theologi" S. Gregorius Nazianzenus, ob præclaras Christi Dei vindicias obtinuit. Nec tamen Theologia tamquam scientia res divinas universas methodo quadam dispositas complectens, ante sæculum octavum felici successu exculta noscitur; primus scilicet inter Græcos S. Joannes Damascenus eam quatuor libris *de fide orthodoxa* tractavit. Eum inter Latinos, sæculo undecimo exeunte, imitatus est S. Anselmus Cantuariensis, et paulo post Hildebertus Turonensis Archiepiscopus. Petrus Lombardus, Parisiensis deinceps Episcopus, medio sæculo duodecimo, sententias ex Scriptura et Patribus collectas ordine quodam disposuit ad quæstiones elucidandas, quapropter *Magister Sententiarum* est dictus, ejusque opus in scholis collegiisque sacris est adhibitum. Quæ scientiæ Theologicæ accessit claritas ex methodo Scholasticorum, (ita enim audiebant Theologi medii ævi,) studiosis multum contulit: sed purioris linguæ defectu viluit apud recentiores illa quæ per plura sæcula ubique obtinuit Theologia. Barbariem quidem redolent plurima quæ apud Scholasticos recepta sunt vocabula, stylusque ipse ab elegantia et facundia veterum scriptorum abhorret; sed qui opera S. Thomæ Aquinatis perlegerit, decimo tertio edita sæculo, mentis vires hac methodo veluti in palæstram eductas, veritatemque, nebulis erroris dissipatis, plane exhibitam facile percipiet. Ex quo Græcis Constantinopoli pulsis, et Latina litora petentibus, litterarum reflorescere cæperunt studia, Leone X. præsertim favente, minus gratus evasit Scholasticorum stylus, qui adhibitus contra decimi sexti Novatores eorum provocabat bilem, dum exponeret fallacias. Sensim sine sensu liberior scribendi ratio apud plerasque orbis Christiani obtinuit Academias, quamvis et Scholastica methodus insignes habuerit cultores et vindices.

Theologia plurima sortita est nomina pro rerum varietate et methodo eas tractandi. Ea quam aggredimur *dogmatica* vocatur, quod de fidei dogmatibus præcipue agat. *Polemica* etiam nuncupatur, quum in iis propugnandis adversus fidei hostes, qui bellum nobis inferunt, versetur: *Irenicæ* nomen nobis magis arridet, nam ad pacem conciliandam, dissidiorum sublatis causis, conatus hos nostros qualescumque dirigimus. *Ethica sacra*, seu *moralis Theologia* ea dicitur quæ de morum principiis, regulaque agendi, tractat, juxta fidei doctrinam. Eam etiam in animo est lectoribus nostris subjicere, si inceptis faveat Deus, vitam, otium, vires præbendo. De aliis vocabulis quibus scientia hæc sacra designatur non vacat disserere.

ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ.

TRACTATUS I.

DE REVELATIONE DIVINA.

C. I. DE VERITATIBUS REVELATIS QUIBUS RATIO SUFFRAGATUR.

Plerisque placuit tractatum quem aggredimur de Religione inscribere, et ab iis quæ ratio de Deo, ejusque cultu, et morum regula dictat sumere initium, gradum inde ad revelationem facturis. Nobis, etsi de vocibus parum simus soliciti, Revelationis titulus magis arridet, in animo quippe est ea tradere et propugnare quæ Deo ipso docente novimus, rationemque ducem haud sequi, sed ancillam exhibere. Alia quidem methodus, uti monet clarissimus Bergier, aptior videri potest, sed hæc simplicissima est ac tutissima, quam ipse magna cum laude adhibuit.[1] Eandem commendat vehementer scriptor egregius Muzzarelli.

Revelationis nomine intelligimus communicationem a Deo homini factam veritatum credendarum et officiorum implendorum. Eam primo homini factam, et deinceps per sæculorum seriem auctam, prout in Mosis et Vatum Judaicorum libris est consignata, agnoscunt summo consensu Christiani pariter ac Judæi. Christo adveniente amplius explicatam auctamque ejus cultores profitentur. Deum esse, omnium rerum conditorem ac arbitrum, utrique fatentur, ipsa revelatione innixi, cui etiam obediendum docent, servata lege morum, quem insuper spiritu et veritate colere oportet. Quum veritatibus his suffragetur ratio, ordinis diversi habentur ab iis quæ rationis vires longe superant, iisque adversari videntur, quæque idcirco *mysteria* audiunt.

Veritatem revelatam de Dei existentia juvat rationi consonam demonstrare, præcipuis breviter recensitis argumentis.

Deum esse, rerum scilicet omnium e nihilo conditorem, cujus arbitrio omnia gubernantur, ipsa dictat ratio, testaturque universa rerum compages. Naturæ veluti instinctu ad eum agnoscendum impellimur, adeo ut ipsi idolorum cultores in subitis animi motibus, oculos corque, non ad Jovem Capitolinum, sed ad cœlos evehentes, Deum immortalem appellare consueverint, uti animadvertit olim Tertullianus, exclamans hac occasione: "O testimonium animæ naturaliter Christianæ!"[2] Ipsa vis conscientiæ, qua virtus a vitio discernitur, voluptatem plerumque pœna animi sequente, nor-

(1) Traité de la vraie Religion. (2) Apolog. ad Gentes.

mam quandam a conditore nostro derivatam ostendit, et proinde Numen existere supremum, sanctitatis fontem et regulam.[1] In universa rerum compage, miro ordine disposita, et tanta cum firmitate per sæculorum seriem cohærente, sicut et in singulis quibusque rebus, etiam minutissimis, consilium quo omnia diriguntur, sapientiam et potentiam summam miretur quisque necesse est. Profecto ni Ens sapientissimum et potentissimum omnia condidisset et condita servaret, nihil existere, nihil in rerum universitate constare posset. Ubique nobis occurrunt potentiæ et sapientiæ divinæ argumenta, bonitatis etiam, ex qua tot nobis prodierunt beneficia, et misericordiæ, quæ delinquentes patitur impunitos : nec tamen desunt justitiæ indicia.[2]

Alia de Deo existente argumenta exponere, vel hæc fusius tractare supervacaneum ducimus ; eum enim vix ullus apud nos existere negat,[3] imo omnes gentes etiam incultæ et sylvestres magno cum consensu numen agnoverunt.[4] Apud ipsos idolorum cultores Dei summi notitia aliquatenus viguit, passim enim in veterum scriptis de eo fit sermo : ipseque idolorum cultus ex Numinis fide, ab ipsis mundi primordiis vigente, profluxit, hominibus in Sole, astris, cæterisque creaturis, numinis beneficentiam, posteaque ipsum numen agnoscentibus.[5] Cupiditates etiam humanæ sæpius effecerunt ut Dii quærerentur vitiorum veluti patroni : et egregia e contra nonnullorum facinora eos apud vulgum ad Deos evexerunt. Quod igitur homines numen agnoverint, ex naturæ instinctu, vel doctrina a condito orbe derivata, contigit ; cupiditatibus aliisque causis deorum magnam multitudinem invehentibus, triginta quippe millia a Romanis agnita dicuntur.

Deo deberi cultum, obsequium scilicet et adorationem, gratiarum actiones, aliaque humilis gratique animi testimonia, ratio ipsa suadet. Quum enim fons sit et origo nostrum, omniumque rerum, potentia, sapientia, aliisque perfectionibus præcellens, majestas ejus suprema colenda est ; agnoscendum est ejus in res universas dominium ; gratiæ pro collatis beneficiis agendæ, preces porrigendæ ut benigne nos respiciat. Infirmitas ipsa nostra ad divinum implorandum auxilium nos impellit, et in summo rerum arbitro spem monet ponendam. Corpore et spiritu hominem constare liquet, cæterorum scilicet animantium instar, membra habet, ab iis rationis privilegio discretus. Intellectu et voluntate quum præstet, iis præsertim colendus est Deus, nam et mens ad ejus contemplationem debet assurgere,

(1) Rom. II., 15, 16.

(2) Vide Bergier, t. I. ch. 4. Hooke Rel. nat. princ. t. I.

(3) Abner Kneeland, olim præco sectæ alicujus, Deum palam voce et scripto nuper Bostonii negavit, et reus damnatus levem subiit pœnam. Impietatem suam deinceps in ipsa qua scribo urbe publicis concionibus propagare studuit.

(4) Vide Bergier *Traité de la Religion*, 1. par. §. ix. l. 1, p. 30.

(5) Religionem antiquam designat Payne cum quæ ex siderum totiusque orbis spectabilis contemplatione oriebatur ; sed præcessisse revelatam Religionem ex Mosaica narratione, et aliis capitibus demonstratur.

et voluntas ei subjici, ut quo cæteris animantibus præcellit homo, eo gratius reddat obsequium. Cæterum et corpus in cultu divino suam præstat operam, ita enim a natura sumus constituti, ut quæ animo concipiuntur et foventur, externis manifestemus actibus; et Deus, quum corporis et animæ auctor sit, utriusque sibi vindicat cultum. Fuerunt qui cum Epicuro Deum exhiberent res humanas non curantem, ideoque de obsequio ab hominibus præstando nihil solicitum, utpote quod nihil ei possit conferre. Sed providam rerum omnium solicitudinem ex ipso ordine mundi inferre licet, cultumque ei deberi ob infinitas ejus perfectiones. Quamvis igitur summæ ejus beatitudini nihil addatur hominum obsequio, illud tamen exigit tamquam debitum, quod creatura rationalis persolvere tenetur: Deus enim ordinis custos jura sua, nullo sibi profectu, tuetur et vindicat. Cultus quem unusquisque ei debet aliquando saltem ab hominibus simul congregatis est persolvendus, nam homo non sibi tantum natus est, sed cæteris prodesse debet exemplo: et plurima beneficia hominum communitati collata, publicas omnium exigunt gratiarum actiones; plurima quibus indigemus universi communibus precibus sunt expetenda, ipsumque in omnes Dei dominium ab omnibus simul est agnoscendum. Publicus igitur et privatus cultus Deo debetur.[1] Officia illa quæ ratione probantur ad Religionem naturalem referri solent, quamvis revelatione etiam innotescant.

(1) Liceat in confirmationem responsionis afferre verba viri laude litterarum florentis:—

Tout être créé, par la raison seule qui il est créé, est obligé nécessairement de rendre gloire à l'auteur de son existence; les créatures insensibles doivent à leur manière, glorifier l'Etre Suprême, qui les a tirées du néant, elles n'ont reçu l'être qú à cette condition; mais toutes ces créatures muettes ne pouvant élever la voix pour glorifier le créateur, c'est à la créature intelligente à suppléer à leur silence. L'homme, ce roi du monde corporel, est chargé solidairement de la part de toutes les créatures, de s'acquitter en leur nom de tout ce qu' elles doivent à celui qui leur a donné l'être; il est leur voix et leur député, et moins elles peuvent être religieuses par elles-mêmes, plus elles lui imposent l'obligation d'être religieux pour elles. Et ce n'est pas seulement l'esprit qui doit bénir, remercier, adorer. Comme dans la nature, il y a deux espèces d'êtres, l'esprit et la matière, pour que tous les êtres créés rendent gloire à l'être créateur, il faut que la matière soit elle-même associé au culte et à la religion des esprits. Il faut donc que dans l'homme, ce pontife de l'univers, le corps par ses regards, ses cantiques, ses prosternations, et ses adorations, entre, avec l'âme, en société de religion et de culte. Sans cette espèce de société, la matière incapable de rendre par elle-même, aucun culte a Dieu, demeurerait muette et ingrate. C'est donc un devoir absolu pour toute créature intelligente de rendre gloire à son créateur. Si elle s'en abstenait volontairement, elle serait par-là même, trés criminelle. Dieu lui-même tout puissant et absolu ne pourrait l'affranchir de ce devoir, parce qu' une telle créature serait dès-lors un monstre et un assemblage de contradiction. Il y a donc cette différence entre Dieu et l'homme, que l'homme ne peut innocemment rechercher la gloire, et que Dieu, en supposant qu' il y ait des êtres créés, ne peut renoncer à cette gloire extérieure, parce qu' elle est essentiellement due à sa qualité d'Etre Suprême et infini."—*Thomas.*

Vitii a virtute discrimen, quod ex natura ipsa repetit Tullius, revelatione simul et ratione innititur: "Non est scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus."[1] Consonat Apostolus: "Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus."[2] Quamvis autem legis hujus, quam dicunt naturalem, principia rationi adeo sint consona, ut videantur veluti mentibus hominum insculpta, nemo tamen ex ipsis celeberrimis philosophis ea adeo evolvit, ut fœdos haud admiscuerit errores.[3] Nec unquam extitit *Religio mere naturalis*, scilicet cultus Dei ab homine sibi relicto excogitatus, juxta naturæ et rationis ductum, nam ab initio primis hominibus sese manifestavit Deus, muniaque eis præscripsit obeunda: "creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala, et bona ostendit illis."[4]

Revelationem divinam veritatum quas ratio aliquatenus percipit esse maxime utilem, imo in præsenti hominis conditione quodammodo necessariam liquet, nam absque ea plerique homines certam ac plenam earum notitiam non haberent: ea quippe menti offunditur caligo, ea est cupiditatum vis, ea solicitudinum et negotiorum frequentia, ut plerique nequeant rationem felici successu in evolvendis illis veritatibus exercere. Jure igitur S. Thomas Aquinas ait; "Ad ea etiam quæ de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata, a paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniret. A cujus tamen veritatis cognitione dependet tota homini salus, quæ in Deo est. Ut igitur salus hominibus et convenientius, et certius proveniat, necessarium fuit, quod de divinis per divinam revelationem instruantur."[5]

Et re quidem vera populi revelatione haud utentes in gravissimos errores de Deo, ejusque cultu, et de morum principiis inciderunt,[6] et ne unus quidem homo, ingenio vel studio quamtumvis præclarus, solo rationis subsidio Religionem quam dicunt naturalem tradidlt. Ipsi fassi sunt Philosophi divino afflatu opus esse ut quæ numen respiciunt certo innotescerent.

Consueverunt hostes revelationis veteres laudibus efferre philosophos ob

(1) Orat. pro Milone. (2) Rom. II., 15.

(3) Consule Bergier traité de la vraie Religion, l. 1, ch. iii., Art. xiii. p. 348.

(4) Eccli. XVII. 6. (5) Summæ 1, par. qu. 1, art. 1.

(6) Quum ex universis antiquitatis profanæ monumentis, constet a gentibus fere omnibus solem et astra, heroes, ipsa bruta animantia, imo quæ nascuntur in hortis olera divinos obtinuisse honores, supervluum videtur testimonia adducere. De vitiis quæ diis tribuebant, et quibus cultores in ipsis fanis Religionis specie indulgebant, silemus ut legentium parcamus pudori. Dionys. Halicarn. l. 1. Plin. l. 28. c. 1. Lucian dial. De sacrificiis. Fornicatio nequidem crimini habebatur Epict. Enchir. c. 43. Pœderas-

sublimia quæ passim tradiderunt de numine morumque præceptis, "totam quippe veritatem et omne divinæ religionis arcanum philosophi attigerunt,"[1] ipso fatente Lactantio. Cæterum in iis divinæ revelationis, toti humano generi per primos homines, deincepsque per Noe filios communicatæ, vestigia discernere est. Quod si placeat ea ratione excogitata habere, haud repugnamus. Id tamen animadvertendum fœdissimos errores illis veritatibus admixtos, adeo ut veritatem integram apud neminem ex philosophis, vel philosophorum sectis sit reperire: ideo scripsit Lactantius: "facile est docere universam pene veritatem per philosophorum sectas esse divisam." Jactant Deistæ in hodiernorum philosophorum libris legem religionemque naturalem accurate exponi, quod tamen de plerisque affirmari non potest, fœdis enim erroribus scatent;[2] quidquid autem in iis probandum occurrit, ex Evangelio mutuatum merito censetur, uti ipse Rousseau agnoscit: "Nescio quare philosophis tribuatur præclara morum doctrina quæ in illorum operibus invenitur. Doctrina ista est Evangelica; Christiana prius erat, quam evaderet Philosophica."[3]

C. II. DE MYSTERIORUM REVELATIONE.

Mysteria, veritates scilicet quæ ob earum altitudinem rationem adeo superant ut ei videantur adversæ, revelari a Deo nequaquam posse pertinaciter contendunt Deistæ. Fatentur quidem ei plurima patere quæ nos latent, imo in ipso spectabili mundo arcana naturæ esse, quæ intellectus aciem effugiunt, adeo ut vix ulla res penitius intelligatur, omniaque censeri possint mysteria. Ita Paine in pessimo opusculo de sæculo rationis, et Rousseau passim.[4] Negant tamen Deum fidem mysteriorum injungere posse, homo quippe, uti aiunt, nequit teneri ad aliquid credendum contra mentis judicium.[5]

Prop. 1. Deus revelare potest mysteria, eorumque injungere fidem.

Prob. Novit Deus plurima quæ nos latent: habet innumeras vias ea nobis annuntiandi: et jus manifestum ut intellectus humanus infinitæ ejus sapientiæ et veritati præstet obsequium: Ergo potest mysteriorum injungere fidem. Hæc adeo sunt manifesta ut in iis exponendis immorari non juvet.

Obj. 1. Mysterium et revelatio pugnant inter se: res enim revelata, seu manifestata, jam non est mysterium.

Resp. Nulla est hujusmodi pugna, nam revelatio est rei credendæ manifestatio, seu propositio, quin rei natura plene pandatur. Ea igitur ex parte

tiæ passim indulgebatur. Aul. Gell. l. 18, c. 2, l. 19, c. 11. Plutarch in opusc. de liberis educandis. In Api colendo Ægyptiacæ mulieres, in Veneris Priapique cultu Græcæ Romanæque sese prostituebant. Vide Bergier ch. iii. Art. viii. p. 209.

(1) Lact. l. vii. Instit. c. 8.
(2) Bergier c. III. art. vii. § xi. p. 395.
(3) Epist. 3, de monte.
(4) Emile I, III, p. 30 et 91.
(5) Quæst. sur l'Encyclopedie, Foi.

qua res obscura manet, vim intellectus superans, mysterium dicitur, fideque tenetur, eo quod de revelatione facta certo constet. Sic tres esse in Deo personas revelatum est: quomodo autem tres personæ in una divina natura sint nemo valet intelligere, ideoque mysterium manet, quod ob Dei testantis auctoritatem plena fide tenetur. Sic videntes cœcis natis luminis phœnomena annuntiantes ea revelant, quin plene intelligantur.

Obj. 2. Vel res credenda intelligitur, vel non intelligitur. Si intelligitur, jam non creditur, scientia enim fidem excludit: si non intelligatur, non potest credi, nemo enim credit quod ignorat.

Resp. Vocibus ludunt qui sic argumentantur. Intelligitur quidem quid credendum sit, et quibus momentis revelatio ejus probetur: sed intima rei credendæ natura non adeo patet ut fidéi non sit locus

Obj. 3. Deus non potest impossibile præcipere: impossibile autem est intellectum assentiri rei haud intellectæ.

Resp. Potest intellectus assentiri rei aliorum auctoritate innixus, quin ipsa rei veritas pateat. Sic astronomis, aliisque scientiarum cultoribus assentiuntur plurimi, quibus principiorum quæ certissima habent, veritas minime sit perspecta: sed jure censent peritissimos viros non facile affirmaturos, communi veluti consensu, quæ falsa sint. Potest igitur Deus exigere ut homo sibi revelanti fidem adhibeat, eaque certissima habeat quæ divina auctoritate commendantur.

Obj. 4. Deus revelando videretur agnoscere rationem haud sufficere homini dirigendo, qua eum proinde frustra donavit, subsidio ampliori indigentem.

Resp. Ratio sufficit, natura integra manente, ad ea quæ sunt ordinis naturalis, ideoque non est frustra concessa. Huic præclaro dono, quo a cœteris animantibus homo distinguitur, amplius revelationis lumen adjiciendo, Deus ostendit rationem haud sufficere illis veritatibus detegendis, quæ supra naturæ ordinem sunt. Minime autem repugnat amplius adjici subsidium ad altiorem assequendum finem, ut sic divina munificentia magis magisque eluceat; quippe in rebus ordinis naturalis homo ratione dirigitur, sed præstantiori lumine revelationis illustratur ut rerum supernaturalium fide Deo fruendo fiat idoneus.

Obj. 5. Mysteria, fatentibus omnibus, *supra rationem* sunt et *contra rationem* esse videntur; imo contra rationem habenda sunt, quum homo non valeat ea rationi conciliare. Deus igitur ea revelando sibi contradicere videretur, quum rationi, quæ vox est ejus intima, adversentur.

Resp. Distinctio illa non temere est instituta, plurima enim rationem superant, eique adversari videntur, quæ tamen sunt certissima. Quomodo enim spiritus materiam afficiat, ejusque mutationum conscia fiat, et particeps, ratio non valet penitius intelligere, quamvis animæ corporisque commercium sit certissimum. Igitur quæ adversari videntur rationi, non statim adversa habenda sunt; sed ea tantum contra rationem censere oportet quæ manifesto rationi repugnant. Deus mysteria revelando non potest sibi

contradicere, quamvis enim ratio sit quodammodo ejus vox, quum tamen ejus dictamina in plerisque non adeo pateant, revelationi, tamquam altiori certiorique Dei voci, obaudiendum est; idque pro certo tenendum pugnam, siqua videatur, eam inter et rationem, specie, non re, esse. Profecto cœco nato repugnare videtur ut planities, quam manu sentit omnino œqualem, profundi possit ideam exhibere, quod tamen *in perspectivo*, uti aiunt, est adeo videntibus manifestum.[1]

Obj. 6. Nulla Deo ex revelatione utilitas oritur: nulla homini, qui potius abjecto fit animo, et scientiis colendis ineptus. Vitia etiam fovet revelationis fides, philosophis e contra sola ratione optime suos componentibus mores: Ergo revelatio, utpote inutilis et perniciosa, Deo est indigna.

Resp. Utilitatem nullam Deo provenire ex mentis humanœ obsequio fateor, quod tamen in ejus gloriam cedit; rationalis enim creaturæ Conditori suo liberum obsequium, summa ejus sapientia et veritate innixum, gratum et honorificum est: omnia autem oportet suo modo divinam prœdicare gloriam, quam tota rerum compages exhibet. Homini tamen est maxima utilitas ex revelatione, quum res maximi momenti, arcana ipsa Dei, facile, brevi, certo addiscat, et qua ratione probus felixque in œvum sit. Nec ideo fit abjectior, quia supremo rerum arbitro et auctori sese subjicit, nam naturâ ipsâ suâ subjicitur, et frustra sese summo illo dominatu liberare vellet. In rerum examine haud tardius incedit, sed certius, quia in divina auctoritate firmatus, quidquid ei contradicit non dubitat penitus falsum habere, eaque firmissima principia nullatenus in quœstionem vocari sinit. Qui revelatio-

(1) De concordia rationis, et fidei hæc habet Baylius. "En un certain sens, il n'y a point de foi mieux établie sur la raison que celle qui est établie sur les ruines de la raison. Je m'expliqne: il n'y a point de verité plus certain que celle ci: *le temoignage de Dieu est préférable à celui des hommes. Si l'on en conclut, il n'y a donc rien de plus raisonnable que de croire plutót ce que Dieu dit que ce que la lumiere naturelle dicte, il faut donc abandonner ce qu' elle dicte, qui ne s'accorde point avec l'écriture sainte.* N'établit on pas son Christianisme sur l'un des plus évidentes maximes de la raison. Qu' on foule aux pieds, tant que l'on voudra, s'il est nécessaire, toutes les autres maximes de la raison, s'ensuivra-t-il que l'on établit sa foi sur les ruines de la raison? Et si l'on veut accorder cette consequence, afin de ne se point rendre difficile sur les termes, ne pourra-t-on soutenir qu' un Christianisme établi en ce sens-la sur les ruines de la raison, est le veritable Christianisme, le Christianisme le plus raisonnable?"—*Reponses aux questions d'un Provéncal*, tome 1, chap. 161.

"La raison te conduit, avance à sa lumiere,
Marche encore quelque pas, mais borne ta carrière.
Au bord de l'infini"————

VOLTAIRE.

Rousseauvius de Deo disserens, haec habet in opere suo heu nimis famoso, Emile.

Enfin plus je m' efforce de contempler son essence infinie, moins je la concois; mais elle est, çela me suffit; moins je la conçois, plus je l'adore. Je m' humilie, et lui dis: Etre des Etres, je suis par ce que tu es; c'est m' élever à ma source que de te méditer sans cesse. Le plus digne usage de ma raison est de s' anéantir devant toi.—Tom. 3, p. 58.

nis auctoritate omnino spreta, scientias coluerunt, non ideo præstiterunt aliis, Religionis simul et scientiarum cultoribus assiduis; et sæpius fateri coacti sunt ea quæ revelationi objiciebantur ex scientiarum veluti promptuario, vim haud habere; ea potius quæ certo noscebantur, revelationi suffragari, uti egregie demonstravit Rds Ds Nicolaus Wiseman in opere eximio *de nexu inter Religionem et Scientias.* De moribus Christianorum quæ dicuntur, humanam probant infirmitatem, sed revelationis uberes fructus in iis agnoscere est, qui ejus lumine virtutum vacant exercitio. Profecto non desunt ubique scandala: attamen fragrans pietatis virtutumque omnium odor mœrentes solari debet; præsto sunt enim qui moribus et fide christiani sunt. Qui veterum legerit scripta, novit quo loco vitia sint habita, quæ ex cathedra nonnumquam docuerunt philosophi, quæ deorum exemplo sanciebantur; et quibus in ipso templo, cultus specie, indulgebatur.[1] De moribus philosophorum hodiernorum, aliorumque revelationem spernentium, nolumus durius proferre judicium, nec enim conscientiæ arcana novimus; nec quod mortem sibi sœpius consciscant, vitæ vitiis inquinatæ, et conscientiæ remordentis argumentum adducimus: sed si sese intra officii limites contineant, nullam quum habeant regulam morum, præter rationis dictamina, nullum pœnarum metum, nullam spem præmii, non est cur nobis succenseant arctiorem regulam morum ex revelatione statuentibus. Vim ejus norunt omnes, qua sæpesæpius coercentur cupiditates, nulla alia ratione domandæ.

His contra possibilitatem utilitatemque revelationis objectionibus solutis, jam ipsa revelatio certis documentis et testimoniis statuenda est. Verum quum plurima sint, ea summatim recensere imprœsentiarum tantum possumus, singula postea fusius exposituri.

Prop. 2. Revelatio quam prædicat Christi Catholica Ecclesia a Deo est facta.

Probatur ex sanctitate et sublimitate doctrinæ: ex diffusione ejus per orbem brevi absque humanis subsidiis effecta: ex mira ejus per sæculorum seriem conservatione, ex martyrum inter supplicia constanti testimonio, ex vaticiniis insignibus manifesto impletis: et ut alia sileamus, ex libris Sacris utriusque Testamenti, quibus insunt certissima veritatis argumenta, splendidissima etiam divinæ originis indicia.

Obj. Si revelatio Christiana a Deo provenisset, adeo clare locutus fuisset Deus, ut omnibus innotuisset hominibus, nec ulla posset de rebus revelatis dubitatio haberi: attamen plerique homines revelationem Christianam ignorant, ipsique inter se vehementer disceptant de rebus revelatis Christiani: Ergo a Deo revelatio Christiana non prouenit.

(1) Vitiis contra naturam Græci, Romani, Sinenses, et Indi, haud exceptis celeberrimis philosophis, passim indulgebant, iisque patrocinabantur. Plato ea inter præmia meritorum in rempublicam recenset. De Republ. l. 5. Vide etiam Ciceronem de Natura Deorum l. 1, n. 28. Consule Bergier cit. Art v., § iii., p. 277.

Resp. Deum clare locutum esse, ejusque sermonem omnes spectare homines, quum autem per homines hominibus ejus notitiam communicari voluerit, et liberum sit unicuique arbitrium, contigit ut plurimi eum ignorent, vel haud amplectantur. Suaviter et fortiter consilia sua exequitur, et pro summa sua largitate, omnibus copia salutis per revelationem facta, voluit ut rerum ordine haud turbato, et libertate voluntatis illæsa, cognitio ejus diffunderetur. Plurimi tenebris involuti jacent, quod primævæ revelationis vix ullum supersit apud eos vestigium, nec Evangelii prœcones ad eos valuerint pervenire. Universalis tamen est revelatio, utpote ab initio parenti generis humani facta omnibus ejus posteris communicanda, et in nova lege omnibus etiam destinata, quamvis absque miraculo fere constanti non posset omnibus reapse communicari. Quod homines de revelatione disceptent, eorum vitio contingit, subsidia enim amplissima ad eam certo cognoscendam præstat Deus: ejusque certitudo contrariis sententiis nullatenus infirmatur, quum rei dominium non ideo evadat incertum, quod plurimi illud sibi vindicent, singulorum juribus judicio integro subjiciendis.

Obj. 2. Consensus Christianorum præjudiciis accensendus est, quum ex educatione institutioneque patria nascatur, examine neglecto, imo et dubitatione inter crimina recensita.

Resp. Fides et consensus Christianorum per orbem non potest ad præjudicia ex educatione orta referri, quamvis enim plerique a parentibus Christianis orti fidei imbuantur mysteriis a tenera ætate, et ab omni dubitatione abhorreant, in adulta tamen ætate constituti facile deponerent mysteriorum tam sublimium sensum, nisi præsto essent validissima divinæ revelationis argumenta. Hostium nominis Christiani assultus adeo violenti, dolosaq: ratiocinandi ars omnia educationis præjudicia facile evellerent. Ipsæ uniuscujusque cupiditates eum disponunt ad jugum fidei excutiendum. Constans igitur, per tot sæcula totque nationes, fides certissimis testimoniis nitatur necesse est, quæ pueris patefacta intellectum ita roborant, ut per totum vitæ curriculum firmus plerumque in fide maneat. Examen autem illud quod ex dubitatione oritur, ideo illicitum habetur, quod animi levitati merito tribuatur, quum prævius intellectus assensus certa notitia veritatis revelatæ niti censeatur. Cœterum vel culpa sua dubitantes, vel ad hostium repellendos assultus, vel ad dogmatum et probationum pleniorem intelligentiam, plurimi examen instituunt, ut interim sileamus de omnibus qui primis præconibus fidei præstiterunt assensum, et de iis qui quovis sæculo ad castra Christiana transeunt: Ethnicos quippe alloquens pulchre dixit Tertullianus: "De vestris fuimus: fiunt, non nascuntur Christiani."[1]

Obj. 3. Revelationis fides arte politica principumque opera videtur inducta, ad homines in officio continendos.

Resp. Revelationis fides Christianæ per tria viguit sæcula, civili potes-

(1) Apol. ad Gentes.

tate eam evellere frustra nitente: nec nisi cum quodam sui discrimine Constantinus ei palam patrocinatus est, quamvis enim jam foret innumera per imperii fines credentium multitudo, adhuc tamen Ethnici numero, et viribus, et audacia ubique pollebant, ita ut ipsis Theodosii temporibus Symmachus urbis præfectus gentilis idolorum cultum restituere laboraverit.

Obj. 4. Revelationis Christianæ fides, jurgiis, civilibus motibus, persecutionibus, aliisque calamitatibus præbuit occasionem: Ergo Deum non habet auctorem.

Resp. De calamitatibus quas mundo intulisse dicitur revelatio fusius disserere non est hic locus, nam tota Christianæ Ecclesiæ historia esset pervolvenda, ut singulas res gestas explicaremus, revelationi suas partes vindicaturi. Id fidenter dicimus, eam beneficam necessario esse, et nullam proinde inferre posse calamitatem; sed quum homines suis cupiditatibus sæpius abripiantur, religionis nomine non semel eas, velo quasi, obtegere studuerunt. Quæ nata sunt dissidia, superbiæ, qua revelationi resistitur sunt tribuenda: turbæ motusque civiles ad sectariorum tumultuantium consilia et machinationes sunt referenda: bella inter principes ex dominandi libidine, vel ex principum in subditos tyrannide qua etiam jura sacra sunt læsa, nata sunt: persecutiones quæ dicuntur, aliquando justorum judiciorum formam præsetulerunt, et graviora vindicarunt in societatem crimina. Quæ alias facta sunt dolemus et reprobamus, nec tamen inter cœlestis revelationis effectus recensemus.

Obj. 5. Revelationis nulla est utilitas, nisi certo unicuique innotescat: innotescere autem nequit nisi fiat specialiter unicuique.

Resp. Certam quidem exigi revelationis notitiam, sed eam haberi posse, quin specialiter unicuique sit facta: satis enim est ut fide dignis testibus innotescat: sicut enim omnimodam habemus certitudinem plurimorum quæ nunquam vidimus, testibus tamen et documentis suppetentibus, ita etiam per testes et documenta certi esse possumus Deum revelasse. Utilitas autem quæ ex revelatione derivatur, quoties de ea constat, haberi potest.

Obj. 6. Revelatio per alios communicata periculum deceptionis habet, homines enim ipsi imaginatione falluntur, vel fallere student.

Resp. Facile quidem homines imaginatione falli, aliosque etiam scienter fallere velle: sed Deo suppetere rationes quibus de revelatione sibi facta quis fiat certissimus, aliique de revelatione per alios communicata plenam habeant certitudinem.

Obj. 7. Voces inanes, quibus nullus certus adnectitur sensus, plerumque in revelatione proponenda adhibentur: v. g.: tres personæ in una natura: atqui ex vocibus inanibus adhibitis nulla est utilitas.

Resp. Voces quibus mysteria proponuntur inanes non sunt, quamvis relationem et nexum terminorum mens apprehendere non valeat. Quisque intelligit doctrinam de tribus personis in una Dei essentia, discrimen proinde personarum a se invicem, quamvis non valeat percipere quomodo personæ inter se discernantur, quum idem sint natura. Cæterum ex mysterio hoc

pendet incarnatio, quod Deus scilicet homo sit factus, in quo tanta elucet Dei benignitas, ut affectus nostri omnes ad Deum evehantur. In ipso mysterio Trinitatis adorando maxima reperitur utilitas, homo quippe quanto intervallo Deus a creaturis distet sentit, eique profundissimum animi obsequium exhibet.

Obj. 8. Deus plerosque saltem homines per omnia fere sæcula revelatione carere sivit: id autem certe non contigisset si ulla facta esset revelatio.

Resp. Deus numquam reliquit homines absque necessario illo salutis subsidio, quamvis plerasque gentes justo suo judicio revelationis ignorantia per aliquot sæcula laborare siverit. Ab initio quidem generis humani parenti se manifestavit, qui ad posteros divinitus traditas veritates transmittere haud neglexit. Ad diluvium usque, per mille sexcentos fere annos, revelationis notitia integra videtur mansisse, quæ etiam per Noe posteros est propagata. Quum vitia deinceps invalescerent, ejus conservationi est consultum, ea Abrahamo ejusque posteris in custodiam specialiter tradita, et legibus ritibusque plurimis per Moysen munita. Nec tamen cæteris gentibus est denegata; nec enim statim vel facile apud eas primitivæ revelationis vestigia deleta fuisse verosimile est.[1] Cæterum magnam orbis partem per plura sæcula Dei veri ignorantia laborasse, imo etiamnum laborare, dissimulare non possumus, qua in re divina haud valemus scrutari judicia. Id autem certo constat homines qui absque sua culpa revelationem ignoraverint, nullam ea de causa subituros pœnam juxta illud Pauli: "Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt."[2] Constat quoque Deum revelationem nullis circumscripsisse limitibus, sed toti humano generi per primos homines communicasse, et gentes sui cultus oblitas ad se beneficiis revocare voluisse: "qui (ut tradit S. Paulus) in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, non sine testimonio seipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra."[3] Jure igitur meritoque scripsit S. Prosper: "Secundum ipsam Scripturam credimus et piissime confitemur, quod numquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit, licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem institutis direxerit, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit."[4]

Factam esse a Deo revelationem suaderi potest argumentis illis quæ leviter attigimus. Rousseau contendit res quæ revelatæ dicuntur rationis trutina pensandas esse, antequam iis assensus præstetur; rejiciendas proinde si nequeant cum ea conciliari, quæcumque alioquin adducantur divinæ originis momenta.[5] Theologi Catholici illud prævium rationis examen merito declinant, quum divina consilia rationem longe

(1) Fallit omnino *Paine* dicendo ex Religionis Christianæ principiis sequi universos fere homines per quatuor millia annorum damnatos esse.

(2) Rom. 2. 12.

(3) Act, 14, 15.

(4) De vocatione gentium c. i. et 2.

(5) *Emile* passim.

excedant, fierique facile possit, ut dogma videatur absurdum, quod altius sit mente humana. Contendunt idcirco *facti*, potius quam *gmadotis* instituendum examen, rationem quippe posse investigare et perpendere revelationis documenta, quæ si valida sint et certa, obsequium intellectus Deo loquenti debetur. Cæterum singulorum quibus ipsa revelatio probatur argumentorum examen et judicium ad doctos plerumque spectat homines, et studium haud exiguum postulat.[1] Censemus idcirco revelationem innotescere plerisque ex publico Ecclesiæ docentis testimonio, animo ad assensum adducto revelationis momentis, quæ intellectus arripit, indicia certissima divinæ veritatis in iis percipiens. Sicut oculus res visui objectas conspicit, ita et mens nostra divinitus adjuta illa credibilitatis motiva discernit. Cum paucorum sit accurata instituere ratiocinia, et singula illa nosse quæ ad revelationem probandam pertinent, sapienter Deus omnibus consuluit revelationem iis induendo characteribus qui omnibus forent obvii, ita ut videri potius quam diuturno studio addisci videantur. Non placet igitur iste dicendi modus quod motiva credibilitatis prius ratione investigentur, quum illud examen paucorum sit, nec facile intelligatur quomodo fides divina rationis examine quocumque nitatur. Cæterum in revelatione vindicanda ratio suas habet partes, nam revelatio ea explicat principia quæ menti humana insita sunt, eaque de divinis operibus in hominum salutem addit, quæ infinitam Dei bonitatem et misericordiam commendant. Ipsa mysteria solutionem præbent eorum quæ homo alias nequit intelligere de sua conditione, et fine, et de malorum quibus premitur origine et remediis. Hinc Angelicus Doctor ait: "Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana; non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia quæ traduntur in hac doctrina."[2] Consonum igitur est rationi ut doctrinam revelatam amplectamur, quippe quæ ipsa sui indole cœlestem prodit originem, et alias splendidissimis claret indiciis, quo sensu, si placeat, rationabile obsequium fidei dici potest.[3]

Laborandum nobis non videtur in certitudinis principio statuendo, omnis enim certitudo in rebus revelatis ex ipsa Dei auctoritate derivatur. Nec ideo vel sensuum testimonium, vel intimum sensum, vel alia certitudinis principia in rebus ordinis naturalis rejicimus, vel rationis conculcamus jura: sed ea intra suos continemus limites, iisque in revelatarum rerum negotio utimur, servato revelationi suo principatu: "oportet quod naturalis ratio subserviat fidei."[4]

Inter *motiva credibilitatis* principem obtinent locum miracula, de quibus proinde agendum est.

(1) Vide, Paley's Evidences of Christianity, Abbadie Traité de la Verité de la Religione Chretienne.

(2) 1 P. qu. 1, art. viii. ad Secundum.

(3) λογικην λατρειαν: Rom. xii. 1, "id est non corporale, uti olim erat Judæorum; sed spirituale sit obsequium, id est cultus vester." Cornelius a Lapide in loc. De ratione exercenda in fidei negotio non videtur loqui Apostolus.

(4) S. Thom. supra cit.

C. III. DE MIRACULIS.

In miraculo definiendo non admodum concordant Theologi, quamvis in substantia satis conveniant. Re quidem vera omnes homines, naturæ veluti instinctu, miraculum plerumque ab aliis rebus gestis distinguunt, illud scilicet agnoscunt saltem quotiescumque aliquid fit bene cognitis naturæ legibus plane adversum. De quibusdam dubitari nonnumquam potest utrum pro miraculis sint habenda: sed dum agitur de divina revelatione probanda, ea tantum afferimus quæ certa ac splendida divinæ potentiæ sunt opera. Nonnulli ex Deistis Deum ipsum naturæ legibus derogare posse ausi sunt negare, quippe quæ adeo sunt rebus congruæ ut ex quadam necessitate derivari videantur: sed vehementer eorum temeritatem redarguit ipse Rousseau;[1] et merito quidem, nam leges quas dicimus naturæ a Creatoris libera voluntate profluxerunt, et ab ea pendent, nec ulla suadet ratio alium rerum ordinem non potuisse statui. Rectius forsan diceretur nullas esse proprie dictas leges naturæ, sed eas nobis fingi, observato constanti rerum cursu, et mentis nostræ conceptibus ad divina consilia translatis. Omnia ex Dei voluntate procedunt, prout ab æterno est statutum. Quod autem objiciunt Deistæ post Spinozam, miraculum mutationem divinorum consiliorum indicare, ex eadem mentis humanæ infirmitate contingit qua divina humanitus concipimus: nam non novo quodam consilio prodit insuetus ille effectus, sed vi ejusdem decreti quo Deus orbem condidit, rerumque statuit ordinem: jussit scilicet ut in specialibus rerum adjunctis ea fierent, quibus et potentia ejus et rerum omnium arbitrium eluceret, et veritas ejus revelata, sigillo quodam munita, commendaretur.

Utrum Angelus seu dæmon facere miraculum valeat, ex viribus suis naturalibus, inter Theologos quæritur: nonnullis censentibus eas humanis adeo præstare, ut miri quidam eventus cursui et ordini naturali plane contrarii, Spirituum creatorum opera contingere possint: aliis soli Deo potentiam consuetum rerum ordinem interrumpendi vindicantibus. Miraculum proprie dictum ordinem totius naturæ creatæ excedere docet S. Thomas,[2] quin neget mira etiam ab Angelis seu dæmonibus fieri quæ miracula *quoad nos* sunt. Id certum videtur, Deum numquam veritati defuturum, ut sinat errorem triumphum, dæmoniaca opera, reportare, sed subsidia frequentioribus et splendidioribus operibus suppeditaturum.[3] Miraculorum certitudinem haberi non posse contendit Hume, quæ de iis afferuntur testimonia

(1) "Dieu peut-il faire des miracles? c'est-a-dire, peut-il déroger aux lois qu 'il a établies? Cette question sérieusement traitée serait impie, si elle n' était absurde: ce serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait négativement, que de le punir: il faudrait l'enfermer." J. J. Rousseau, 3me lettre de la Montagne.

(2) 1 p. Summæ Quæ. CX. Art. IV.

(3) "God cannot work miracles to deceive men himself, nor permit evil spirits to impose upon men, when the error would be invincible, which would be the very same thing as if he worked them himself." Clarke's Evidences of Nat. and Rev. Rel. p. 228. Vide Hay, On Miracles.

verosimilitudinem quamdam præseferre, potius quam certam præbere notitiam affirmans.[1]

Prop. 1. Miracula certo nosci possunt. Miracula instar aliarum rerum gestarum probari possunt: ergo de iis omnimoda haberi potest certitudo. Equidem miraculum dicitur opus quod ordinem naturæ excedit, sensibus tamen subjacet, conspiciendum et noscendum, cæterorum factorum instar. Resuscitatio ex: g: mortui, quæ magnum sane est miraculum, potest certo nosci: si enim de morte habeatur certitudo, corpore plures dies sepulchro tradito; et si oratione fusa, vel manu porrecta, vel jusso edito, cadaver ad vitam revocetur, pergatque homo resuscitatus cum aliis versari, eadem de miraculo habetur certitudo, quæ de morte habebatur, quam plenam et absolutam esse posse nemo diffitebitur.

Obj. Ut miraculum noscatur, debet constare illud totius naturæ creatæ vires excedere: nemo autem eas vires novit.[2]

Resp. Necesse non est totius naturæ leges nosse, vel explorasse vires, ut quædam plane consueto rerum ordini, legibusque naturæ contraria noscantur: si enim vel una lex sit plene cognita, opus ei adversari constare poterit. Jam verò constat mortuos constanti naturæ lege ad vitam non redire, sed corpora resolvi; si igitur mortuum ad vitam redire contingat, illud fidenter legi naturæ contrarium pronuntiari poterit. Nulla quidem est ratio suspicandi naturæ inesse occultam aliquam vim ex qua effectus legibus cognitis plane adversus prodeat.

Obj. 2. Nec nostro de miraculo judicio fidendum, nec aliorum testimonio: physica scilicet certitudo, quæ de generali lege habetur, morali certitudini prævalet.

Resp. Miraculum, quod sensibus nostris percipimus, certo cognoscitur, quando ea sunt rerum adjuncta quæ nos illusionem non pati ostendunt. Non tamen in re tanti momenti unius judicio facile fidendum: præsumendum quippe omnia consueto rerum cursu evenire, nisi contrarium omnino constet. Quod si plures adsint rei testes, qui una nobiscum miraculum agnoscunt, majus judicio pondus accedit. Cæterum quoties habetur aliqua dubitandi ratio, præsumptio stat pro lege naturæ. Ea tantum opera miraculis accenseri cupimus, de quibus, re sedulo perpensa, nullum superest dubium, ea naturæ legibus plane adversari. Quæ pugna inter certitudinem *physicam et moralem* fingitur, nulla profecto est, nam miro opere patrato præter naturæ ordinem, et vel oculis conspecto, vel idoneis probato testibus, certitudo habetur, cui nullatenus repugnat notitia quam habemus omnia plerumque alias procedere. Ex lege generali, uti consuevit eventuum series designari, *præsumptio* habetur rem eventuram eadem ratione, qua hactenus: quæ tamen cedit *facto*, statim ac constat alias evenisse. Habetur tunc physica certitudo de iis quæ sensibus nostris sunt subjecta, etsi contra consuetum ordinem; *moralis* verò, de iis quæ certis testimoniis

(1) Hume, Essay on Miracles.

(2) Paine, Age of Reason; p. 1. p. 56. Ed. New York, 1831.

probantur; hæc porrò aliquando absoluta est, omnem prorsus tollens dubitationem.

Obj. 3. Facilius deciperetur tota civitas, quam mortuus resuscitaretur: Ergo nec toti civitati mortuum resuscitatum testanti est credendum.

Resp. Non potest tota civitas decipi de mortui resuscitatione, si rem sibi visam testentur unanimes: nam tot homines, variis plerumque abducti studiis, non possunt sibi fingere se videre quod non vident. Igitur si de morte alicujus eorum testimonium valeat, de eo revocato ad vitam valeat necesse est: nam mortui cadaver, vel redivivus homo oculis æque subjicitur. Non minus repugnat tot homines decipi, in re sensibus subjecta, quam eventum contrarium consueto naturæ cursui contingere.

Obj. 4. Miracula pleraque, etiam celeberrima, ad paucorum testimonium revocantur, qui imaginatione falli, vel consulto fallere possunt.

Resp. Non quibuscumque operibus quæ fama celebrentur fidem vindicamus, sed eorum quæ idoneis confirmantur testimoniis. Quod si ad paucorum testimonium res redigatur, omnia sedulo perpendenda erunt antequam quid statuatur. Cæterum plurima quæ ad revelationem firmandam allegantur, coram plurimis sunt patrata.

Obj. 5. Hodiernorum hominum experientia miraculis adversatur: ergo apud antiquos ea ex animi simplicitate credita censenda sunt.

Resp. Nostra experientia nihil valet contra testimonia certissima quibus aliquando legibus naturæ derogatum constat; illa enim regulam seu ordinem rerum consuetum tantum probat, cui etiam veterum testimonia suffragantur: ideo quippe mirati sunt eventus quosdam quod consueto ordini adversarentur. Ea quæ supersunt plurimorum miraculorum documenta nimiam credulitatem vel simplicitatem non ostendunt, severiori quippe criticæ subjecta manent indubia. Cæterum et nostra ætate patrata esse miracula plurimis comprobatur testibus.

Obj. 6. Miraculorum præteritorum certitudo minuitur, quo longius ab iis distamus temporibus.

Resp. Testimoniorum vis non minuitur temporis intervallo, quoties in serie nulla reperitur lacuna: firmatur potius, quum a singulis res trutina pensata censeatur, suoque judicio comprobata. Profecto de Augusto Romanorum imperatore non minus certi sumus, quam coævi quipiam, traditionis quippe et testimoniorum series, nexibus adeo arctis, conjuncta, nullum dubitandi locum relinquit.

Obj. 7. Miracula facile sibi fingunt homines enthusiasmo abrepti. Ita Hume.[1]

Resp. Enthusiastæ mentis conceptibus facile illuduntur, sed vix sibi suadent se videre quod non vident, manu palpare quod non tractant.[2] Cæte-

(1) Essay on Miracles.

(2) "Many of this tribe have mistaken the reveries of a heated imagination for the communications of the divine Spirit, who never, in one single instance, mistook the operations of their external senses." Campbell on Miracles.

rum etsi unus vel alter imaginatione deciperetur, non ita plurimis contingere posset.

Quum ex dictis constet miracula certo nosci posse, jam quærendum quid in probando valeant, quoties præsertim in doctrinæ confirmationem eduntur. Ea inter firmissima divinæ veritatis argumenta non dubitamus recensere, quum Deo auctori merito tribuantur: nulla quippe creatura, ipso invito, leges quibus orbis regitur intervertere valet.

Prop. 2. Miracula certo cognita certissima sunt veritatis ad quam probandam eduntur argumenta.

Prob. Ex communi hominum sensu, naturæ enim veluti instinctu homines miracula ad Deum referunt auctorem, quœque his confirmantur doctrinas a Deo provenisse censent. Et quidem si splendidiora illa opera legibus naturæ plane adversa, ad confirmandum errorem edi contigerit, nullo subsidio veritati dato, Deus errori sua ipsa potentia patrocinari videretur.

Obj. 1. De miraculi natura controvertitur: ergo ex eo nequit derivari certum argumentum.

Resp. De miraculi natura agitari quidem apud Theologos et Philosophos quasdem quæstiones, qui tamen in rei summa videntur convenire, in ea explicanda aliquatenus discrepantes. Cæterum etsi de quibusdam operibus nasci possit dubitatio utrum sint miraculis accensenda, vel solum mira habenda, quædam sunt quæ Theologi omnes et Philosophi cum hominum universitate miracula agnoscerent; ex. gr. mortui resuscitationem. Ex his, igitur, quæ certò sunt miracula, certoque innotescunt, validum habetur argumentum.

Obj. 2. Dæmones, ex Theologorum insignium sententia, miracula valent edere: ipsi autem veritati non perhibent testimonium.

Resp. Dæmonis opera miracula fieri aliquando posse censent nonnulli; sed quum Deum veritatis patronum et auctorem agnoscant, fatentur nullatenus contingere posse ut Deus dæmonem sinat triumphum veluti agere, mendacium miraculis commendando, quin splendidioribus et frequentioribus miraculis oppressæ veritati suppetias ferat, detque testimonium. Id ex divina perfectione et erga homines benignitate manifesto sequitur, et communi hominum sensui est consonum; omnes enim naturæ veluti instinctu miracula divina esse opera, et certissima veritatis argumenta sentiunt.

Obj. 3. Miracula a Vespasiano et Hadriano, imperatoribus Ethnicis, ab Æsculapio, et Apollonio Tianeo, a Magis Ægyptiacis, a pythonissa, Samuelem evocante, a Novatianis, Donatistis, Jansenistis, aliisque hæreticis narrantur patrata, et ab Antichristi asseclis prædicuntur patranda: Ergo non sunt veritatis argumentum.

Resp. Idonea non suppetunt testimonia prodigiorum quæ Vespasiano, et Hadriano ascribuntur, Spartianus quippe, *in Hadriano*, tradit ea a Mario Max. referri tamquam ficte patrata, et Tacitus satis innuit ex assentatione ea Vespasiano fuisse tributa.[1] Quæ Æsculapii narrantur miracula ex

(1) Tacitus hist. l. iv. n. 81.

morborum curatione videntur originem traxisse, quippe antequam ars medendi coleretur, ægroti in via aliquando exponebantur, ut transeuntes quid sibi profuisset simili morbo laborantibus referrent; nonnumquam ad templa deferebantur Æsculapii, ut iis quæ ibi servabantur remedia, scripto consignata, adhiberentur. Falso autem dicitur Diodorum Siculum referre mortuum ab Æsculapio suscitatum.[1] Apollonii Tianei, duobus jam post ejus decessum elapsis sæculis, enarravit mira opera Philostratus, nullo idoneo allato teste vel documento. Cætera quæ apud Livium aliosve Ethnicos Scriptores inveniuntur, fabellam redolent, ideoque nec a narrantibus commendantur; Livius enim sæpissime se fidem iis haud præbere innuit,[2] eaque apertissime rejicit Tullius, dicendo: "nihil debet esse in philosophia fabellis loci."[3] Mahumetis miracula nulla narrantur, quæ aliquam habeant verisimilitudinem, quæ enim jactavit cum Archangelo Gabriele colloquia, epilepsis occasione, neminem habuerunt testem. Magorum Ægyptiacorum mira opera, quæcumque fuerint, cesserunt Mosaicis miraculis, ideoque horum infirmare non potuerunt auctoritatem. In conflictu operum ea vincant necesse est quæ splendidiora sunt, in iis, scilicet, elucet divina potentia, iisque veritas fulcitur. Pythonissa, excitato Samuele, mirum quid profecto fecit, utrum autem vi suæ artis, vel speciali Dei consilio; ut Sauli fata panderentur, non satis constat. Cæterum in mendacii probationem mirus ille eventus non cessit: nec proinde liquet eam potuisse hujusmodi visione mendacio patrocinari. Novatianorum, Donatistarum, Iansenistarum jactata prodigia suæ sectæ tantum Scriptoribus nonnullis probantur, nullo alioquin certo firmata documento.[4] Prodigia Antichristi mendacia ab Apostolo[5] vocantur: quod si veris accenseantur miraculis, dæmonis tamen opera patratis dicendum alia majora præsto futura quibus veritas vindicabitur quod ex ipso qui prædicitur veritatis triumpho, colligere est. Ideo constabit miraculis vis probandi, si ea vel a solo Deo fiant in veritatis confirmationem, vel si majora et plura veritatem firment, quoties dæmonis opera mirum aliquod fuerit factum.

Obj. 4. Miracula, saltem quæ traditione referuntur, nunquam certitudinem habent quæ omnem tollit dubitandi rationem.

Resp. Res gestas certo transmitti, adeo ut de iis nulla sit ratio dubitandi,

(1) Bibl. hist. l. iv. p. 189, edit. Henr. Steph.

(2) Livi, Dec i. l. 1. Vide, etiam Plutarch, in vita Romuli. Curt. l. ix. c. 1. Valer max. l. i., c. 8., n. 6.

(3) Lib. ii., de Divin. c. 38.

(4) "Hath any founder of a new sect among Christians pretended to miraculous powers, and succeeded by his pretensions? Were these powers claimed or exercised by the founders of the sects of the Waldenses and Albigenses? Did Wickliffe, in England, pretend to it? Did Huss, or Jerome, in Bohemia? Did Luther, in Germany, Zuinglius, in Switzerland, Calvin, in France; or any of the Reformers advance this plea?" Paley, Evidences of Christianity: prop. ii., ch. 1. & vii., citing Campbell on Miracles. Vide de miraculis Jansenistarum eundém. c. ii., § iii.

(5) II. Thess. 29.

præsertim si vivæ vocis traditioni documenta et monumenta coæva suffragentur, insignique aliqua rerum conversione celebria. Profecto de præcipuis eventibus illius rerum conversionis, quam *revolutionem*, vocamus, *Americanam*, ea hodie habetur certitudo, quæ omnem tollit dubitationem ; nec enim quis sui compos dubitat Washington, La Fayette, aliosque præcipuas in ea egisse partes. De miraculis eadem potest haberi certitudo.

Obj. 5. Nullum miraculum idoneos habet testes, omnia scilicet unius vel alterius scriptoris nituntur auctoritate, et vulgi fama: qua ratione tot absona prorsus et ridicula in Sanctorum vitis, aliisque libris occurrunt. Ita Hume.

Resp. Habent quidem plurima miracula testes numero et auctoritate prFstantes, quibus suffragatur etiam nota populorum ad fidem conversio, iis subsidiis effecta. Nec ideo sunt rejicienda quod quædam minus probata occurrant, sicut non omne hominum testimonium respuitur, quod perjurii reus aliquis noscatur. Cæterum nec temere miraculis credendum, nec statim rejicienda sunt quæ afferuntur, sed sedulo instituto examine, quæ idoneo nituntur testimonio, sunt probanda, aliis sepositis.[1]

C. IV. DE PROPHETIIS.

A miraculis, quæ tantam habent probandi vim, ad vaticinia transeundum. Vaticinium autem dicitur effatum certum de re futura quæ nullo mentis humanæ lumine potuit innotescere. Plura quidem præsciuntur ab astronomis, aliisque quibus naturæ leges sunt perspectæ, calculoque facto, quæ post annos plurimos eventuræ sunt solis lunœve defectiones prædicuntur. Sunt autem plurimi rerum eventus qui non ex certis aliquibus naturæ legibus, sed ex humanæ voluntatis libero arbitrio, hominis incertis consiliis, et causis, uti aiunt, contingentibus, pendent. Conjiciendo potest quis etiam nonnulla hujusmodi quodammodo assequi, quæ enim consueverunt homines in quibusdam rerum adjunctis, vel pro sua peculiari indole, agere, sagax prudensque vir eos verosimiliter acturos præ det: et quo magis pollet ingenii vi ac judicii acumine, eo certius quid futurum sit conjicit. Sunt autem quædam adeo magno locorum temporumve intervallo dissita, et ex fortuita causarum serie et congerie pendentia, ut sagacissimam mentem prorsus effugiant, nonnisi lumine supernaturali patefacienda. Qui dæmonibus miracula patrandi potestatem, iis etiam arcana revelandi ex mira illa qua pollent scientia, suæ superiori naturæ congrua, facultatem tribuunt:[2] qua ratione explicant oracula gentilium adeo celebrata, et quasdam fatidicorum hodiernorum voces ; quas tamen aliis placet inter fraudes conjectu-

(1) Vide Muzzarelli, "Il buon uso della Logica." Opuscolo ottavo Numero e qualità dei miracoli t. ii., p. 170.

(2) P. Baltus magna eruditionis copia hanc strenue defendit sententiam.

rasque dolosas omnino recensere[1] Quidquid sit de potestate hac dæmonum, vel hominum dæmonum subsidio utentium, de qua inter doctos homines plus semel acris fuit disceptatio, constat vaticinia argumentum esse præclarum numinis adsistentis, ea præsertim quæ res post plura sæcula eventuras ex causis liberis et contingentibus respiciunt, hæ enim ei tantum patere potuerunt, cui arcana omnia futuri ævi, innotescunt. Qui igitur in doctrinæ quam tradit confirmationem vaticinio hujusmodi utitur, quod scilicet diu antea prolatum deinceps ostendit fuisse impletum, quin eventus humana aliqua aut naturali ratione potuerit præsciri, magnum affert veritatis indicium: quod quidem pondere augebitur, quo splendidius inveniatur.[2] Plurima vaticinia his munita dotibus Deum vadem veritatis præbent, adeo ut omnis erroris formido depellatur. Propheta tamen non potest suam firmare doctrinam edito vaticinio diu postea adimplendo, nam ex rei eventu pendet vaticinii vis ad fidem faciendam sed docenti merito tribuitur fides, si arcana cordis pandat, vel jam ab eo prædicta, completa sint, quæ non potuit aliquatenus, naturali lumine, prævidere.

Utrum vaticinia dari possint a nonnullis quæsitum est. Id fidenter affirmamus.

Prop. 1. Dari possunt vaticinia. Deo omnia futura patere, ex infinita ejus perfectione necessario sequitur, eumque posse eorum notitiam homini impertiri manifestum est: Ergo vaticinia dari possunt. Suffragatur communis omnium hominum sensus hanc potestatem Deo tribuentium.

Obj. 1. Liberæ hominum actiones nequeunt præsciri, quippe quæ pendent ex incertis hominum consiliis.

Resp. Liberas actiones ex consiliis cordium pendere, quæ per se incerta sunt, sed certo Deo innotescunt, quum nihil in rerum natura possit ei esse occultum. Equidem nisi plane perspecta haberet cordis humana consilia futura, liberasque determinationes, non posset moderari mundum, suaque condere decreta, sed penderet ex incertis hominum consiliis: quod absonum prorsus est. Ergo omnia præscit, eaque pro arbitrio revelare potest.

Obj. 2. Si hominum consilia omnia a Deo præviderentur, necessario sequerentur Dei præscientiam, jamque libera non forent.

Resp. Quæ a Deo præsciuntur certo eveniunt, sed haud necessario, nam Dei præscientia ea divino intellectui exhibita supponit, nec humanam voluntatem ipsa determinat. Falli non potest Deus; idcirco certo evenient quæ prævidit: sed prævidit ea libere eventura, ideoque libere evenient.

Obj. 3. Humanæ voluntatis futuræ determinationes nullatenus existunt, nequidem in mente divina, nihil enim omnino sunt.[3]

(1) Van-Dalen de Orac. Ethnic. diss. ii.

(2) Paine ambiguitate vocis abutitur, ut vim huic argumento detrahat, animadvertit quippe prophetiam variis sensibus apud Sacros Scriptores sumi: sed ex voce non argumentamur. De diversis ejus significationibus vide opus Cardinalis De La Luzerne, *Sur les Prophetes.*

(3) Ita Voltaire, philosophie de l'histoire, ch. 31, des Oracles.

Resp. Futuræ humanæ voluntatis determinationes existunt in mente divina, infinita enim intelligentia omnia complectitur: quamvis igitur nihil sint, Deo tamen sunt res futuræ. Profecto ea quæ juxta leges naturæ eventura sunt, nihil sunt antequam evenerint, et tamen certo ab Astronomis eclipses, aliaque prædicuntur.

Non adeo sunt multi qui vaticinia dari posse negant, plurimi autem eis vim probandi detrahunt. Iis autem vim maximam inesse, ita ut ineluctabile præbeant argumentum veritatis, affirmamus, ex totius antiquitatis, imo humani generis sensu.

Ex Augustini judicio, sunt ipsis miraculis potiora: "ut enim non contemnerentur, neque fabulosa ducerentur quæ Apostoli annuntiabant, demonstrabatur hæc a prophetis ante fuisse prædicta: quia etsi adtestabantur miracula, non defuissent, (sicut etiam nunc etiam quidam mussitant,) qui magicæ potentiæ cuncta illa tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione propheticavinceretur. Magicis enim artibus longe antequam nascerentur, prophetas sibi constituere a quibus prænuntiarentur, nemo utique diceret.[1]

Prop. 2. Vaticinia certum præbent veritatis argumentum.

Prob. Vaticinia, quum sint rerum futurarum prædictiones certæ, quæ nulla naturæ vi prævideri possent, certissimum numinis præsentis indicium et argumentum præbent: quod ex ipso communi hominum sensu liquet.

Obj. Vaticinia a dæmonibus edi possunt: ergo non suppeditant certum argumentum.

Resp. Disceptatur quidem utrum vaticinia a dæmone edi possint; id autem pro comperto habendum est illustria admodum de rebus post longam sæculorum seriem eventuris vaticinia solum Deum habere auctorem; nec unquam Deum veritati defuturum, si prædictione dæmoniaca aliquatenus eam offuscari contigerit; nec enim infinita ejus perfectio sinit, ut mendacium sua auctoritate firmatum videatur.[2]

Obj. 2. Ante eventum vaticinia sunt obscura; eventibus autem ita accommodantur, ut aliis possent aptari: Ergo ex iis certum nequit derivari argumentum.

Resp. Non omnia vaticinia ante eventum sunt obscura, quod si aliquibus ea insit obscuritas, non ideo vi carebunt si illustrentur eventu cum quo non potuissent casu concordare. Ex iis quæ dubitationem admittunt, quæque aliis eventibus facile possent aptari, certum quidem veritatis argumentum non desumitur: contingere autem potest, et reapse contigit sæpius, vaticinia ita impleta, ut de eorum vera significatione nullus sit dubitandi locus.

Obj. 3. Ut vaticiniis vis sit probandi, de iis editis debet constare et eventum iis respondisse: neque potuisse viribus naturæ præsciri; hæc autem nequeunt plene constare. Ita Rousseau.[3]

(1) Aug. contra Faustum l. xii., 45. Ita etiam Abbadie visum est: traité de la vérité de la Religion Chrétienne, t. i., Sect. iii., c. iv.

(2) Vide Dissertation sur les propheties par le Cardinal De la Luzerne, ch. 1, § 23.

(3) Emile, l. iv.

Resp. Constare potest vaticinium editum esse, utrum agatur de eo quod brevi fuerit impletum, vel de eo quod nonnisi post sæculorum seriem implendum sit. Sic de brevi fugandis regibus Syriæ et Israel, conjunctis viribus Judam impugnantibus, constabat Achabo, et principibus Judæis qui Isaiam audiebant. De Nabuchodonosoris, regis Babylonici proximo adventu, et de populo captivo abducendo, vaticinante Jeremia publice, constabat omnibus, qui plerique eum ad mortem quærebant. Hæc autem vaticinia, impleta præter spem communem vatem divinitus illustratum ostendebant, nec enim certo prœsciri poterant eventus hujusmodi in his rerum adjunctis. De vaticiniis olim editis potest constare ex libris in quibus referuntur, sicut Judæis contigit libros prophetarum apud se servantibus; quæ cum eventibus mire concordantia, argumentum haud dubium scientiæ vatibus divinitus datæ prœbuerunt, nec enim per longam sæculorum seriem mens, quantumvis sagax, potest perspicere.

Obj. 4. Vaticinia brevi implenda possunt menti perspicaci tribui: diu postea implenda vi carent donec fuerint impleta, ideoque vim probandi non habent

Resp. Sunt rerum adjuncta in quibus nulla subest ratio suspicandi rem, etiam brevi eventuram, potuisse conjici, vel naturali animi vi prœsciri: quis enim mortuum resuscitandum intra paucos dies potest naturaliter prævidere? quis vaticinium hujusmodi arte dolove editum, vel impletum dicet, si de morte revera constet? Vaticinia post longum tempus implenda probandi vim non habent donec fuerint impleta: cœterum maxima tunc illis vis inest.

Obj. 5. Oracula Ethnicorum idolorum cultui patrocinium prœbuerunt. Ergo ex vaticiniis non desumitur certum argumentum.

Resp. Ethnicorum oracula, plerumque, ambigua[1] numquam illustres illos divinæ originis characteres præsetulerunt, qui ad veritatem firmiter statuendam requiruntur. Plurima conjecturis, dolisve sacerdotum merito tribuuntur, uti etiam Ethnicis Scriptoribus est visum:[2] quod si aliqua dæmonis opera edita placet existimare, facile dignoscuntur a cælestibus vaticiniis, nec possunt tollere probandi vim quæ his tribuitur.

Obj. 6. Moyses Deut. xiii. 1, a prophetis idolorum cultum suadentibus monet cavendum.

Resp. Moyses in objecto Deutoronomii loco monuit Judæos, ne ulla ratione se sinerent abduci a veri Dei cultu, ne quidem si vaticinium eventu impletum adhiberetur ad idolorum cultum commendandum. Hoc autem

(1) Vide S. Hieronym. Comm. in c. 42, Isaiæ l. 12.

(2) "Jam ad te venio, sancte Apollo, qui umbilicum certum orbis terrarum absides, unde superstiosa primum sæva evasit vox fera. Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis, et quæ ad dialecticam deferenda sunt." Cic. Div. l. 2.

potest intelligi de vaticiniis quæ edidit propheta, adhuc veri Dei cultor, quæ ei deinceps ad idolatriam delapso non possent suffragari, nec enim in confirmationem hujusmodi cultus edita fuerant. Quod si quis velit ea edita intelligere ad falsum cultum commendandum, ex brevi temporis intervallo quod intercessit inter vaticinia et eventus, datur probabilis suspicandi ratio humana potius sagacitate vel ex scientiæ naturalis principiis hos fuisse prævisos. Quoties autem aliqua suppetit ratio dubitandi de divina vaticinii origine, nequit certum præbere argumentum.

C. V. DE HISTORICA PENTATEUCHI AUCTORITATE.

Vaticiniis et miraculis revelationem probabimus, si prius librorum in quibus referuntur authoritatem vindicaverimus: non enim nisi authenticis documentis prolatis aliquid est certo affirmandum. Cæterum opus non est divinam Scripturarum inspirationem statuere ut certas inde desumamus probationes, si enim eas *humanam* et *historicam* mereri fidem constet, quæ iis continentur vim probandi habeant necesse est. Ea autem fides tribuitur scriptori cuicumque probo et perspicaci ea referenti quæ ipse certo novit, vel quæ ex certis fontibus hausit. *Oculato testi* plena plerumque debetur fides narranti quæ vidit, nisi de ejus integritate ratio occurrat dubitandi, vel eum hallucinatum esse verosimile sit. Pro rei tamen natura assensus magis vel minus firmus est; si enim consuetum rerum ordinem narratio haud excedat, facilem obtinet fidem: si vero res sit maximi momenti, et præsertim extra consuetum rerum ordinem, vix unius scriptoris auctoritas valebit, nisi integerrimus et sagacissimus noscatur, adeo ut nulla subsit suspicio vel fraudis vel erroris. Sciptor *coævus* oculati testis fere obtinet auctoritatem, si in regione in qua res gestæ dicuntur, eas tamquam compertas et indubias narret, nemine contradicente, vel saltem narratione apud plurimos recepta, nulla sui utilitate, nulloque partium studio. Historici autem qui priorum sæculorum narrationem texit, fides pendet ex subsidiis quibus usus est ad veritatem detegendam: si enim publicis monumentis, et certa et constanti gentis traditione nitatur, non erit facile dubitandum de rebus relatis: secus si nullum ei præsto fuerit documentum, vel vagos secutus fuerit rumores. Magnum accedit auctoritatis pondus scribenti historiam, si in lucem edita ipsâ qua supersunt testes oculati ætate, eorum firmetur assensu, aliis etiam, veritate comperta, ad assensum adductis, præsertim si ingrata et invidiosa narrentur. *Privati* tamen scriptoris opera vix unquam eam sibi vindicant auctoritatem, quæ publicis scriptis debetur, iis scilicet qui auctoritate publica edita sunt, et fide plena munita. Sic reipublicæ vel regni *annales* notariorum publicorum, vel aliorum hujusmodi scriptorum opera exarati, et in cœtibus solemnioribus totius populi palam lecti, et magna diligentia et solicitudine custoditi, longe majorem plerumque postulant fidem, quam privata quæcumque scripta: nec enim verosimile est mendacium tam impudenter proponi, vel errorem haud detegendum.

Leges etiam palam latæ et promulgatæ, quæ fundamentum sunt et nexus totius societatis, quibus reguntur judicia, et jura singulorum servantur, magnam habent auctoritatem, eæ præsertim quæ formam statuunt et ordinem reipublicæ, quæque omni tempore manent inconcussæ. *Liber cultus solemnis*, in normam Religionis adhibitus, quo sacra et divina quæque sanciuntur, nulla humana auctoritate violanda, vel mutanda, habet magnam probandi vim, ubi de ritibus agitur, vel de animi sententia, quæ cultus sit fundamentum.

Illud inter *privata* et *publica* scripta discrimen manifestum intercedit, quod privata ex scriptoris dotibus præsertim pendeant; ex æqualium fide et extrinsicis monumentis magnam aliquando mutuantia auctoritatem: *publica* vero totam fere nationem vadem habeant, testem, et custodem, et summam proinde plerumque mereantur fidem, in iis saltem in quibus gentis gloriæ studio, vel utilitatis, veritatem prodi nulla subest suspicandi ratio.

Ut fides scripto alicui tribuatur, *authentia* ejus innotescere debet, *authenticum* autem habetur opus quod a certo aliquo autore prodiit, vel indubio quodam fonte. Sunt quidem opera *anonyma*, quæ, scriptore nomen celante, prodierunt, vel quærum auctor temporum injuria oblivioni est datus, scripto tamen servato. Hujusmodi opera *authentica* merito æstimantur, si de auctore, *in genere*, ut aiunt, constet, eum scilicet fuisse aliquem fide dignum, quadam circiter ætate, et quadam in regione florentem; nec opus est ut singula accurate definiantur. Nullum autem opus *authenticum* dicitur, qui falso certi alicujus Scriptoris præsefert nomen, ejusque fœtus prædicatur. *Authoritas* publicorum Scriptorum ex notitia auctorum non pendet, nam nomine reipublicæ edita publicam secum afferunt fidem et auctoritatem. Sic nil interest quis præcipue *declarationem independentiæ Americanæ*, vel *Constitutionem Generalem exaraverit*, nationis enim auctoritate munitur. *Authentia* autem exigit ut scripta illa ad suam referantur originem. Sic *decretales epistolæ*, veterum pontificum nomine ab Isidoro mercatore confictæ, auctoritatem obtinuerunt, ex usu et sanctione conciliorum et Pontificum per aliquot sæcula, sed *authenticæ* evadere nequiverunt. *Fides historica* scriptorum publicorum *ex authentia* maxime pendet, vehemens quippe est præsumptio falsum nihil publicis et solemnibus documentis inseri: sed admitti possunt exceptiones, quibus fidei documentorum detrahatur. *Integritas* scriptorum etiam necessario statuenda est ut iis constet auctoritas, quippe eadem nobis exhibenda sunt quæ ab auctoribus prodierunt. Nec tamen leve aliquod mendum fidem prorsus tollit, dummodo substantiam narrationis illæsam esse pateat.

Quinque priores libri Scripturæ, qui apud Judæos et Christianos obtinent, *Pentateuchus* græco nomine vocantur, et Mosi tribuuntur qui anno 2553 obisse creditur. *Genesis* conditi mundi et rerum gestarum præcipuarum narrationem exhibet usque ad Josephi in Ægypto mortem: *historia* proinde est vetustissima. *Exodi* liber, populi Israelitici ex Ægypto libe-

rationem, Moyse duce, narrat, aliaque quorum ipse pars fuit magna. *Leviticus* legum est codex. *Numerorum* liber populi continet censum. *Deuteronomium* est legis iteratio. Nec tamen hæc rerum distinctio ubique servatur, res enim gestæ plerumque legibus immiscentur. Hos libros quum Deistæ totis viribus impugnent, præstat imprimis vindicare.

Pentateuchum a Moyse conscriptum fuisse constans fuit Judæorum et Christianorum traditio: recentioribus autem nonnullis placuit eum, vel omnem, vel magna ex parte ei abjudicare; *Thomas Hobbes* quippe vix aliquid præter legum codicem a capite decimo Deuteronomii, usque ad finem capitis vigesimi septimi ab eo scriptum putat;[1] *Joannes Godofredus Hasse* exilii Babylonici tempore e monumentis veteribus Pentateuchum compositum arbitratur, Mosaicis commentariis, quicumque fuerint, admodum mutatis;[2] *Gesenius*, nonnisi post reditum e Babylonia libros Pentateuchi ad præsentem redactos formam opinatus est.[3] *Carolus Franciscus Volney* Pentateuchum Helciæ aliorumque opera concinnatum, annuente Josia, statuit, unde locus fabulæ de libro legis invento;[4] quod Paine etiam affirmat. Vanis his et impiis somniis et commentis postpositis, cum tota antiquitate Pentateuchum Moysis opus agnoscimus.

Prop. 1. Pentateuchus Moysen habet auctorem.

Prob. 1. *Ex Israeliticæ gentis constanti traditione:* nec enim facile potuit error de auctore operis tanti momenti induci, historia quippe est, quæ publicorum annalium habet rationem, et in cætu omnium legi consuevit: legum est codex, quibus nitebatur societas et politia Judæorum, et quæ norma erant cultus. Concors igitur omnium de auctore sententia ad ea necessario referenda est tempora, in quibus societas ea donata est forma, et cultus primo solemniter est peractus, scilicet ad Moysis ætatem.

Prob. 2. *Ex auctoris ipsius testimonio.* Sœpissime in ipso opere dicitur Moyses scripsisse carmina, res gestas in libro בספר,[5] articulo librum specialem indicante. De tota lege dicitur:[6] "Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus," et "Scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit. Præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium."[7] Manifestum est auctorem Moysen exhiberi: nec aliqua sinit ratio ut de ejus testimonio, a tota gente agnito, dubitetur: inverosimile

(1) Hobbes in Leviathane, Lond., 1651, p. 3, c. xxxiii.

(2) Hasse in libro: Aussichten zu künftigen Aufklärungen über das alte Testament, in Briefen, Jen. 1785. 8 Epist. iv., vii.

(3) Gesenius in Comment. de Pentat. Sam., p. 6–8.

(4) Volney, Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne, p. 1, c. 6, 7, 8. p. 59.

(5) Exod. xvii. 14, Vide etiam Exod. xxiv. 4–7, xxxiv. 27. Num. xxxiii. 1–2, xxxvi. 13. Deut. xxviii. 61.

(6) Deut. xxxi. 9.

(7) Ib. v. 123.

quippe est ignotum quendam Moysis nomine potuisse efficere, ut sui ingenii figmenta juxta arcam solemniter collocarentur.

Prob. 3. *Ex Scriptorum Judaicorum testimonio*, omnes quippe Moysis nomine legem laudarunt. Josue statim post Moysis obitum præceptum est: "Confortare igitur, et esto robustus valde; ut custodias, et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo."[1] Passim in omnibus libris Moyses memoratur, vel quæ pentateucho continentur celebrantur; et Vates præsertim in eo studium collocant ut omnes ad legem observandam, prout a Moyse est data, inducantur. Varia autem opera quæ sacrorum librorum Veteris Testamenti catalogo continentur, a diversis scriptoribus, variis temporum intervallis, exarata, legenti patet. Vis igitur magna in tot scriptorum consensu est pomenda.

Prob. 4. *Ex intrinsecis indiciis.* Pleraque libris quatuor posterioribus relata vix poterant nisi a Moyse vel alio, ipso dictante, scribi: leges enim tot, et adeo minutæ nonnisi a legumlatore, vel ejus scriba, referri potuerunt: singula incœpta, itinera, resque gestæ, locis temporibusque designatis, adeo accurate enarrari ab alio nemine quiverunt. Posterioris ætatis scriptor profecto haud potuisset omnia ita describere. Quod vero pertinet ad Genesim, caput est cæterorum, qui absque primo illo libro manci videntur et *acephali*, adeo ut necessario ad unum referantur auctorem.

Prob. 5. *Ex Ethnicorum Scriptorum testimoniis*, hi enim de Moyse duce et legumlatore Israelitico loquuntur. Tacitus, Dion Cassius, Juvenalis, aliique plures a Huetio relati[2] consuli possunt. Celsus, Porphyrius, aliique revelationis hostes id pro indubio habuerunt.

Licet igitur Augustini uti interrogatione: "Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibi succedentium contestatione continua?"[3] Profecto longe majora suppetunt testimonia pro Pentateucho Mosaico.[4]

Obj. Auctor pentateuchi de Moyse in tertia persona loquitur, eum mitissimum prædicat, ejusque mortem refert. Ergo alius ab ipso fuit.[5]

Resp. Non est inusitatum Scriptoribus qui res gestas referunt quarum magna pars erant, de se in tertia persona loqui, uti apud Cæsarem et

(1) Jos. i. 7, 8. Vide etiam xxiii. 3, 16. xxiv. 26. I Reg. ii. 3. II Reg. xiv. 6. II Par. xxxiv. 14.

(2) Prop iv. c. 2.

"Judaicum ediscunt, et servant, et metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses."

Juven. sat. 14, *v.* 101.

(3) Aug. contra Faustum lxxxiii. c. 6.

(4) Vide Bergier traité de la Religion, t. iv., art. 2, et Rosenmüller Prolegomena in Genesim.

(5) Paine, *Age of Reason*, part II. Auctor hic tantum repetit objectiones quas a Deistis Gallis didicerat.

Xenophontem videre est. De sua mansuetudine mentionem fecit Moses, nequaquam laudes suas prædicando, sed ut ostenderet nullam a se offensionis causam Mariæ sorori suæ ut murmuraret datam. Mortis narratio quæ claudit pentateuchum a scriptore libri Josue addita merito censetur, seu potius ab initio sui libri abstracta: si enim tamquam initium libri Josue legatur, optime cohærebunt quæ sequuntur: "Et factum est post mortem Mosis."

Obj. 2. Scripsit Deuteronomii auctor in terra Chanaan, dicit enim: "hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem.[1]

Resp. Vox Hebraica בְּעֵבֶר potest reddi *trans* vel *citra:* prætulit antem interpres Græcus et Latinus priorem significationem, quia plerumque intelligitur in scripturis ratione habita terræ Chanaan: cæterum accuratius redditur hoc loco citra. Nec ideo acrem meretur censuram alia versio, quæ lectori obvium præbuit sensum. Immerito igitur Horne eam erroris incusat.[2]

Obj. 3. Plura locorum nomina in Pentateucho reperiuntur, quæ ex aliis libris constat nonnisi post Mosis tempora iis tributa: sic Lot dicitur captivus abductus usque Dan,[3] constat tamen ex libro Judicum[4] urbem Lais hoc nomen obtinuisse, Josue jam defuncto. Hebron nominatur,[5] quæ urbs ad Josue tempora Cariath-Arbe vocabatur. Joseph vocat Chanaan terram Hebræorum, quod nomen nonnisi ea occupata ab Hebræis usurpari potuit. Galgala nominatur,[6] et tamen nomen Josue temporibus primum obtinuit.[7]

Resp. Si supponatur nomina illa fuisse claritatis causa veteribus suffecta a scriptore recentiore, nihil inde contra Pentateuchi authentiam sequetur. Cæterum non constat ea non obtinuisse Mosis temporibus, quamvis eadem aliis locis postea tributa sint, vel confirmata ex rei alicujus eventu. Re quidem vera fluvius Jordanis a rivulis Jor et Dan confluentibus, etiam Mosaica ætate vocabatur; nec opus est ut oppidum objecto loco intelligamus. Antiquum Hebronis nomen Cariathe-Arbe apud Josue[8] dicitur, nec tamen constat novum nomen tunc primum usurpari cæpisse. Certe eo nomine vocatur apud Josue ipsum antequam Caleb donaretur.[9] Filius Caleb nomen ab urbe potiusquam urbs ab ipso accepisse videtur. Hebræi, scilicet *transeuntes*, (juxta vim vocis) Abraham ejusque posteri vocabantur, quia ipse transierat ex Mesopotamia ad terram Chanaan, quæ ideo hoc nomine a Joseph appellari potuit. Galgalæ nomen datum a Josue liquet, occasione circumcisionis qua Israelitis ablatum est opprobrium: sed nihil vetat alium jam fuisse locum eo nomine designatum.

Obj. 4. Pentateuchi auctor notat Chananæos tempore Abrahæ fuisse in terra ad quam ipse, Deo jubente, migravit,[10] quos igitur jam non esse tempore quo scriptus est liber colligere pronum est.

(1) Deut. c. i.
(2) Introduction ch. ii. s. 1, p. 64.
(3) Gen. xiv. 14.
(4) Jud. c. xviii. 29.
(5) Gen. xxxv. 27.
(6) Deut. xi.
(7) Josue v.
(8) Josue xiv.
(9) Josue xi. xii.
(10) Gen. xii. 6.

Resp. Id adnotatum est ut Chananæos jam eo tempore illius terræ incolas esse intelligeretur, quum eam non ita pridem invasissent: quod ostendit Abrahæ promissam terram, ab ipsis occupatam, ut sic fides ejus excerceretur.[1]

Obj. 5. Octo recensentur reges qui in terra Edom regnarunt antequam Israelitæ haberent regem.[2] Deinde undecim duces numerantur. Ergo scribente auctore Israelitæ jam regem obtinuerant, et longum effluxerat spatium.

Resp. Regis nomine מֶלֶךְ rector quivis populi nonnumquam intelligitur: quapropter et Moyses fuit eo nomine designatus.[3] Ab Esau autem temporibus usque ad Mosen ducenti quum effluxerint anni, octo regnare potuerunt reges: duces autem vel sub regibus provincias gubernabant, vel post reges, quin successio longa fuerit: uti colligere est ex ipso loco: "Hæc nomina ducum Esau in cognationibus, et locis, et vocabulis suis: hi duces habitantes in terra imperii Edom." Ideo autem adnotatum est reges ducesque Idumæos extitisse antequam Israelitæ rectorem haberent, ut quo minus verosimilis promissionis Jacobo factæ quod Esau ei inserviret impletio videretur, magis foret admirationi.

Obj. 6. Lectus Og, Basanitici regis, apud Ammonitas in Rabbath servatus dicitur: id autem vix a coævo Scriptore adnotari potuit, quum lectum illum nonnisi post plures rerum vices ad Ammonitas devenisse verosimile sit: nec necesse fuit argumentum illud staturæ immanis Og indicare, Israelitis enim, qui plerique eum mortuum viderant, res erat explorata.

Resp. Coævus auctor rei pene ultra fidem argumentum indicavit, quum posteris præsertim scriberet. Quo autem rerum eventu lectus ad Ammonitas devenerit nescimus, sed diuturni temporis spatium non necessario requiritur.

Obj. 7. Helcias pontifex librum legis in domo Domini reperisse narratur, quo lecto Josias rex populusque ad vehementem de ea violata dolorem moti sunt. Fieri autem potuit ut Helcias finxerit, et Mosis nomine sua scripta vulgaverit.[4] Id saltem manifestum videtur per magnum temporis spatium librum illum latuisse.

Resp. Liber qui in templi adytis scrutandis ab Helcia repertus est ipsum Mosis autographum videtur; "reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysi."[5] Illud juxta arcum positum erat,[6] sed Manassis impii temporibus in secretiorem templi locum reconditum, testante Josepho.[7] Nec mirum ex ejus lectione vehementem de peccatis dolorem

(1) Abbadie, Traité de la vérité de la Religion Chrétienne, t. 1, ch. 9, p. 244.
(2) Gen. xxxvi. 31.
(3) Deut. xxxiii. 5.
(4) Ita post alios Paine, Letter to Mr. Erskine, p. 56—7.
(5) II. Par. xxxiv. 14.
(6) Deut. xxxi.
(7) Antiq. l. x. c. 3.

excitatum, nam Moses veluti redivivus loqui visus est. Innotuisse autem jam quæ eo continebantur ex aliis exemplaribus, liquet, quum prophetæ consueverint populum ad legem Mosis servandam crebris monitionibus revocare, et totius reipublicæ et Ecclesiæ Judaicæ regimen et politia ea niteretur.

Obj. 8. Esdras dicitur scripturas deperditas divino instinctu restaurasse.[1] Ergo pentateuchus quem habemus Mosen non habet auctorem.

Resp. Apocryphus ille liber nullam meretur fidem: verosimile quidem est Esdram in unum collegisse exemplaria sacrorum librorum, et codicem veluti texuisse. Cæterum nemini facile persuadebitur libros stylo adeo discrepantes, et temporum quæ referunt exprimentes imaginem, ab uno prodiisse scriptore. Præterea Samaritani ab Esdra Pentateuchum certe non acceperunt, quum jamdiu ab omni Judæorum consortio abhorrerent; ipsi tamen codicem quinque Moysis librorum semper habuerunt, qui proinde diu ante captivitatem, et ante divortium regni sub Roboamo agnoscebantur. Quod autem libros hos a Sacerdote e Babylonia misso ad incolas novos Palæstinæ edocendos Dei veri cultum, prodiisse suspicetur *Joannes Clericus*[2] absonum est: nec enim Samaritani, nec Judæi, libros sic confictos excepissent. Profecto diu antea, ab ipso defectionis Israeliticæ a regno Judaico tempore, consueverunt prophetæ Samaritanos ad cultum in lege Moysis præscriptum revocare: quod argumento perspicuo est Mosaicos libros jam innotuisse.[3]

Obj. 9. Ex appellationibus Dei in diversis Geneseos partibus adhibitis, liquet librum illum ex plurium scriptis esse consarcinatum. In creationis narratione *Elohim* vocatur, ad quartum usque versiculum secundi capitis. *Jehova Elohim* deinceps nominatur, dum fusior conditi hominis datur relatio, aliunde petita, ejusque lapsus et pœna narrantur. Capite quarto *Jehova* inducitur, Cani et Abelis relatis fatis. *Elohim* iterum in Noachida historia.

Resp. Etsi daremus Mosen usum fuisse antiquioribus scriptis in temporum quæ præcesserant concinnanda historia, opus tamen ejus agnoscendum foret, quippe qui ea in unum colligendo sua fecit. Cæterum illud appellationum discrimen non servatur constanter; nam in narratione de diluvio, etsi plerumque *Elohim* usurpetur, *Jehova* tamen versiculo octavo capitis sexti vocatur, et 1, 5, versiculis cap. vii., utroque autem nomine vicissim versiculo 16. Sic etiam in narratione de Isaaco *Elohim* prius, *Jehova* postea dicitur. Nihil igitur certi ex variis illis vocabulis deduci potest.[4]

(1) Esdræ l. iv. 14.

(2) Sentimens de quelques Théologiens d'Hollande, sur l'histoire critique du V. T., Amsterdam, 1685.

(3) Rosenmüeller, Prol. ad Pentateuchum, § vi.

(4) Sententia Mosen documentis aliis, et quidem antiquissimis, usum esse apud recentiores obtinuit. Vide, Janssenns, Herm. Sacra, C. iii., §. iii., p. 95., t. 1. Rem ad evidentiam pene deductam habet Wiseman.

Obj. 10. Repetitiones, inscriptiones frequentes singularum pericoparum cum clausulis, discrepantes narrationes, styli diversitas, aliaque plurima indicia passim in Pentateucho occurrunt auctorum diversorum.

Resp. Pleraque hujusmodi referenda sunt ad perspicuitatis studium, vel veterem styli simplicitatem, vel varia rerum adjuncta in quibus fusius vel arctius res erant enarrandæ. Nulla autem occurrit discrepantia inter narrationes, quamvis difficultatem aliquando faciat diversus narrandi modus. Stylum autem scribentis variari pro rerum varietate mirum non est, quæ enim a vetustis sæculis superest rerum memoria brevi narrationi plerumque præbet locum: fuse autem exponuntur quæ quisque videt gessitque ipse, quæve aliis concionando tradidit. Moyses igitur historiam scribens, vel jura dans populo, stylo diverso usus est.

Obj. 11. Voces Hebraicæ eædem occurrunt eadem forma in pentateucho ac in libris post mille annos a Moyse exaratis, sub tempus captivitatis Babylonicæ: at verosimile non est linguam per spatium illud temporis nullam subiisse mutationem.

Resp. Occurrunt quidem vetusti ævi vestigia in Pentateucho, nam נַעַר et הוּא de fœminis et maribus usurpatur,[1] et ה tertiæ personæ femininæ pluralis numeri futuri deest תִּהְיִינָה[2] et ה locale sæpius occurrit quam in reliquis libris. Cæterum linguæ illæ in quibus vocales litteræ non ponuntur, minus cæteris variantur. Lingua Arabica hodierna parum differt ab ea quæ in Corano usurpatur, et vetus Syriaca N. T. versio, Peschito dicta, concordat cum idiomate Syriaco ab Abulpharagio post multa sæcula adhibito. Cæterum forma litterarum est variata, nam Samaritani Pentateuchum habent vetustis characteribus descriptum, Judæis recentiorem formam a Babyloniis mutuatis.

Integritas librorum ut jam indicavimus, in eo est posita quod ea serventur conditione qua sunt exarati, absque ulla graviori menda, vel lacuna: mendæ quippe leviores facile occurrunt, nec detrahunt integritati, substantia librorum illæsa manente. In exscribendis libris Moysis, cæterisque sacris libris, errore vel incuria Amanuensium leves sæpius contigisse mendas in comperto est, *Kennicott* enim, collatis 581 codicibus, variantes lectiones magno numero reperit, quibus *De Rossi*, Italus Sacerdos plurimas, ex amplissima codicum collatione, 680 scilicet sibi undequaque comparavit, adjecit. Doctorum hominum est codicum Hebraicorum collatione, adminiculo etiam Samaritani codicis pentateuchi, et antiquissimarum Versionum adhibito, eam exquirere lectionem quæ verior sit, et primaria: librorum tamen integritas ex diligentiori hac indagine non pendet, quæ potius ad earum perfectionem est referenda. Fuerunt qui dicerent Judæos libros sacros vitiasse, ut Christianis eriperent arma: sed recentioribus plerisque benignior arrisit sententia, quæque occurrunt mendæ in codice Hebraico, casu potius quam consilio inductæ habentur.[3] Cæterum ipsæ gravissimæ

(1) Gen. xxiv. 14. 17. 28. 57. 58. xxxiv. 3. 12. (2) Gen. xxvi. 35. xli. 36. xlix. 26.

(3) Vide opus Nicolai Wiseman "on the connexion between Science and Revealed Religion," Lecture the 10th.

mendæ quas Christiani nonnulli scriptores Judœis exprobrabant, voces quasdam vatum, et testimonia respiciebant: minime vero res gestas et librorum substantiam; adeo ut etsi arte fraudeve libri censerentur hac ex parte vitiati, partium studio, nihil inde *integritati*, de qua nunc agitur, decideret, manerent enim *facta*, et librorum substantia.

Prop. II. Pentateuchus Mosaicus quoad substantiam integer omnino est.

Prob. Ipsa Judaicæ gentis traditio et consensus de librorum Mosaicorum authentia, eorum integritatem demonstrat: nec enim facile menda gravior, substantiam librorum attingens, induci poterat, populo inscio, in libros juxta arcam servatos, palam lectos in cœtibus frequentibus, quorum etiam exemplaria apud rectores populi servabantur, et qui norma erant regiminis, et cultus: omnes autem consensisse de menda inducenda, vel toleranda,[1] inverosimile est, quum eos veluti divinitus exaratos agnoscerent. Porro multiplicata fuisse exemplaria occasione tribuum in captivitatem abductarum repetitis vicibus ab anno 740 ante Christum, in varias regiones, scilicet in Assyriam, Mediam, Babylonem, Ægyptum, liquet: quæ omnia vitiata, quin mendum innotuerit, vix credi potest.

Prob. 2. *Ex intrinsecis indiciis.* Pentateuchus historiæ continuæ, nullo hiatu, speciem præbet, iis tantum repetitionibus occurrentibus quæ styli vetustam simplicitatem redolent, vel monumenta diversa, quibus usus auctor, produnt. Leges sigillatim descriptæ et variis in rerum adjunctis inculcatæ reperiuntur: Nihil mancum videtur, quo rerum gestarum series interrumpatur, vel codex sit imperfectus. Ergo integrum ipsa veluti facie, se exhibet. Præterea ea in Pentateucho reperiuntur, quæ in Judaicæ gentis probrum maxime cedunt, quæ proinde delevissent Judæi, si codices vitiare tentassent. Liquet igitur id minime tentatum.

Prob. 3. *Ex Samaritani codicis consensu.* Samaritani a Judæis anno 3029 divulsi sunt: retinuerunt tamen Pentateuchum vetustis Phœnicum characteribus descriptum, qui, etsi mendis non careat, in narrationis substantia cum Hebraico textu optime concordat.

Prob. 4. *Ex plurimorum Codicum harmonia.* Mira quæ reperitur harmonia in rerum substantia inter omnes codices, quamvis numero maximo sint, levioribusque varietatibus distinguantur, argumento est manifesto substantiam integram servatam: ex collatione scilicet nulla in re alicujus momenti discrepantia inventa est; sed tota in literculis, punctis, vel vocibus levioribus constitit.[2]

Prob. 5. *Ex Græca versione*, tercentis ante Christum annis facta Alexandriæ, et septuaginta interpretum nomine celebri; cui adjicere licet alias Græcas versiones secundo post Christum sæculo, aliasque etiam Latina aliisve linguis. Versionum harum consensus in narrationis substantia vadimonium est certum integritatis.

Obj. Deut. xxvii. 4. In monte *Hebal* lapides erigendos et altare præ-

(1) Vide Josephum contra Apion. i. 8.

(2) Vide jam laudatum N. Wiseman opus, citata prælectione.

cipitur; *Garizim* autem vox sublata a Judæis videtur, ut Samaritanis cultus sui in monte Garizim patrocinium deesset.

Resp. Narrationis substantia integra manet, alterutra lectione adhibita: nec interest utrum Samaritani vel Judæi ex industria textum mutaverint, vel casu contigerit varia illa lectio, quæ nullius est momenti.[1]

Obj. 2. Characterum mutatio sub captivitatis Babylonicæ tempus verborum aliquam mutationem, quæ sensum et substantiam librorum afficiat, induxisse censenda est. Insuper vocalium litterarum defectu, vocum ambigua sæpius redditur significatio.

Resp. Ex litterarum forma mutata vocum quas exprimebant nulla facta est mutatio, uti conferenti Samaritanum et Hebraicum codicem liquet. Vocalium autem defectus in paucis vocibus ambiguitatem interpreti posset parere, sed plerumque nullam facit difficultatem. Præterea de libri integritate nunc agitur, non de interpretis successu felici.

Obj. 3. Chronologia Pentateuchi valde implexa est, nam Hebraicus a Samaritano codice, Græca interpretatio ab utroque valde discrepat, adeo ut juxta Hebraicum codicem diluvium an. 1656, juxta Samaritanum an. 1307, juxta septuaginta an. 2242 contigerit. Ea igitur ex parte Pentateuchus integer non est.

Resp. Discrepantia illa substantiam, de qua agitur, non respicit, res enim gestæ eædem ab omnibus referuntur, licet diversum aliquando nativitatis tempus, diversum temporis vitæ spatium recenseatur. Quo autem pacto hæc numerorum confusio contigerit, et qua ratione texenda sit chronologia, docti homines in varias abeunt sententias, plerisque eam quæ in Hebraico textu reperitur probantibus annorum recensionem, cui suffragantur paraphrasis Chaldaica Onkeli, Versio Arabica et Syriaca, quamque sequitur Vulgata. Chronologiam Samaritani codicis cum Hebraica concordasse temporibus Origenis et Hieronymi ex eorum testimoniis constat.

Obj. 4. Cainan ante Sale in Septuaginta versione, et apud S. Lucam memoratur c. iii. 36, qui tamen in Hebraico textu deest.

Resp. Sive redundet nomen illud apud Septuaginta interpretes, sive deciderit ex textu, non periclitatur narrationis substantia. Cæterum videtur redundare, nam in Samaritano deest codice, in Syriaco, et Arabico, et in Flavio Josepho et Philone. Quod autem apud S. Lucam reperiatur, errori alicujus amanuensis tribuitur, habetur quippe codex manuscriptus Cantabrigiensis S. Lucæ in quo deest.

Obj. 5. Deut iii. 14. "Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri et Machari. Vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jair, id est villas Jair, usque in præsentem diem." Clausula postrema denotat auctorem Jair temporibus longe posteriorem.

Resp. Etsi daretur voces illas a posteriori scriptore adjectas, et ex margine in textum translatas, maneret integritas libri. Cæterum consueverunt Hebræi iis uti de re haud diu antea gesta.[2]

(1) Vide Jahn p. 65, Einleitung.

(2) Vide Deut. x. 8. Josue ix. 27, xv. 63. Bergier t. iv. ch. 2. § 22.

Vera esse quæ pentateucho continentur invictis demonstratur argumentis: præstat autem ea quæ ex majorum suorum traditione derivata sunt, ab iis quæ Moses ex propria scientia testatus est, distinguere, ut argumentorum vis apprime intelligatur. Genesis liber illa, cæteri quatuor hæc complectuntur. Nulla quidem de his moveretur lis, si consuetum rerum ordinem non excederent; sed quum pleraque ejusmodi sint quæ naturæ vires omnino superant, qui revelationi per Moysem traditæ repugnant, nihil non faciunt, ut iis fidem detrahant. Cæterum ipsa miracula a Mose relata eam habent historicam certitudinem qua nulla major, adeo ut fidem mereantur, et cæteris quæ narrat fidem concilient.

Prop. 3. Quæ ex propria scientia refert Moses maxima gaudent historica certitudine.

Prob. Scriptor morum integritate insignis, qui gravi et simplici stylo ea narrat quorum magna pars ipse erat, quæque publice sunt gesta, toto fere populo inspectante, maximam meretur fidem, quando populi assensu narratio excepta, et publicis monumentis etiam consignata est: hæc autem omnia de rebus a Mose gestis et relatis affirmari possunt: summa igitur fides iis debetur.

Equidem Moses, ex Judaicæ nationis traditione, summa gaudet fama ob virtutes, et ex suis etiam scriptis integerrimus facile noscitur. Stylus ejus gravis est et simplex, nullo ostentationis vel artis indicio, adeo ut ipsa veritas se exhibere videatur. Tota narratio cohæret, omniaque sibi sunt consona. Pleraque in conspectu omnium gesta referuntur, vel saltem iis patefacta indiciis quæ omnem deceptionem amovent. Passim monumenta erecta, festa instituta, ritusque celebrati ad memoriam rerum gestarum adnotantur. Nec blanditur autor Israelitis; sed vitia eorum, et majorum suorum exprobrat, et plurima quæ nationi fœda et infausta haberi merito possent, refert. Israelitæ nihilominus historiam plena fide exceperunt, et magno custodierunt studio, ut veram, imo numine illustrante scriptam. Liquet igitur maximum fidei historicæ gradum Mosaicam narrationem attigisse.

Obj. Mirum non est Mosen, qui cives suos ex Ægypto eduxit, rebus vere gestis plurima admiscuisse mira, ingenio conficta, ut se divinitus missum suaderet. Rem exponit Tacitus, veterum auctoritate nixus: "Plurimi authores consentiunt, orta per Ægyptum tabe quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum ut invisum diis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus postqam vastis locis relictum fuit, cæteris per lachrymas torpentibus, Mosem unum exulum monuisse, ne quam Deorum hominumque opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet ut duci cœlesti crederent."[1]

Resp. Quæ a coevo auctore, oculato etiam teste, referuntur, et plena

(1) Tacitus, l. v. hist. c, 3.

fide ab iis qui testes etiam oculati fuerunt, excepta sunt, non sunt vanis conjecturis infirmanda. Quod Tacitus narrat, ostendit exitum Israelitarum Mose duce, ex Ægypto fuisse concordi etiam Ethnicorum consensu celebratum, quamvis, suis superstitionibus studentes, adjuncta rei haud accurate exhibuerint. Quis tamen non videt Mosaicam de plagis Ægyptiacis narrationem illo Taciti testimonio roborari?

Obj. 2. Si res adeo miræ et publicæ contigissent, exteris etiam innotuissent nationibus, quæ proinde eas in suis regestis vel monumentis reliquissent signatas: silet vero omnis historia, nullumque vestigium tot ac tantorum reperire est.

Resp. Pleraque eorum quæ refert Moses apud Israelitas contigerunt, quorum notitiam exteros haud habuisse mirum non foret. Præterea nullus superest scriptor historiæ profanæ Herodoto prior, qui mille annis Mose posterior est. Artapanus autem, Diodorus Siculus, Justinus et alii de Mose faciunt mentionem, quem etiam Plinius et Apuleius tamquam magum celeberrimum notant. Vestigia etiam plurima eorum quæ Moses refert apud plerasque nationes diligentius inspicientibus apparent, uti docte et ingeniose ostendit Huetius.

Obj. 3. Israelitæ ipsi rebus gestis Mosis non videntur adhibuisse fidem: nam levi qualibet ex occasione murmurabant, et Mosen, imo Deum ipsum rejiciebant; quod vix contingere potuit, si tanta prodigia ipsi nossent facta. De eorum incredulitate questus dicitur Deus: "Usquequo non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis?"[1]

Resp. Mira quidem animi levitate Israelitæ a Deo deficere solebant in eo per desertum itinere, vel saltem in querelas erumpere, Mosemque suis lamentis fatigare: inde autem confici nequit ipsos prodigiorum quæ narrantur non fuisse testes, nam pertinacis animi et ad motus rebelles proclivis eos fuisse liquet ex tota rerum gestarum serie. Quum igitur gravi premerentur sæpius rerum inopia, et plurima paterentur itineris incommoda, non adeo est mirandum, eos sensuum delectationi, cibo potuique inhiantes, graves in Mosem effudisse querelas. Quod autem divino cultu abjecto, vitulum conflatilem adoraverint semel, factum est ob diuturniorem Mosis absentiam, quem e vivis sublatum putarunt, unde facile ad imitationem Ægyptiacæ idololatriæ, (apud Ægyptios quippe *Apis*, bovis figura, colebatur), delapsi sunt. Qui animo consideraverit populum vix e servitute creptum, et in deserta loca deductum, inopinato ducis præsentia per quadraginta dies destitutum, et veluti omnino derelictum, fidem haud recusabit narranti eum, prodigiis quæ viderat postpositis, visibilem deum, instar aliorum populorum, colendum quæsiisse. Omnis quidem idolorum cultus adeo rationi repugnat, ut vix credi posse videatur homines unquam eum exercuisse; quod autem id paulo post stupenda visa prodigia exercuerint, etsi mirum magis, non tamen penitus ultra fidem. Præterea confirmatur narratio Mosaica ex

(1) Num. xiv.

illa quam describit populi levitate, pervicacia, et rebellione, quum Israelitæ, nonnisi manifesta rerum certitudine coacti, eam excepisse censendi sunt. Cæterum objecto loco Deus Judæos suæ promissioni eos in terram Chananæorum inducendi non credere questus est, sed non innuit eos signis ipsis, seu miraculis, non credere.[1]

Obj. 4. Moses sæpius secum pugnat, narrat enim,[2] omnia animantia Ægyptiorum peste periise, postea tamen animantia in agris grandine dicit occisa;[3] denique equitatum magnum a Pharaone eductum ut Israelitas persequeretur.[4]

Resp. Omnia quæ peste perierunt Ægyptiorum fuerunt animantia, "de animalibus verò filiorum Israel nihil omnino periit."[5] Jumentis in agro grandine percussis, equorum in stabulis et urbe magna copia incolumis mansit. Præterea voces illæ plurima, non universa prorsus designant ex communi loquendi usu.

Veritate rerum gestarum suo tempore quas refert Moses statuta, de vi probandi divinam ejus legationem, quam habent, agendum est; pendet quidem ex earum natura, si enim superent vires creatas, nonnisi numinis speciali impulsu et auxilio factæ intelligantur necesse est; adeo ut Deus hac ratione missuma se Mosen hominibus testatus sit, eumque veritatis divinitus revelatæ præconem et interpretem constituerit.

Prop. IV. Plurima quæ refert Moses, naturæ ordini utpote contraria, divinam virtutem necessario exigebant.

Prob. Plagæ quæ, Moysis veluti nutu, Ægyptum afflixerunt, consueto rerum ordine non continentur: aquarum in sanguinem per totum Ægyptum mutatio, Mose virgam extendente, sciniphum multiplicatio, pulveris pugillo per aerem sparso; primogenitorum Ægyptiacorum mors simultanea, salvis Israelitis. Multo magis naturæ ordinem transgreditur aquarum, muri instar, utrimque acervus, alveum maris rubri transeuntibus Israelitis; aquæ e rupe virgæ percussione eductio; mannæ singulis diebus, sabbato excepto, per quadraginta annos in solitudine delapsus; terræ hiatus ut Core, Dathan et Abiron cum suis perituri, delicti luerent pœnas; plurimaque alia, nulli naturæ legi, nec human ævi, tribui possunt, sed divinam plane indicant virtutem. Jure igitur optimo Moyses ea urgebant momenta, ut Dei, cujus potestate agebat, amorem populo insinuaret: "Ama itaque Dominum Deum tuum, observa præcepta ejus et cæremonias, judicia atque mandata omni tempore. Cognoscite hodie quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus, et robustam manum, extentumque brachium, signa et opera quæ fecit in medio Ægypti, Pharaoni regi, et universæ terræ ejus, omnique exercitui Ægyptiorum, et equis ac curribus; quomodo operuerint eos aquæ maris rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in præsentem diem: vobisque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum, et Dathan et Abiron filiis

(1) Vide, Spedalieri, ref. Gibbon, s. i. c. 1. p. 78.
(2) Exod. 9. 6.
(3) Ib. v. 19, 25.
(4) Exod. c. 14. 7.
(5) Ex. 9. 6.

Eliab, qui fuit filius Ruben; quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus et tabernaculis et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit."[1]

Obj. Mira quæ Moses coram Pharaone patravit, divinam non exigebant virtutem, nam Magi Ægyptiaci fecerunt similiter, vel *sic* ut textus Hebraicus habet.

Resp. Quœdam ex iis quæ Moses fecit, imitati sunt Magi, seu dœmonis, cujus vires humanis longe sunt majores, opera, seu intuentium oculis hallucinatione facta, seu dolo adhibito, vel mira quadam dexteritate et celeritate rebus aliunde adductis. Quidquid sit, constat eos haud valuisse omnia quæ fecit ipse imitari, sed divinam agnovisse virtutem, ipsa rerum evidentia coactos; visis enim sciniphibus exclamarunt: "digitus Dei est hic."[2]

Obj. 2. Pleraque de plagis relata de peste in Ægypto orta sunt intelligenda; constat enim ex profanis historicis Israelitas ob luem grassantem ex Ægypto ejectos fuisse. Inter pisces prima quum pestis indicia data sint, fluvios omnes Ægypti aquasque omnes rubri factas esse coloris, poetico velut ornatu, narravit Moyses. Ranæ ex aquis infectis in terras prodeuntes, plagæ nomen dedisse videntur: sciniphes ex ovis in pulvere delitescentibus exorti, favente aeris calore, veluti divinitus immissi ad Ægyptios puniendos exhibentur. Ulcera hominum pecudumque gravia sunt facta, lue in dies magis grassante. "Locustas quandoque gregatim sublatas vento in maria aut stagna decidere," ex Plinio didicimus.[3] Tenebræ nihil aliud fuerunt præter densissimam nebulam. Primogeniti Ægyptiaci mortui dicuntur, quod qui ætate et loco essent conspicui, et in majori haberentur prœtio, peste sint sublati.

Resp. Hæc ingeniose finguntur, sed cum gravi et simplici Mosis narratione nullatenus possunt componi. Vaga illa et incerta profanorum traditio de ejectis ob morbum Israelitis, satis manifestam habet ad historiam Mosaicam relationem, quamvis, ut solet, a veritate aberret. Quos pestis veluti progressus notat nonnemo, Moses refert adeo ex ejus arbitrio pendere, ut virga in altum elata, plaga sit orta, et precibus deinceps fusis statim sit sublata: quapropter vel eum penitus fallere, (quod affirmari non posse probavimus,) vel res consueto rerum ordini penitus contrarias evenisse, dicendum est. Haud satis est unum aut alterum effectum quandoque ex causis naturalibus oriri posse, sed necesse est eum inde in iis rerum adjunctis revera ortum, ut ordine naturali contineri videatur.

Obj. 3. Maris rubri transitui juxta isthmum Suez, maris refluxus dedit locum: Ægyptii autem fluxu maris inopinatò aquis operti sunt. Audiatur Ethnicus scriptor, Artapanus: "Juædos multis ab Ægypto cum poculis, tum vestibus corrogatis, aliaque multiplice gaza, trajectis Arabiæ fluminibus magnoque confecto itinere, ad mare rubrum tertio demum die pervenisse: atque a Memphitis quidem ita rem narrari; Moysen totius regionis scien-

(1) Deut. c. xi. (2) Exod. viii. 8. (3) Plin. l. xi. 26.

tissimum, reciprocantis æstus tempore, sicco mari universam multitudinem transmisisse."[1]

Resp. Illa Memphitarum traditio quam profert Artapanus Mosaicam narrationem de transitu Israelitarum confirmat, quamvis siccati maris causam falso et inverosimiliter refluxum exhibeat. Quis sibi persuadebit Mosem potuisse ipsis Israelitis testibus, referre aquas a dexteris et a sinistris instar muri stetisse;[2] si tantum sensim sine sensu recesserint? Quis per brevissimum temporis spatium, perque alvei angustam partem, populum, qui facile vigesies mille hominum numerabat, transiisse credet? Quis sibi finget Pharaonem fluxum aquarum ignorasse, vel temere sese objecisse discrimini, neque auctis paulatim aquis littus tempestive petiisse? Hæc plurimaque alia obstant ne quæ scripsit Moses, verbis maxime perspicuis ac simplicibus, ad æstum maris referantur, quum semper tamquam mirandum maxime divinæ virtutis portentum a Mose ipso, et a sacris qui eum secuti sunt scriptoribus exhibeatur.

Obj. 4. Quæ in solitudine contigisse prodigia dicuntur, columna scilicet nubis die, ignis noctu speciem exhibens, mannæ delapsus, coturnicum copia, ad naturales possunt referri causas. Verosimile est Mosem igne accenso signi instar usum esse, indeque fumum exortum nubem habitum esse: manna in Arabia arboribus, plantis, ipsisque rupibus adhœret, soleque orto colliquescit: coturnices etiam sæpius consueverunt, magna copia, in eam regionem decidere, quibus ad satietatem manducatis, morbus morsque secuti plaga divinitus inflicta videbantur.

Resp. Non sufficit ut aliqua prodire potuerint ex naturalibus causis, si constet ea nullam habuisse hujusmodi causam. Profecto tota Mosis narratio ea quæ in solitudine evenerunt mira atque stupenda, divina virtute, specialique opera, contigisse testatur. Prædixit ea Moses, eaque designavit adjuncta quæ a consuetis eventibus omnino discrepabant. Si ignis a se accensus signum fuisset profectionis, vel castra metandi, numquid potuisset toti populo illud divinitus datum persuadere? Manna certe quod in Arabia invenitur, singulis diebus, nullo sabbati Judaici facto discrimine, reperire est, nec potuit Israelitas admiratione percellere, nisi prima qua illud viderint vice: sed quod iis cœlitus præstitum est sabbato haud decidebat, et plurimis rationibus a consueto distinguebatur.[3] Coturnices etiam ex naturali quacumque causa, certo quodam tempore, Mose orante et prædicente, decidisse, tanta copia ut per mensem integrum totus populus satiaretur, ultra fidem est. Plagæ autem, quibus murmurantes plexi sunt, omnino a ciborum satietate distinctæ fuerint necesse est, quum omnes eas divinitus immissas crediderint, rerum ipsarum evidentia procul dubio coacti. Ipsa quæ locis assignata sunt nomina, *scilicet*, *tentationis* et *concupiscentiæ*, testantur has pœnas divinitus irrogatas ab omnibus agnosci: quod vix fieri potuisset si ulla superesset ratio eas ad naturales referendi causas; optassent scilica Israelitæ probrum a se suisque majoribus amovere.

(1) Apud. Euseb. Præp-Evang. l. 9. c. 27. (2) Exod. 14, 22. (3) Exod. 16, 18.

Manifestum idcirco est Mosen simpliciter retulisse quæ omnem naturæ ordinem viresque longe superant, eaque plena fide ab Israelitis excepta, quamvis studium gentis majorumque gloriæ eos minus ad credendum disponeret.

Obj. 5. Aquarum e rupe eductarum prodigium poetico stylo a Moyse relatum a Tacito sic narratur: "Nihil æque Hebræos quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium ex pastu in rupem nemore opacam concessit; secutus Moyses conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperit."[1] Igitur vel hac ratione vel saltem virga divinatoria eas inventas licet suspicari.

Resp. Coævi Scriptoris oculatique testis narratio, gentis totius fide confirmata, non potest Taciti, qui fere bis mille annis posterior fuit, conjectura, vel relatione, incerta traditione innixa, infirmari. Quidquid sit de virga ad inveniendas aquas adhibita, de qua impræsentiarum haud agendum censuimus, nemo eas educi e rupe virgæ unica vel altera percussione dicet: quod tamen divinitus evenisse refert Moses, toto assentiente populo.

Ex his quæ hactenus disputavimus liquet Mosen divinitus missum, et legem quam populo Israelitico proposuit Deum habere auctorem. Equidem ipsa mira faciendi potestas ei concessa est, ut fidem sibi conciliaret. Deus autem non posset patrocinari mendacio, suam commodando operam deceptori. His vaticinia quæ in Pentateucho refert, et quorum nonnulla ipse edidit, novum dant robur.

Prop. 5. Vaticinia quæ Pentateucho continentur Mosem Dei legatum probant, et revelationem cujus præco fuit divinam.

Prob. Deus Abrahamum alloquitur: "Suspice cœlum, et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum."[2] "Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam."[3] "Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti et affligent, quadringentis annis."[4] "Verumtamen gentem cui servituri sunt ego judicabo, et post hæc egredientur cum magna substantia."[5] "Generatione quarta revertentur huc."[6] Vaticinia hæc innotuerunt certe Israelitis, et apud eos fuerunt celebrata, diu ante Moysis tempora; nec enim plane incognita, et tunc primum allegata vim obtinuissent, aut fidem. Ea verò impleta fuisse liquet ex Mosaica narratione, cujus veritas ipsa se prodit, et jam vindicata est. Fata verò posterorum Abrahæ per quatuor sæcula non potuerunt nisi divino lumine innotescere.

Moses ipse plura prædixit quæ humanitus scire nequivit; nempe Ægypti plagas,[7] transitum per mare rubrum,[8] mannæ copiam populo in solitudine affuturam;[9] Core, Dathan, et Abiron interitum,[10] neminemque ex murmur-

(1) Tacit. l. v. hist. c. 3.
(2) Gen. xv. 5.
(3) Ibid. v. 7.
(4) Ibid. v. 13.
(5) Ibid. v. 14.
(6) Ibid. v. 16.
(7) Exod. viii. 10; ix. 19. 29. x. 4. xii.
(8) Exod. xiv. 13.
(9) Exod. xvi. 6.
(10) Num. xvi.

ante populo visurum esse terram promissam,[1] adeo ut quadraginta annos errantes, omnes qui vigesimum annum expleverant, mortui sint, solis exceptis Caleb et Josue. Prædicit Israelitas regem petituros,[2] cujus munera definit: quod nonnisi post quatuor sæcula eventurum erat.

Hæc omnia aliaque plurima quæ nemo conjiciendo potuit assequi, quæque impleta esse constat, probant Mosi Deum aspirasse, et futurorum notitia ejus sanxisse missionem.

Obj. Quæ Moyses refert prædicta et impleta vim probandi non habent, nec enim constat de vaticinio diu ante eventum edito.

Resp. Constat quidem de vaticinio; Moses enim illud referendo, tacite appellat legentium fidem. Si nulla alias fuisset Israelitis de promissione Abrahæ facta notitia, nec ausus fuisset ille eam allegare, nec hi eam excepissent. Pro certo igitur habendum est eam a majorum traditione derivatam per quatuor sæcula fuisse celebratam memoria posterorum Abrahæ, Moysis tempore tandem plenissime adimpletam. Quod ad alia vaticinia paulo ante eventum ab ipso Moyse edita pertinet, breve illud temporis spatium non obstat eorum auctoritati, quamvis enim plerumque ea sint divini vatis majora indicia, quod res post seriem longam sæculorum eventuras certo prædixerit, potest tamen fieri, ut res paulo post eventura nequeat ratione ulla naturali, vel conjectura, prænosci, utpote quæ extra consuetum rerum ordinem naturæque cursum sit posita. Ejusmodi fuerunt quæ a Moyse prædicta sunt

Obj. 2. Tempus servitutis Ægyptiacæ perbreve fuit, nam Josepho in vivis, et etiam postea, gratia apud Pharaonem valuerunt Israelitæ, qui vix ultra ducentos annos in Ægypto degerunt. Attamen 400, vel 430 anni adsignati sunt in vaticinio.

Resp. Tempus vaticinio designatum 430 annorum a vocato Abraha, vel 400 a nato Isaac, peregrinationem in terra Chanaan et in Ægypto, una cum servitute quæ post secundas res secuta est complectitur, apposito limite prædictioni de occupanda terra.

Prop. 6. Omnia quæ retulit in pentateucho Moyses, etiam quorum testis oculatus non fuit, plena fide sunt excipienda.

Prob. Constat ex miraculis quæ patravit Moses eum divinitus electum ad populum ducendum, et edocendum, et ex tota vitæ suæ ratione eum fuisse integerrimum, verique tenacem. Ergo censendus est non temere quidquam retulisse, sed divinitus edoctus, vel certissimis innixus documentis. Præterea præsto illi fuerunt plura subsidia ad rerum gestarum certam assequendam notitiam; vixit enim, juxta receptum calculum, nongentis circiter post diluvium annis, bis mille quingentis post orbem conditum. Eventuum autem insignium, qui numero sunt pauci, paucisque continentur capitulis, notitia facile poterat per id temporis transmitti, quum hominum vita diuturna esset, ita ut unus sufficiat testis medius inter Adamum et Noe, nempe Mathusala, qui 600 annis vixit cum Adamo, 300 cum Noe, et tres

(1) Num. xiv. et Num. xxvi. (2) Deut. xvii. 14.

intermedii testes inter Noe et Mosem; Sem quippe Noe filius ab Isaaco visus est, qui cum Levi patre Mosis vixit. Per *oralem*, ut aiunt, traditionem poterant pleraque quæ Moses refert innotescere, ut de monumentis publicis, tabulisque singularum familiarum, carminibus in solemnibus cætibus decantatis, et scriptis quæ forsan apud aliquos servata sint, aliisque plurimis subsidiis historicis sileamus. Ante hominum per orbem dispersionem, quum omnes unius familiæ instar se haberent, facillima erat rerum gestarum memoriæ conservatio. Israelitis etiam majorum suorum ab infantilibus annis res gestas edoctis suppetebant subsidia ad errorem detegendum, si quis induceretur. Si v: g: nihil de antediluvianorum hominum vita diuturna audiissent, nihil de diluvio ipso, profecto veluti ægri animi somnia habuissent quæ refert Moses. Quum, igitur, tota historia Mosaica plena fide ab iis excepta sit, liquet eam veteri et constanti Israeliticæ gentis traditioni esse consonam. Omnium etiam gentium traditiones favere Mosaicæ narrationi plures demonstrarunt; nuperrime Faber in opere dicto " Horæ Mosaicæ."

Obj. Strata diversa terræ, rupiumque, miro quodam ordine disposita, quibus etiam conchyliorum numerus infinitus, plantæ, animantiaque, in petras conversa, pristinam tamen formam retinentia, includuntur, probant orbem per infinita fere sæcula durasse, plurimas subiisse mutationes, quibus strata stratis sensim sine sensu imposita sunt, donec tandem ad eam quam nunc præ se fert formam terra sit composita. Hæc autem cum recenti, quam Moses adsignat, rerum origine nequeunt conciliari.

Resp. Moses nullam orbis terrarum chronologiam nobis reliquit, sed hominum ab Ada præcipuorum notavit ætatem, unde Chronologis subsidia ad annos computandos ab homine condito suppeditata sunt. Dixit quidem Deum initio cœlum terramque creasse; per quod temporis spatium terra inanis et vacua fuerit, qua conditione rerum fuerint elementa, et qua ratione coaluerint, nos non edocuit.[1] Per sex dies omnia in ordinem redacta retulit, nec tamen perspicuis affirmavit verbis diei nomine eo loci illud designari temporis spatium quod diurnæ solis conversioni respondet: quod animadvertit jam olim Augustinus: " Qui dies cujusmodi sint, aut perdifficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere."[2] Cæterum non est facile concedendum tot sæculorum seriem requiri ut strata terræ componerentur, rupesque fierent, vel alia quæ in terræ superficie vel visceribus exhibentur phœnomena: nam ex tardo rerum progressu quem videmus, quid factum sit in ipso earum ortu non licet inferre; infinita quippe Dei potestas ea, ictu veluti oculi, valet efficere quæ per longam tardamque causarum secundarum evolutionem fiunt. Insuper per sæcula saltem sexdecim, quæ ab homine condito ad diluvium effluxerunt, et per illud temporis spatium per quod aquis diluvialibus omnia sursum deorsum magno impetu acta sunt, et per sæcula quæ a diluvio numerantur quadraginta tria, terræ facies plurimas mutationes; viscera etiam, saltem quousque

(1) Vide Wiseman, lecture 6th. (2) Aug. de. civ. Dei. l. 1. c. 6.

ea scrutari licet, magnas vices subierint necesse est. Sane rerum physicarum peritissimi homines omnia phœnomena explicari posse ostenderunt, etiamsi terra non ante sex millia annorum extitisse credatur. Id insuper haud prætereundum geologica systemata adeo esse incerta, ut quod, magno scientiæ apparatu. ante paucos annos proposuerit celeberrimus Cuvier, jam a plerisque deseratur.[1]

Obj. 2. Græci, Ægyptii, Sinenses, et plerique populi suas antiquitates ad tempus Mosaica epocha orti hominis longe prius referunt.

Resp. Nullum documentum tantæ antiquitatis proferri potest, ita ut doctis hominibus exploratum jam habeatur quod Varro olim affirmabat, nihil in Græca historia certum esse ante Trojanum bellum, quod Mosaicis temporibus tercentis annis posterius est. Ægyptiorum antiquitates bis mille annos haud excedere testabatur suo tempore doctissimus ille scriptor. Quæ de vetustissimis temporibus retulerunt auctores profani auctoritate carent, quippe quæ absque probatione a scriptoribus longe recentioribus dicuntur, quæque fabulæ speciem præ se ferunt. Herodotus, qui merito pater historiæ profanæ habetur, mille annis Mose posterior est. Qui Sinensium scripta monumentaque investigarunt, pro comperto habent eos certam historiam ultra octingentos annos ante Christum natum retro-trahere non posse. Confucius, qui primus res ab illis gestas conscripsit, nonnisi 550 ante Christum floruit, et ultra ducentos annos certa tempora iis quæ retulit adsignare haud valuit.

Obj. 3. Observationes Atronomicæ apud Chaldæos, Babylonios, Sinenses, aliosque populos factæ, periodique inventæ, homines per sæcula plurima ante epocham Mosaicam vixisse ostendunt: Zodiacus insuper Dendarensis et Hennæus in Ægypto, an. 1798, reperti id conficiunt, nam Solstitium œstivum signo leonis ille tribuit, virginis verò hic; qui proinde sculpti dicendi sunt innumera ante sæcula, solstitium quippe sub signo Caneri, quod quadraginta tribus gradibus a leone distat, nunc contingit.

Resp. Nullæ sunt observationes Astronomicæ quæ tantam sibi vindicant antiquitatem; quamvis mirum non foret si eorum qui ab initio mundi vixerunt observationes, monumentis forsan insculptæ, nec ipsis diluvii aquis deletæ, superessent. Ad periodos autem calculosque omnes quod pertinet, componuntur habita ratione observationum, quin quis totum temporis spatium percurrerit. Cæterum quum vita hominum valde esset diuturna, observationes et calculi astronomici facillime fieri poterant, præsertim cœlo sereno, quali fruebantur Chaldæi aliique Orientales. Nullas tamen Chaldæorum vel Babyloniorum observationes quæ annos 727 ante Christum attingunt, noverunt docti homines. Zodiaci autem qui in medium adducti sunt, jam posterioris ætatis agnoscuntur: nec enim constat solstitia œstiva illis signis tribui, quamvis revera 1322 annis ante Christum sole in leone steterit. Quum libra, antiquis Ægyptiis ignota, inter signa recenseatur,

(1) Vide Examen des Questions Scientifiques par Forichon, p. 104 & 176. Paris, 1837.

liquet Zodiacos recentius constructos. Eclipses autem in templis Ægyptiacis notatæ observationibus vix censendæ sunt nixæ, templa enim ipsa, Tiberio imperante, constructa esse, ex inscriptionibus constat.[1]

Obj. 4. Fabulam sapiunt quæ de serpentis tentatione, de Deo lapsos homines increpante, de Angelis Abraham et Lot visitantibus, aliisque multis scripsit Moses.

Resp. Mira quidem sunt, et a nostra consuetudine remota: cæterum quum a scriptore gravissimo tradantur, non statim forent fabulis accensenda, etiamsi de divina qua fulget auctoritate non constaret. Non enim penitus ultra fidem est serpente, tamquam instrumento, usum esse dæmonem ad mulierem tentandam, vel mulierem serpentis colloquium haud effugisse, aut Deum pœnam protulisse delicti, aut sua per Angelos manifestasse consilia.[2] Hæc autem omnia a Sacris interpretibus, qui majestatem auctoritatemque Scripturarum suis explicationibus vindicarunt, addiscere oportebit, quum ea indicasse nobis sit satis, pro proposita brevitate.

Obj. 5. De diluvio ea tradit Moses quæ fidem prorsus excedunt: quis enim tantam aquarum copiam quæ altissimorum montium cacumina superet, vel oceano, vel nubibus contineri concipiat? quis animantia simul a Noe collecta, et in arcam inclusa facile credet?

Resp. Consona sunt quæ de diluvialibus aquis dicuntur iis quæ de orbe condito jam a Mose sunt relata, omnia quippe ab initio aquis cooperta sunt, sed, jubente Deo, quædam sursum elatæ sunt ad altiorem cælorum locum aquis cæteris in alveum delabentibus.[3] Mirum, igitur, non est eas iterum super terram effusas ipsos montes cooperuisse. Quis novit maris oceanique profunda, ut adeo fidenter dicatur non satis esse aquarum, ut ad montium surgant altitudinem? Quis ascendit ad nubes, eas dimensurus? Animantia autem fuisse simul collecta, ut arca includerentur, non est cur dubitetur, quum præcipuorum generum nonnulla haud adeo difficile fuerit congregare, hominibus animantibusque nondum per terras longinquas dispersis: spatium autem fuisse peramplum, quo septem animantia munda, et duo munda, singulorum generum, continerentur, peritissimi mathematici demonstrarunt, inter quos *Pelletier* de arca Noe diss. et Calmet. Diluvii quidem vestigia ubique reperire est, quum terræ facies visceraque ipsa montium, quatenus ea liceat inspicere, indicia haud dubia præbeant aquas aliquando ubique obtinuisse, et vi quadam ac impetu subitaneo omnia confudisse. Id agnoscunt Geologi,[4] quamvis sint inter eos qui diluvia plurima statuunt, locis quibusdam peculiaria, ne sacræ Scripturæ fidem adhibere de diluvio universum orbem obruente viderentur, cum jactatæ suæ scientiæ dispendio.

Obj. 6. Moses genus humanum ex duobus ortum tradit, Ada scilicet et Eva, et post diluvii stragem tribus ex filiis Noe: id autem admitti nequit,

(1) Vide diss. Testa de Zodiacis. Wiseman, lect. 8.
(2) Hengstenberg, Christology, p. 27.
(3) Moyse et les Géologues, c. 4., par V. De Bonald.
(4) Cuvier, Discours 6 sur les revolutions du globe.

constat enim hominum species non tantum statura distingui, sed et colore, imo et cerebri capitisque forma, ita ut diversam originem habeant necesse sit.

Resp. Quod inter homines intercedit discrimen staturæ ratione cum communi omnium origine facile componitur, nam pigmæos quosdam nonnumquam a parentibus consuetæ staturæ gigni liquet; quapropter totam fere gentem parvæ esse staturæ mirum non est, præsertim aeris temperie rigida corporis humani explicationi haud favente. De colore id pro comperto haberi potest, eum ex nimio Solis ardore oriri, liquet quippe gentes quo magis ad zonam torridam accesserint, obscuriorem præseferre vultum, donec tandem nigræ omnino sint. Quod autem ad frigidiores translati plagas colorem haud deponant, sed potius genitis a se filiis communicent, contingit ex lege illa naturæ qua similes plerumque gignentibus nascuntur. Cæterum constat Lusitanorum posteros in Africa majorum suorum colorem album amisisse, cœlo soleque nigrum sensim sine sensu inducentibus. Capitis autem formam diversam ex causa quadam speciali, vel variis ex causis simul concurrentibus ortam suspicari licet, et deinceps per plerosque propagatam, constat enim magnas varietates sæpe induci, et per familias quasdam propagari, quod in tota gente contingere potuit, prout cultior vel minus culta fuerit, quum mores patrum in formam filiorum nonnullum influxum habere videantur.[1]

Obj. 7. Americæ incolæ antiqui nulla verosimili ratione censeri possunt a communi cæterorum hominum stirpe orti: quum nulla fuerit apud cæteros populos, vel Americæ, vel ejus incolarum, ante sæculum decimum quintum notitia.

Resp. Ex moribus traditionibusque apud Americanos vigentibus satis constat communem iis ac cæteris populis esse originem. Americam undecimo ineunte sæculo Septentrionalibus Europæ populis innotuisse docti homines ex inscriptionibus quibusdam et documentis colligunt. Per eas regiones primum iter ad Americam patuisse satis verosimiliter conjicitur, quum non adeo magno intervallo ex ea parte utraque continens terra separetur. Plurimos, etiam, novas quærentes sedes, vel ventorum vi delatos, ad oras Americanas, vel insulas adjacentes, olim appulisse verosimile est. Cæterum casu vel consilio advenerint, constat nihil eas præsetulisse quod diversam arguat originem.

Obj. 8. Quum Cain ne ab occurrente quocumque occideretur timuerit, et Henoch ejus filius civitatem ædificaverit, plurimos jam fuisse homines liquet: qui tamen Ada orti non dicuntur. Ergo alii ante Adamum extiterunt, ex quibus hi sunt orti.

Resp. Quorundam filiorum Adæ ortum retulit sacer auctor, filiis filiabusque plrimis haud recensitis, qua ratione in opere cæpto perrexit, seriem texens, quin singulos homines enumeraret. Ideo consuevit adjungere nativitatis aliquorum relationi vitæ spatium patris, cum adnotatione: "genuitque filios et filias."

Obj. 9. Vitæ spatium quod antediluvianis hominibus adsignatur, fidem

(1) Vide Wiseman's Lecture 3d.

excedit, utpote quod decies longissimam vitam superat, et humani corporis explicationi et conditioni haud congruit.

Resp. Ex præsenti corporis humani conditione quæ fuerint vires, valetudo, et vitæ spatium primis hominibus non licet inferre; puriori quippe cœlo, cibo saniori, e gremio virgineo terræ, vel arborum fructu, et ipso corpore vigente, homines poterant vitam diu protrahere. Profecto Manethon Ægyptius, et Berosus Chaldæus, aliique scriptores profani, quos recenset Josephus, primos homines mille annos vixisse passim tradunt.[1]

Obj. 10. Gigantes ex angelorum cum mulieribus commixtione ortos fabulosum est.

Resp. Non id narrat Moses, sed filios Dei filias hominum adamasse, et ex eis genuisse audax hominum genus. Qui autem filiorum Dei nomine intelligendi sint non satis constat: plerisque Seth progeniem, apud quam pietas colebatur, placet intelligere, aliis proceres, nobilesve, intelligentibus. Fuerunt ex patribus qui Angelos intelligerent, sed hæc nonnullorum opinatio jam communi suffragio derelicta est. Quod ad progeniem pertinet נפלים violentos homines explicuerunt. Aquila Εμπιπτοντες et Symmachus Βιαιους. Cæterum extitisse homines altissimæ staturæ liquet ex Sacra et profana historia. Moyses lectum ferreum Og, regis Basan, novem cubitos, tredecim scilicet pedes cum dimidio, suo tempore ostendi testatur.

C. VI. DE DOGMATIBUS ET LEGIBUS PENTATEUCHO CONTENTIS.

Præter rerum gestarum narrationem, complectitur Pentateuchus dogmata quædam et leges quas Deus, Moysis ministerio, Israelitis servandas injunxit. Morum præcepta tabulis duabus lapideis in monte Sinai iis ex Ægypto recens egressis tradidit, Moyse per quadraginta dies ibi divino dignatus colloquio: quæ tamen tunc primum lata minime censenda sunt, nam pleraque legem quam dicunt naturalem explicant et promulgant, ideoque data sunt ne ulla prorsus ratione possent oblivione obscurari. Leges quæ ritus respiciunt in cultu divino servandas, quœque Levitico præsertim continentur, solos obligabant Judæos; iis quippe specialiter sunt præscriptæ. Idem de legibus quæ judiciorum formam totamque reipublicæ politiam statuebant, dicendum est. Cæteræ igitur gentes, lege per Moysen data, in ea manserunt conditione, qua antea fuerant, nullo novo eis imposito onere, quibus proinde divinæ revelationis a primordiis mundi factæ fides, una cum morum, juxta legis naturalis principia, moderamine, ad salutem sufficiebat. Leges autem Israelitis datas, omni studio impugnant Deistæ, easque Numine indignas prædicant, hac præsertim ratione omnem revelationem evellere studentes. Ut difficultates quas tum legibus, tum rebus relatis, objiciunt, evaderet Paley, singulorum quæ veteri Testamento continentur defensionem Christiano homini non esse necessario suscipiendam censuit;[2] sed majori cum Religionis decore Bullet,[3] Guenée,[4]

(1) Joseph. Ant. Jud. l. 1. c. 3. Vide etiam Horat. Carm. l. 1. od. 3.

(2) Paley's Evidences of Christianity, p. III. c. 3. The connexion of Christianity with the Jewish history. (3) Bullet, Reponses critiques. (4) Lettres de quelques Juifs.

aliique præclari Scriptores omnia egregie vindicarunt. Eorum vestigiis insistentes sequentem statuimus propositionem.

Prop. 1. Quæ Pentateucho continentur de Deo, et de hominis natura dogmata divinam produnt originem.

Prob. Unitas Dei alte prædicatur: "Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est."[1] Ejus natura simpliciter declaratur, sed sublimi prorsus ratione: "Ego sum qui sum."[2] Inducitur ipse omnia sua potestate creans,[3] et pro suo arbitrio, ordine sapientissimo disponens, et moderans. Summa ejus potentia et majestas ubique elucet: justitia ejus merito formidanda in scelerum ultione exhibetur, nam mundus criminibus inquinatus diluvialibus aquis obruitur; civitatesque Pentapolis, igne cœlitus immisso, immanium flagitiorum luunt pœnas: ipse protectorem se et mercedem famulis suis præstat, et eorum invigilat incolumitati, hostium præpotentium in irritum missis conatibus. Alia præclara Numinis attributa in Pentateucho passim explicata videre est: quæ frustra apud celeberrimos Philosophos, vel cultissimas nationes, quibus divina lux non affulsit, quœsieris.

De homine ea tradit Moyses quæ naturæ suæ præstantiam ostendunt, creatus quippe est ex consilio Dei, cujus imaginem in spiritu naribus ejus veluti divinitus insufflato exhibet, dominus cæterorum animantium factus, ipse summo rerum Domino subditus. Hæc omnia Deum plane ostendunt auctorem.

Obj. 1. Deus a Moyse gentilitius repræsentatur, qui Abrahæ posteros in populum peculiarem sibi asciscit, seque Deum Abraham, Isaac, et Jacob appellat. Dicitur etiam gratum habere odorem victimarum, instar hominis epularum odore gaudentis.

Resp. Moyses profecto Deum universorum conditorem et arbitrum repræsentat, præter quem non est Deus: "Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me; ego occidam et ego vivere faciam; percutiam et ego sanabo; et non est qui de manu mea possit eruere. Levabo ad cœlum manum meam, et dicam: Vivo ego in æternum."[4] Populum autem peculiarem adoptavit, legem eis dando, ut specialibus adminiculis contra grassantes superstitiones munirentur: nec tamen ideo desiit esse omnium populorum Deus, cui omnes obsequium debebant. Phrasis illa de grato odore victimarum adhibita est, ut significetur, locutione humana, eas gratas esse, utpote divinæ legis præscripto conformes.

Obj. 2. In Moysis libris Deus corporeus exhibetur, ad cujus imaginem fit homo. Ambulat inclinante die, per hortum paradisi: descendit ab alto ut videat. Humanas patitur affectiones, nam intimo dolore cordis tangitur, irascitur, furibundusque vel aquas diluvio effundit, vel ignem et sulphurem,

(1) Deut. x. 6 (2) Exod. 3.

(3) Miratus est ipse Longinus sublimem illum Dei creantis conceptum: "Fiat lux, et facta est lux." De Sublim. c. 9.

(4) Deut. xxxii. 39.

pluviæ instar, demittit, et in posteros parentum delicta ulciscitur. Stragem populorum præcipit, diro eos persequens anathemate: furtum rapinamque sancit: remuneratur mendacium, indurat cor hominis, et induratum tamen punit.[1]

Resp. Ad imaginem Dei homo dicitur factus, quia inspiravit ei Deus vitam, animam scilicet immortalem: animantia quippe cætera ratione carent, et proinde haud Deo assimilantur; sed homo ratione pollens, et in ævum victurus, Deo similis est. Plura quidem in Pentateucho relata Deum corpus habere viderentur insinuare; sed ne sic ea interpretemur cavit Moyses, Israelitas monens nullam speciem visibilem, nullam formam, vel imaginem, eorum oculis oblatam, Deo in monte Sinai suam manifestante præsentiam.[2] Ideo etiam illis est vetitum ne imaginem sibi colendam facerent rei alicujus quæ in cœlo luceret, vel in terris videretur, vel in aquis nataret, quippe Deus nulla re visibili potest exhiberi. Quod autem instar ambulantis post meridiem ad auram capiendam visus sit Adæ, factum est, specie assumpta humana, ut collocutus cum Ada delicti gravitatem exponeret: vel Angelo potius humanam induto formam ejus vices gerente; nisi placeat intelligere textum de sono tamquam deambulantis audito, quo excitatus est Adam Deum statim auditurus. Humanis igitur utitur locutionibus Moyses ut divina opera nobis enarret, quapropter Deum sibi proponentem ut ab alto cælorum vertice descenderet ad confundendos turris Babel ædificatores, et ad notitiam facinorum Sodomitarum oculis veluti hauriendam, exhibet: quæ tamen Angelico ministerio peracta censenda sunt. Simili de causa de Deo se pœnitente iratoque loquitur, ut summum odium adversus peccatum, quod adeo divinæ sanctitati repugnat, ut hominis conditi orbisque ipsius secum trahat ruinam, perinde ac si Deum de condito homine pœniteret. Aquæ verò diluviales non cœco furore sunte ffusæ, sed tempore statuto, postquam innocenti Noe, ejusque filiis, et ipsius generis humani, animantium etiam cæterorum, conservationi, arca ædificata, consultum erat. Ignisetiam in pentapolim descendit, post crimina patefacta, Angelis ipsis Sodoma invisentibus, quamvis jam antea certissime divinæ menti cognita: oportebat scilicet ut insigne flagitiorum exemplum referretur, ad æquitatem divini judicii vindicandam. Pœnæ peccatorum nonnumquam ad posteros transeunt, divina sic disponente sapientia, ad deterrendos homines a peccato, etiam filiorum suorum dilectione:[3] sed qui innocentes sunt filii impiorum paren-

(1) Paine, Age of Reason, p. 22. 41 et passim.

(2) Vide, Calmet in iii. Gen. 8.

(3) "Nec vero me fugit quam sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui; sed hoc præclare legibus comparatum, ut charitas liberorum amiciores parentes reipublicæ redderet." Cicero in ep. 12, ad Brutum, Et in ep. 15. "Videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna pervenit, sed id et antiquum est et omnium civitatum."

um ærumnis, quibus subjacent, uti possunt in sui profectum, patienter sustinendo. Clades Chananæorum ob eorum flagitia divino decreta est judicio : si autem ob injurias acceptas nationes putent justam sibi esse belli occasionem, et clades hac ratione excusent, violata jura summi Dei, omnium hominum conditoris et arbitri, justam profecto præbent causam cur eorum internecionem decernat. Quod si aliqua cladis adjuncta a nostris abhorreant moribus, et a nostro humanitatis sensu, qui tunc apud plerasque gentes obtinuerunt mores, juraque belli, præ oculis sunt habenda, una cum jure summo illius quem peccando provocarunt, ut recte de iis judicemus. Cœteras gentes ne bello aggrederentur Israelitis est vetitum : quod si ad expugnandam civitatem lacessitia ccederent, pax ei primum offerenda erat, omnesque incolumes servandi conditione accepta.[1] Ea autem rejecta, et civitate expugnata, mulieribus et infantibus parcendum erat, contra victorum morem, ipsi enim qui clementiæ laude florebant sexus vel ætatis nullum faciebant discrimen.[2] Nec ideo, ut calumniatur Paine, Virgines servabantur ut militibus violandæ traderentur,[3] sed legitimo conjugio donandæ :[4] mense eis prius dato ut suos flerent parentes. Vasa Ægyptiorum abstulerunt Israelitæ Dei jussu, cui summum in res omnes dominium : sed post se relinquebant agros, ex quorum venditione poterat Pharao Ægyptiis satisfacere, ut nihil dicamus de mercede illis debita ob labores et gravamina. Obstetrices Ægyptiacæ humanitus erga Israelitarum pueros se gesserunt, præmio idcirco prolis numerosæ, vel rerum secundarum a Deo meritò donatæ : quod autem excusarint se apud Pharaonem nonnihil a veritate deflectendo, nec probatum, nec remuneratum est. Ipse Pharao cordis duritie divinam provocavit in se vindictam : induratus tamen a Deo dicitur hebraica loquendi ratione, qua quæ fiunt Deo permittente, ei tribuuntur, ut intelligatur omnia Dei nutu regi, ipsaque impiorum consilia divinæ subesse providentiæ ; quæ enim libere agunt etiam contra Dei mandata et voluntatem, potuisset impedire, qui tamen " melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere."[5]

Obj. 3. Moyses Deum exhibet Abraham tentantem filium occidendi jussione.

Resp. Periculum illud Abrahæ obedientiæ factum est ut nobis relinqueretur eximiæ fidei exemplum, quæ ardua quæque, Deo jubente, amplectitur. Cæterum Deus, qui novit futura antequam fiant, noluit humano sanguine sibi litari : ideoque voluntate Abrahæ patefacta, vetuit ne ultra progrederetur. Potuit quidem summo jure, vitæ et necis quum sit dominus, vitam

(1) Deut. 20.

(2) Titus pueros et fæminas Judaicas in theatro feris laniandos objecit, Jerosolyma expugnata.

(3) Paine, Age of Reason, p. 2, page 81.

(4) Deut. 21, 12.

(5) Aug. Enchir. c. xxxii.

quam dederat tollere, etiam patris manu, sed noluit benignissimus ipse omnium pater.

Obj. 4. De anima humana Moyses dicit quod in sanguine est,[1] et de immortalitate ejus, vitaque futura prorsus silet, sicut et cœteri auctores Judaici usque ad Babylonicam captivitatem. Hæc eum divinitus edoctum non ostendunt.

Resp. Anima sæpissime in scripturis pro vita sumitur, quam in sanguine esse licet dicere, quod vitales spiritus suppeditet, et per omne corpus nutrimentum diffundat, quo exhausto vita extinguitur. Satis indicat Moyses spiritualem animæ humanæ naturam, dicendo hominem ad Dei imaginem creatum, qui, ut vidimus, humana nulla exhibetur forma, sed Spiritus est purissimus, cui proinde homo ratione animæ assimilatur, inspiravit quippe Deus in nares ejus vitæ spiraculum.[2] Immortalitas ejus inde colligitur; quod et liquet ex raptu Henoch ad Deum,[3] ex promissione mercedis facta Abrahæ: "Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis,"[4] ex Jacobi verbis mærentis Josephum: "Descendam ad filium meum lugens in infernum:"[5] voce enim "inferni"[6] hoc loco vix potest intelligi sepulchrum, quum Jacob putaret eum a feris dilaniatum. Jacob etiam coram Pharaone totum vitæ anteactæ tempus vocat "dies peregrinationis"[7] suæ: quo plane significat se super terram peregrinum esse, ad patriam cælestem properantem: "qui hæc dicunt" ait Apostolus, "significant se patriam inquirere; et siquidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem.[8] Occurrunt etiam in pentateucho phrases: "ibis ad patres tuos," "appositus ad populum suum,"[9] quæ videntur indicare non locum sepulturæ, sed animarum collegium; nam de Mose et Aaron usurpantur,[10] qui utique majorum suorum sepulchro conditi non sunt. Id vero animadvertendum Pentateuchum historiam esse legumque codicem, potius quam dogmatum; idcirco quæ ab initio credebantur supponit, et ea præsertim inculcat quæ in discrimen, populorum vicinorum pravis exemplis, adducebantur. Omnibus autem inerat persuasio de anima superstite, uti ipsi Deistæ fatentur. Vulgaris etiam fides Hebræorum colligitur a Joanne Clerico ex loco Moysis, ubi vetat consuli mortuos.[11] Quod pertinet ad epocham quam Deistæ adsignant hujus dogmatis apud Hebræos introductioni, hujus non est loci vanam explodere assertionem, adductis ex Psalmis, Prophetis et Ecclesiaste testimoniis, quæ abundant, sed fidenter appellamus ipsum Moysem, testem perpetuæ gentis suæ fidei.

(1) Lev 17, 14.
(2) Gen ii. 7.
(3) Gen. v. 24.
(4) Gen. xv. 1.
(5) Gen. xxxvii. 35.
(6) שְׁאוֹל Græce ἀδης.
(7) Gen. xlvii.
(8) Hebr. xi.
(9) Gen. xv. 15, xxv. 17, xxxv. 29, xlix. 32.
(10) Num. xx. et xxvii.
(11) Joan Cleric. in libr. hist. p. 269, et Deut. c. 18.

Prop. 2. Morum regulæ a Moyse traditæ sua sanctitate divinam produnt originem.

Prob. Morum leges sanctissimæ sane sunt, Deoque dignæ, decalogo enim prohibentur quæ divinæ detrahunt majestati, præcipiuntur quæ ad honorem cultumque divinum pertinent: filiorum erga parentes munera inculcantur, graviora vetantur crimina, homicidium scilicet, furtum, adulterium, mœchia, calumnia, imo ipsa rerum vetitarum cupido. Nullo alio legum codice tam paucis verbis fundamenta adeo solida morum posita reperiuntur.

Quæ aliis in locis Pentateuchi occurrunt his sunt congrua: "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua."[1] Erga concives præcipitur amor, et injuriarum venia: "Non oderis fratrem tuum in corde tuo. * * Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum."[2] Erga advenas beneficentia injungitur exercenda: "Si habitabit advena in terra vestra, et immoratus fuerit inter vos, non exprobretis ei; sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos."[3] Justitia servanda erat in omni vitæ commercio, et præsertim in jure dicundo: "Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. * * Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, et mensura."[4] Hæc erga Deum proximumque officia sanctissima certe sunt, omni veterum philosophorum disciplina præstantiora; quapropter merito ab Apostolo dicitur: "lex sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.[5] Quæ vitium libidinis præsertim spectant et quæ matrimonii contractum inter affines, vel consanguineos vetant,[6] vix censeri possunt humano ingenio excogitata ea mundi ætate, plerisque undequaque gentibus ad omnia flagitia delapsis. Leges omnes quibus mores regebantur divinam habuisse originem fatebitur qui hæc sedulo perpenderit.

Obj. 1. Inimicorum odium permisit lex Mosaica, Christo judice, qui idcirco eam emendavit,[7] commendata injuriarum condonatione, quam Ethnici ipsi Philosophi prius injunxerant.[8] Legem etiam talionis similiter correxit.[9] Moses omnes gentes abominandas docuit, quapropter non immerito odii generis humani Judæi incusantur.[10]

Resp. Nihil hujusmodi in lege invenitur, sed Judæi ex eo quod proximum diligendum lex præciperet, exteros, præsertim hostes, dilectione haud prosequi sibi putabant permitti. Eorum pravam interpretationem correxit

(1) Deut vi. 5.
(2) Lev. xix. 18.
(3) Ib. v. 33.
(4) Ib. v. 35.
(5) Rom. vii. 12.
(6) Lev. xvi. et alibi passim.
(7) Mat. v.
(8) Cicero de Officiis l. 1. No. 33. Seneca l. 2 de ira c. 32.
(9) Mat. v. 38.
(10) Gibbon hist. vol. 1. ch. xv. § 1.

Christus Dominus, docuitque ad ipsos infensissimos hostes præceptum extendi, qua re omnia Ethnicorum documenta longe superavit. Licuit quidem Judæis odisse tamquam Dei hostes Chananæos, in quos divinæ justitiæ ministri electi sunt, quos tamen tamquam homines humano affectu amplecti debebant. Advenas certe diligendos perspicue præcipiebat lex, et inimicis concivibus dilectionis officia persolvenda: "Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc eum."[1] Cæteris hæc officia non commendabantur facienda, quia nullum cum eis commercium habere debebant, ne in eorum vitia et superstitiones, exemplis pravis, traherentur. Lex talionis jubebat vitam pro vita fundi, oculum erui pro oculo injuria eruto, dentem pro dente, ut timore pœnæ violenti cohiberentur, et modus poneretur injuriarum ultioni: quod tamen auctoritate publica, non pro cujusque arbitrio, erat faciendum. Ipsa charitas christiana, quæ donat veniam, non impedit justitiæ exercitium, quando bonum publicum delinquentium punitionem exigit. Eo autem præstat lex nostra Judaicæ, quod hæc ulturos certis cohibeat limiticus, illa injuria gravatos ad ampliorem hortetur beneficentiam, jure tamen haud sublato publicæ saluti consulendi. Quod ad odium omnium gentium attinet, illud certe nulla lege præcipiebatur; sed plurima e contra officia injungebantur peregrinis et advenis persolvenda.[2]

Obj. 2. De servis ab hero percussis statuitur: "Sin autem uno die vel duobus supervixerint, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est."[3] Repugnat bonis moribus ut homines aliorum habeantur, instar animantium brutorum, et impune occidantur.

Resp. Priori versiculo statuit Moyses, Dei nomine, herum mortis reum habendum, si servus percussus statim moriatur, quo magnum frœnum dominorum violentiæ injecit. Quum tamen facile contingere posset ut servi insolescerent, si domini arctioribus legibus in puniendo constringerentur, censuit alias satis iis consuli ipso metu eorum amittendi servitia; ideoque si supervixerint unum aut alterum diem, nullam imposuit pœnam. Quod eos vocaverit pecuniam suorum dominorum, respicit utilitatem ex iis comparandam, in ea rerum conditione quæ tunc erat, et quæ etiam impræsentiarum alicubi existit.

Obj. 3. Quæ de criminibus contra naturam statuit lex, moribus corrumpendis, potius quam emendandis sunt idonea, nam notitiam flagitiorum cum magno animarum periculo ingerunt.[4] Discrimen autem inter pœnam vitiantis puellam quæ serva sit, et eam quæ sit libera, contra bonos mores est.[5]

Resp. Criminum illorum catalogus non necessario in manibus omnium habebatur; nec enim adeo multiplicati sunt codices, nec junioribus præsertim licuit librum Levitici, quo pleraque referuntur, legere. Cæterum pœnæ illis appositæ terrebant eos, quos notitia rationis peccandi poterat allicere, satis facile aliunde acquirenda. Discrimen autem inter pœnam in

(1) Exod. xxiii.
(2) Vide Spedalieri c. 1. § 13. p. 68.
(3) Exod. 21. 21.
(4) Lev. 18.
(5) Lev. 19. 20.

casibus objectis æquum erat, et bonis moribus congruum; quamvis enim turpitudo flagitii posset esse eadem, injuria tamen illata Societati distinguebatur, pro ratione puellæ.

Obj. 4. Captivam puellam licuit ducere in uxorem: "Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam."[1] Quoad omnes mulieres data est divortii facultas; et licuit simul plures habere uxores: quod certe cum bonis moribus pugnat.

Resp. Plura ad duritiem populi illius permissa sunt, vel divina indulgentia, vel œconomia. Captivæ, quam quis in uxorem duxerat, consultum est securitati, vetando ne venderetur, vel opprimeretur, nam dimittenda erat libera, si nollet victor eam secum retinere uxorem. Sic etiam divortium est permissum, ad graviora vitanda mala, quæ, vinculo conjugii manente, possent oriri, conjuge jam abominationi habita; et ad tollendam tentationem interficiendæ uxoris, ut vinculo liberaretur maritus. Deum autem posse suprema sua auctoritate vinculum solvere conjugii nemo negaverit; eumque etiam posse permittere, ut vir plures habeat uxores: quamvis enim conjugium perpetuum et unicum ex primæva institutione sit, quod ipsius contractus matrimonialis naturæ magis sit congruum, non tamen adeo repugnat, ut divina auctoritate non possit cohonestari vel vinculi solutio, vel plurium uxorum consortium.

Obj. 5. Bonis adversantur moribus quæ de fluxu sanguinis, muliere menstruata, aliisque hujusmodi traduntur in lege Mosaica. Ipsa circumcisio a pudoris legibus abhorret.

Resp. Ea omnia potius ad morum puritatem conspirant, quum legalis immundities naturali etiam profluvio contrahatur. Unicuique igitur perspectum esse debuit qua animi puritate esse oporteret eum qui Deo gratus esse vellet, et qua solicitudine omnis voluntaria immundities foret vitanda. Circumcisio, Abrahæ ante legem præcepta, in lege etiam servanda erat, ut Iudæi signo illo in carne memores haberentur Dei, cui eo ritu dicati fuerant, et spes venturi ex semine Abrahæ Redemptoris declararetur. Addit Augustimus: "in quo membro congruentius expoliatio carnalis et mortalis concupiscentiæ figuratur, quam unde carnalis et mortalis fœtus exoritur?"[2] * * "Ad id etiam quod dicere soletis, (compellat Manichæos): 'ergone deerat ubi Deus præfiguraret signaculum justitiæ fidei, nisi in illo membro?' Respondetur, cur enim non et ibi? Primo, quia omnia munda mundis, quanto magis Deo? * * Pudenda quidem ista dicuntur hominibus propter nostræ mortalitatis corruptibilem pœnalemque propaginem, quæ inde subsistit: quibus casti adhibent verecundiam, impudici petulantiam, Deus justitiam."[3]

Prop. 3. Leges cœremoniales quæ Pentateucho continentur, ob sapientissimos fines institutæ sunt, et divinam produnt originem.

Prob. Festi dies ad Dei opera, et specialia populo Israelitico divinitus collata beneficia commemoranda instituti sunt: sabbatum in creationis me-

(1) Deut. 21. 14. (2) Contra Faustum l. vi. c. 3. (3) Aug. ib.

moriam; Pascha ut exitus ex Ægypto commemoraretur; tabernaculorum festum ut servaretur memoria patrum sub tentoriis peregrinantium. Sacrificia ad obsequium hominis erga Deum, animantium immolatione, testandum sunt directa; quamvis enim nullam habeant cum divina majestate proportionem, indicium tamen sunt hominem velle Deo reddere quæ ipsius bonitati refert accepta; et agnitio juris divini in ipsum hominem, omniaque quæ possidet. Triplex autem sacrificiorum genus, peccati scilicet, ad expiandum delicta, pacificum ad gratias agendas pro concessis, vel ad impetranda nova beneficia, et *holocaustum* ad summum Dei dominium agnoscendum, institutum est. Summa quidam sapientia pro delictis singulorum, et totius populi, et Summi Sacerdotis, expiationis victimæ præscriptæ sunt, ut legis observantia maneret, ipsis ignorantiæ et oblivionis delictis haud sine oblatione quadam dimissis. Victimæ mane vespereque immolatæ, et magna multitudine temporibus statutis, Deum semper præsentem mentibus Israelitarum efficiebant, quem adeo colere tenebantur: qua ratione a cultus idololatrici periculo magis servabantur immunes, ad quem alioquin, ex vicinarum gentium contagione, maxime erant proclives. Quæ autem plerumque exigebatur victimarum conditio, ut scilicet integræ forent, absque macula,[1] et teneræ ætatis, innuit pretiosa quæque, non vilia, Deo, omnium largitori, esse offerenda: qua de causa immunda quædam et vilia animantia, sus, asinus, aliaque hujusmodi non offerebantur. Hac etiam ratione turpia vitia, insulsumque animum cultorem Dei dedecere docebatur.

Lustrationes et expiationum variæ species, contracta legali immunditie, vel culpa, vel casu, natæ erant ad corporis animæque munditiem, præsertim in Dei cultu. Quod si occasiones eam contrahendi tantæ fuerint, ut in eam necessario sæpeque incideretur, exercebatur diligentia in iis evitandis, quatenus fieri poterat, et obedientia in remediis adhibendis. Licuit certe Deo Israelitas huic subjicere oneri, præsertim quum hac ratione a gentium commercio alieni tenerentur.

Vestium splendor, tabernaculi decor, pompaque tota cultus divini majestatem summam sensibus exhibebat, ut magna prorsus veneratione animi afficerentur. Dum altaria fumarent victimarum sanguine, vel etiam victimis incensis, thusque sacerdos coram arca adoleret, inter tympanorum sonitum, vehemens numinis adstantis reverentia et metus omnes incesserit necesse est.

Ipsa arca in quam nemo audebat respicere, vasa sacra tanta cura delata, aliaque ad cultum pertinentia, adeo honori habita, homines magno Religionis sensu afficiebant.

Discrimen inter cibos, animantibus quibusdam recensitis immundis, aliis mundis, Israelitas a gentium consortio, quæ illud haud agnoscebant, et proinde a periculo idololatriæ amovebat, ut nihil dicam de aliis rationibus, quæ ad corporis valetudinem possint referri.[2]

(1) Lev. xxi. 22.

(2) Vide eximium opus: "Lettres de quelques Juifs, à M. De Voltaire 11 partie lettre II."

Quum omnes leges cæremoniales, uti patet, eo tendant ut unius Dei cultus integer servetur, amoto idololatriæ periculo, eas fine sanctissimo commendari liquet. Eas vero, eo præsertim tempore quo ubique grassabatur idololatria, non fuisse ingenio humano excogitatas, unusquisque facile perspicit.

Obj. Multitudo rituum hominem adeo tenet occupatum, ut totus in rebus externis cultus versetur, quin de Deo spiritu et veritate colendo cogitetur: quod revera Judæis contigisse ex Christi ad mulierem Samaritanam verbis colligitur.

Resp. Homines plerumque adeo rebus quæ sensibus subjacent abstrahuntur, ut vix nisi per eas ad Deum, divinasque perfectiones contemplandum adducendi sint. Maxima eorum multitudo nequit statim cogitando ad altiora assurgere, et in divinis animum tenere defixum. Id præsertim contigit vetustis illis temporibus, ante revelationem plenissimam a Christo factam: unde et ad idola colenda adeo erant proclives. Sapientiæ erat idcirco eos rituum multitudine tenere occupatos, ne in gravissimum idolatriæ scelus laberentur:[1] quo sublato periculo, poterant sensim sine sensu ad Deum evehi. Re quidem vera vituli aurei adoratio occasionem dedit ritibus illis instituendis, uti animadvertit S. Hieronymus,[2] S. Augustinus aliique:[3] antea enim nonnisi Decalogi præcepta eis fuerant tradita. Erant inter illos qui ab externis ritibus ad Deum fide, spe, et dilectione assurgebant, uti Psalmos Davidicos perlegenti manifestum est: sed Christo adveniente cultores spiritu et veritate multiplicandi erant per orbem, figuris veteribus vero sacrificio cedentibus.

Obj. 2. Plerique Judæorum ritus ab Ægyptiis aliisve populis idola colentibus sunt derivati, prout erudito opere demonstravit Spencerus, *de legibus Hebræorum.*

Resp. Ingeniose quidem laboravit Spencerus ad eam opinionem statuendam, quæ tamen vero destituitur fundamento; quamvis enim nonnulla inveniatur in quibusdam ritibus similitudo, pleræque immani separantur discrimine. Moyses magnam e contra in eo posuit operam ut ab Ægyptiacis et aliis gentium consuetudinibus Israelitæ servarentur alieni: "juxta consuetudinem terræ Ægypti non facietis."[4] "Hæc est sapientia vestra, et intellectus corum populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: en populus sapiens, et intelligens, gens magna.—Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam ante oculos vestros?"[5] Illa autem similitudo quæcumque

(1) "Une religion chargée de beaucoup de pratiques attache plus à elle qu' une autre qui est moins. On tient beacoup aux choses dont on est continuellement occupé; de là l'obstination tenace des Juifs." Montesquieu Esprit des lois l. xxv. ch. 11.

(2) S. Hier. in 20 Ezech.

(3) Vide diss. 3 de cærem. prop. 3, in 4 mundi ætat a P. Natali Alexandro.

(4) Lev. xviii. et Deut. xii. 2.

(5) Deut. iv.

ad communem originem quorumdam rituum ab exordio fere mundi ubique servatorum, ut scilicet mactarentur animalia, offerrentur fructus, et alia hujusmodi, est referenda; vel Israelitas populi alii censendi sunt imitati fuisse; nec enim probari potest ritus tales ante Mosaicam ætatem apud populos istos viguisse.[1] Cæterum licuisset certe Ægyptiacos aliosve ritus, pravo fine sublato, et adjunctis omnibus quæ superstitionem sapiebant amotis, ad Dei cultum adhibere, si divinæ sapientiæ visum fuisset eos adoptare et sancire.

Obj. 3. Ritus quidam Judaici sunt ridiculi, quales ex: g: adhibendi erant in consecrando summo pontifice;[2] alii nimis minuti summa majestate indigni.

Resp. De singulis ritibus non est judicandum, nisi habita ratione temporis, et morum. Plures a nostra sentiendi et agendi ratione abhorrent, qui tamen eo quo instituti sunt tempore, suam habebant utilitatem, congruebantque rerum adjunctis. Minutissimas leges dedit Deus, ut omnis erroris tolleretur facultas, et etiam in minimis consuleretur cultus integritati, et recto rerum ordini. Quum de optimo omnium fine, nempe ut Deus coleretur, gentium superstitiosis ritibus evitatis, constet, non est cur de minutis quibusque lis instituatur. Ipsæ superstitiones quæ apud nationes propinquas vigebant, præsertim apud Zabios occasionem forsan dedere pluribus legibus, quarum ratio alias non se prodit, nempe ne coqueretur hædus in matris lacte,[3] ne mel offerretur, ne caput tonderetur in rotundum, vel vestes ex lana et lino texerentur, &c.

Obj. 4. Leges plures Mosaicæ respiciunt animantia quæ numquam extiterunt, v: g: gryphum; et tota discriminis ratio inter quædam immunda habita et alia munda inanis videtur, adeo ut ab ipsis Christi discipulis ab initio sit rejecta.

Resp. Laborant interpretes in vocibus Hebraicis reddendis quibus animantia exprimuntur, unde si aliquod in versione Græca et Latina speciali donatum nomine, a naturæ peritis non agnoscatur, interpreti vitio dandum erit, ni placeat dicere illud olim extitisse. Plures rationes discriminis dari possunt, sunt enim nonnulli cibi qui in calida Palæstinæ regione valetudini nocent, alias licet innocui, quod de carne suilla et de leporina[4] asserunt plurimi. Rationes etiam mysticæ dantur, ut vitiorum insinuetur odium et fuga, quibusdam rejectis cibis tamquam immundis. Cæterum præstantior ratio est ipsa Dei voluntas, quæ obediendum sibi in ciborum delectu voluit, ut populus servaretur fidelis, et a gentium necessitudine alienus. Quod autem noluerit Deus legem hanc obligare Christifideles, consonum erat consilio summo de Ecclesia per orbem diffundenda.

(1) Circumcisionem ad Ægyptios per Ismaelis posteris, qui juxta mare rubrum et in Æthiopia habitabant, derivatam, conjicit Spedalieri in præclara refutatione Gibbonis. p. 1, c. 1, p. 65.

(2) Exod. 29.

(3) Vide lettres de quelques Juifs 11, p. 1. II. § viii.

(4) *Lettres de quelques Juifs*, tom. 1, p. 235.

Obj. 5. Humana sacrificia exigebat lex Mosaica: in Levitico quippe de anathemate חֵרֶם agitur, quo homines etiam poterant Deo devoveri:[1] additurque: "omnis consecratio quæ offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur."[2] Populo post cladem Madianitarum redeunte, præcepit Deus ut separarent partem Domini ab his qui pugnaverunt et fuerunt in bello—"unam animam de quingentis tam ex hominibus, quam ex bobus, et asinis, et ovibus, et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt."[3] Hæc de immolandis hominibus accipienda esse suadent quæ de Isaaco immolando præcepit Deus,[4] de Agag quoque interficiendo,[5] et quæ Jephte vovit, et adimplevit, filia mactata.[6]

Resp. Homo anathemate Deo devotus non poterat quidem redimi, nec tamen morti addictus est, sed perpetuo in servitutem templi mancipatus: verba quippe objecta respiciunt animantia ab homine oblata, quæque juxta legem poterant mactari. Vetuit Moyses ne Israelitæ Chananæos imitarentur, humanas mactando victimas, quod merito dicit abominandum: "Non facies similiter Domino Deo tuo: omnes enim abominationes quas aversatur Dominus fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni."[7] Satis igitur liquet verba objecta non posse homines complecti, quos lex vetabat immolari. Chananæi quidem, anathemate divino percussi, in internecionem sunt traditi, justitiæ divinæ pœnas scelerum luituri, nec tamen victimarum Deo oblatarum habuerunt rationem. De Madianitis nihil dicitur quod suadet eos qui in Dei portionem cedebant, fuisse interfectos, quos captivos tantum et mancipia habitos esse verosimilius est. Abraham ante legem datam speciali Dei jussioni obtemperare se paratum exhibuit, sed humana litari victima noluit Deus. Agag in frusta concisus, Deo jubente, in sacrificium non est oblatus, sed facinorum subiit pœnam. Jephte filia pluribus videtur Deo devota, virgo semper mansura, minime autem interfecta. Quod si occisam patris manu quis putet, id non legis vi, sed improvido patris consilio perperam factum dicendum est.

Obj. 6. Leges de parte victimarum sacerdotibus danda, aliæque hujusmodi inducunt suspicionem avaritiæ Sacerdotalis, potius quam divinæ originis.

Resp. Æquum erat ut Sacerdotes sustentarentur, populi nomine munera sacra persoluturi Deo: nec avaritiæ insimulari possunt quia eorum sustentationi consulunt leges.

Prop. 4. Leges judiciales Mosaicæ politiam statuebant genti Judaicæ maxime accommodatam, manifesta Dei auctoritate et providentia.

Prob. Tota legum judicialium ratio ad Deum referebatur qui auctor earum agnoscebatur: quo pacto et principes et magistratus, nihil veluti

(1) Lev. 27.
(2) Ib. v. 29.
(3) Num. 31.
(4) Gen. xxii.
(5) Reg. I. c. xv.
(6) Judic. xi.
(7) Deut. xii. 31.

arbitrio agentes, a tyrannidis vitio servarentur, et populus Dei reverentia ad legis observantiam impelleretur.

Juris dicendi regulæ, ex quibus reipublicæ salus maxime pendet, magna sapientia sunt constitutæ, in singulis enim urbibus sedebant juxta portam judices, causas cognituri: orta autem sententiarum discordia, referebatur ad supremum Consilium, cui præerat pontifex. Ne judices a justitiæ semita deflecterent, vetita est munerum acceptio et districte eis est præceptum, ut pauperis, divitisve, civis vel exteri in judicando nullam haberent rationem, pupillis et viduis patroni potius quam judices futuri. Testes talionis pœna a falso testimonio sunt prohibiti. Pœnæ reis irrogabantur gravissimæ quidem, sed ad mores custodiendos, iis temporibus, necessariæ; adeo enim ubique grassabantur vitia immania, ut mortis metu homines ab iis deterrere opus esset.

Terræ promissæ distributio, magna æquitate facta, firmabatur sapientissimis institutis, ne rerum vicibus magna ejus portio in unius manus deveniret, et nonnulli ditescerent cum aliorum gravamine. Ideo post quinquaginta annos prædia bonaque omnia immobilia, ad primævos possessores revertebantur, solis in urbibus domibus exceptis. Manumittebantur etiam Hebræi quos egestas servos fecerat, et æs alienum omne dimissum habebatur. Viduis, orphanis, mercenariis, pauperibusque universis plurimis legibus consultum est.

Militiæ leges indulserunt ei qui ædificaverat domum, nec eam adhuc occupaverat, vel qui desponderat uxorem, ut bello abesset. Furori bellico certi appositi sunt limites, nam obsessa urbe, vetitum est ne arbores frugiferas in circuitu succiderent; eaque capta, ut supra vidimus, parcendum erat mulieribus et infantibus.

Leges Mosaicæ certe longe superant Lycurgi et Solonis instituta, quamvis Moyses illum octo, hunc sex sæculis, antecesserit: uterque scilicet plura sanxit virtutibus prorsus adversa. Pro comperto igitur habendum est eum non aliunde mutuatum esse leges, sed divinitus esse edoctum.

Divina sanctio legibus Mosaicis manifesto est data, nam septimo quoque anno, jubente Moyse, quievit populus a colenda terra, anno sexto trium annorum faciente fructum.[1] Si eventus haud respondisset, statim omnibus patuisset error.

Moses vetuit ne quid adderetur vel detraheretur legibus suis, sed eas sancte servandas jussit, etiam regiminis forma, regibus electis, mutata. Et per mille quingentos annos, quos Hebræorum stetit reipublica, vetitum est servatum.

Rerum temporalium copiam, et secundam fortunam Israelitis servantibus legem promisit, minatus res adversas delinquentibus. Non ausus fuisset suam auctoritatem huic periculo objicere, nisi de ea plane fuisset ei persuasum, nam Israelitæ facile erroris forent conscii.

(1) Lev. xxv.

Liquet ergo legum Mosaicarum de politia codicem maxime fuisse genti Judaicæ accommodatum, et divina sanctione plane munitum.

Obj. Mosaica lex sancit servitutem, quæ cum naturali hominis dignitate pugnat, et morum favet corruptelæ.

Resp. Servitus non est Mosaica lege inducta, sed restricta plurimis statutis quæ eam minus duram redderent. Cæterum quum subditi bello vitam sibi donari eo pacto gauderent, ut in mancipia haberentur, aliique, egestate premente, sibi consuli, libertate amissa, vellent, invaluit apud plerasque tes servitus, nec poterat facile tolli.

Obj. 2. Pœna mortis tot criminibus, etiam levioribus, adsignata, colligenti pauca ligna die sabbatico, Dei nomen in jurgiis proferenti, vel patri vel matri maledicenti, divinum legum codicem non designat.

Resp. Ratio habenda est temporum, et populi, et omnium adjunctorum, ut de legis pœnis accuratum habeatur judicium. Severitas exigebatur ut ordo servaretur, et graviora evitarentur facinora. Cæterum gravissima plerumque erant crimina quibus mortis pœna adsignata est. Colligenti ligna et temere proferenti nomen Dei mors inflicta est, speciali Dei jussu, ut qui primi legem infringere ausi erant, cæteris forent suppliciis suis terrori. Mortis pœna adsignata est maledicenti patri vel matri; quibus verbis tamen non designatur quæcumque loquela minus reverens, sed gravissima verbis illata injuria.

Obj. 3. Unicus totius legis finis videtur fuisse ut omnia e sacerdotum nutu penderent, theocratia statuta.

Resp. Lex nihil permisit sacerdotum, vel aliorum quorumlibet, arbitrio, sed omnium munera accurate definivit. Hinc Diodorus Siculus refert Moysen instituisse rempublicam; absoluti quippe regiminis forma, ubique per ea tempora vigentis, hic deerat. Lex quidem summam vim habebat, et omnia ad Deum auctorem referebantur.

Obj. 4. Leges de decimis gravabant populum, ditatis Sacerdotibus, ut de plurimis aliis gravaminibus sileamus.

Resp. In distribuenda terra, Sacerdotibus certe non favit Moyses, Leviticæ enim tribui non dedit portionem, quam aliarum instar accipere debuisset. Quibus, igitur, hac ex parte detractum fuit, eos aliunde sustentari æquum erat, ideoque decimas aliasque oblationes exegerunt, quin populi inde gravati dicendi forent.

C. VII. DE LIBRIS PROPHETARUM.

De Pentateucho, qui legem Mosaicam continet una cum historia generis humani ab orbe condito, præsertim populi Dei, huc usque tractavimus, et ex eo divinam revelationis Israelitis factæ vindicavimus originem. Plurima autem præsto sunt documenta alia quibus ea mirifice firmatur, scripta scilicet vatum aliorumque Hagiographorum, in quibus simplicitatem styli cum rerum sublimitate mirari licet, et purissimos sanctissimosque animi

affectus, præter arcanorum notitiam, quæ a divino fonte manaverit necesse est. Illud certe præsentis numinis clarissimum indicium per longam sæculorum seriem adfuit Israelitis, quod prophetæ, homines scilicet divino illustrati lumine, ut futura certo cognoscerent et prædicerent, semper apud eos essent, usque ad reditum ex Babylonica captivitate. Horum vaticinia, scripto ab ipsis consignata, sexdecim continentur libris, et ratione molis in prophetas *majores* quatuor, et *minores* duodecim distinguuntur.[1] Pleraque respiciunt suæ gentis fata, quæ denuntiabant ut pœnitentia ingruentia mala præverterent, quibus tamen grandiora de Christo immiscebant. Magnam vim inesse vaticiniis, si constet ea non potuisse excogitari humanitus, quisque fatebitur.

Prop. 1. Libri prophetarum genuini sunt.

Prob. Ex constanti Judæorum traditione, ex ipso tempore quo conscripti sunt libri derivata: nec enim validius alicujus libri authentiæ habetur argumentum. Judæorum testimonii vis maxime augetur ex eo quod illud ferant, Christianis inde sumentibus occasionem sua probandi dogmata adversus eos: "Per eorum quippe codices probamus, non a nobis tamquam de rerum eventu commonitis ista esse conscripta, sed olim in illo regno prædicta atque servata, nunc autem manifestata, et impleta."[2]

Prob. 2. *Ex intrinsecis authentiæ indiciis:* nam et autorum præfixa sunt nomina, et tempus et locus quibus vaticinati sunt accurate designata, Judæ et Israel regibus plerumque nominatis; et quæ iis continentur consona sunt gentis historiæ aliunde cognitæ, et stylus unumquemque prophetam denotat. Qua autem solicitudine invigilabant Israelitæ ne vaticinia temere venditarentur, ex legis præscripto, quod qui falsum aliquid prædixisset morte foret puniendus,[3] potest colligi. Quæ igitur vaticinia excepta sunt, edita tempore ad quod referuntur sunt habenda, et eventu etiam firmata, vel veridica edentium auctoritate plene statuta.

Librorum propheticorum integritas iisdem probatur argumentis. Equidem si vitiati fuissent, ea fuissent deleta, quæ populo regibusque ipsis exprobrata referuntur, plurimaque inserta quæ iis gratificarentur. Legenti patet quæ libris continentur ejusmodi esse quæ a vatibus, Dei nomine loquentibus, dici verosimile est, omni adulandi studio remoto.

Obj. Posteriora 27 capita Isaiæ scriptorem habent qui sub captivitatis Babylonicæ finem degit. Equidem auctor captivitatem non prædicit, sed Hierosolyma jam destructa, populumque exulantem supponit, et potentissimum Chaldæorum imperium, quæ omnia Isaiæ temporibus non congruunt.

Resp. Quum illud certissimum sanioris critices principium sit, opera in-

(1) Ex hac distinctione argumentum contra vaticinia derivavit Paine, mala certe fide, novit quippe optime molem vaticiniorum, non eorum auctoritatem ea designari.—Age of Reason, p. 1, p. 24.

(2) Aug contra Faustum, l. xiii. 10.

(3) Deut. xiii. 20.

tegra auctori cui tribui consueverunt, servanda, donec idoneæ in contrarium dentur rationes ex operibus ipsis desumptæ, vel aliorum testimoniis innixæ, constans apud omnes totius libri Isaiæ authoritas ad finem fere sæculi proxime elapsi, non potest infirmari iis quæ Döderlein, Gesenius, Paine[1] aliique nonnulli objiciunt. In eo falluntur quod vates instar historicorum interpretentur, nec qua ratione futuri eventus a Deo pandantur considerent; existimant quippe nihil divinitus eis patefieri de arcanis futuris, sed mentis aciem roborari ut quædam conjiciendo assequatur. Cæterum Deo illustrante vates futura conspicere censendi sunt tamquam præterita vel præsentia; menti scilicet obversantur temporis intervallis haud distinctis, nisi vaticinium ad rerum seriem et temporis ipsius spatium definiendum referatur. Isaias igitur spiritu elatus ad ea transvectus tempora in quibus populus exul futurus erat, eum lœto nuntio solatur, præclarissimaque de Salvatore humani generis adjungit præconia. Sic Moyses etiam populi prævaricationes futuras contemplans suo cantico commemoravit, veluti res gestas referens.[2] Oseas exulantes Israelitas ut revertantur ad Deum hortatus est, quasi jam abducti forent.[3] Michæas regni prædicit restitutionem, antequam subversum fuisset.[4]

Obj. 2. Stylus illorum capitum ab aliis differt, et Chaldaismi reperiuntur, qui recentiorem Isaia produnt auctorem, Babyloniis, familiarem.

Resp. Nulla est styli diversitas quæ ad rerum quæ prædicuntur diversitatem non possit referri: lenius fusiusque Messiæ vices illis capitibus depingit vates, et solari potius quam terrere populum studet: cæterum et increpationes admiscet, et iis utitur imaginibus ad Messiæ tempora describenda, quæ in prioribus capitibus occurrunt.[5] Qui Chaldaismi objiciuntur ingeniose excogitati sunt, sed infelici successu, docti enim homines ostenderunt voces easdem in operibus diu ante captivitatem scriptis occurrere. Unica est vocis forma in qua Aramæam potius scribendi rationem liceret suspicari: אֶגְאַלְתִּי pro הִגְאַלְתִּי.[6]

Obj. 3. Cyrus proprio designatur nomine, cæteris vatibus neminem nomine designantibus. Illud scriptorem Cyro jam regnante prodit.

Resp. Vox illa Persarum regibus communis videtur, quamvis rex ille qui Judæos liberavit eo nomine præsertim celebretur. Divino consilio vates nomen usurpavit, quod quum aliquem Persarum regem posset designare, illius foret veluti proprium, qui populum liberum dimitteret.[8]

(1) Age of Reason, p. 2, page 106.
(2) Deut. xxxii.
(3) Oseas xiv. 2.
(4) Michææ iv. 8.
(5) Confer c. xi. 6, et lxv. 25.
(6) c. lxiii. 3.
(7) c. xliv. 28, c. xlv. 1.
(8) Vide totam hanc rem præclare tractatam a Jo. Ulr. Moëller de authentia oraculorum Isaiæ c, xl.—xlvi. Coppenh. 1825.

Prop. 2. Vaticinia quæ libris prophetarum continentur probant divinam esse Religionem Judaicam.

Prob. Vaticinia illa evolverunt Judaicæ reipublicæ et gentium inimicarum fata, aliosque futuros eventus, nulla humana sagacitate certe cognoscendos: ergo divinitus edocti habendi sunt qui ea ediderunt. Præclara aliqua damus specimina.

Oseas[1] et Amos[2] quadraginta annis ante eventum prædixerunt Israeliticum regnum evertendum, et regionem vastandam. Isaias ducentis annis ante eventum appellavit suo nomine Cyrum Judæorum liberatorem.[3] Jeremias septuaginta annorum spatio captivitatem designavit.[4] Daniel ultimam Judaicæ reipublicæ cladem pluribus ante sæculis enuntiavit: "septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt—post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus, cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio * * et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio."[5] Hæc ad litteram impleta novit quicumque legerit historiam de evesis Jerosolymis.

De aliis imperiis ea etiam prædixerunt prophetæ quæ humanæ non possunt tribui conjecturæ. Nahum, 150 annis ante eventum, Ninive civitatem imperii Assyrii florentissimam evertendam enuntiavit.[6] Isaias, eodem intervallo temporis prævio, Babylonis a Medis, qui tunc vix cognoscebantur, cladem prædixit.[7] Daniel statuæ imagine e variis metallis conflatæ, quam in somnio vidit Nabuchodonosor, fata imperiorum Babylonici, Persici, Græci et Romani adumbravit, et Christi regnum numquam dissipandum.[8] Rex Persarum arietis figura, Alexander verò magnus, hirci instar, ab occidente veniens, et non tangens terram describitur.[9] Hujus victoriæ, imperiique divisio, et successorum ejus fata, et crudelitas præsertim Antiochi Epiphanis in Judæos referuntur, adeo accurate et perspicue ut Porphyrius librum post eventus exaratum temere contenderit, posthabita Judaicæ gentis contraria traditione. Re quidem vera si Danielis vaticinium cum scriptis Titi Livii, Justini, Polybii conferantur, tanta reperietur in illis rebus concordia, ut rerum gestarum scriptor potius quam vates videri poterit."[10]

Obj. Fanatico furore abrepti vates Judaici videntur, quippe qui omni humanitatis sensu exuto, humanum sanguinem sitiebant. Sic Elias 450

(1) c. 9.
(2) Amos. c. 5.
(3) Isa. 33. 44. 45.
(4) Jer. xix. 10.
(5) Dan. ix. 24.
(6) Nahum.
(7) Is. xiii. xiv. Vide etiam Jerem. l. et li.
(8) Daniel ii.
(9) Ib. c. viii. xi.
(10) Vide hæc fusius exposita ab Abbadie Traité de la vérité de la Religion Chrétienne. Tom. 1, sect. iii. ch. iv.

prophetas Baal jussit occidi.[1] Legitimos principes pro arbitrio deponendos et interficiendos præceperunt, et omnia turbarunt.[2] Indecore turpiterque se gesserunt, omni modestiæ et pudoris fracto repagulo.[3]

Resp. Deus ipse præceperat falsos prophetas interficiendos, utpote qui criminis lœsæ divinæ majestatis forent rei, et populum in gravissimas calamitates inducerent. Non, igitur, sanguinis cupido, sed justitiæ studium movit Eliam ut Baal prophetas interficiendos curaret. Nullam sibi arrogarunt prophetæ in reges auctoritatem, sed legati a Deo venerunt ut divina illis mandata judicia annuntiarent. Quum theocratia foret regimen, ipsi reges se a Deo pendere in sui regni administratione agnoscebant, nec nisi eo probante, regnare se posse: et sœpissime prophetarum opera utebantur ut divinam exquirerent voluntatem. Id de Saule, Achabo, aliisque constat.[4] Ministri, igitur, et interpretes Dei habendi sunt prophetæ, quos divino spiritu actos, et divino illustratos lumine, manifesto comprobavit rerum eventus. Achias Jeroboamo decem vestis suæ partes tribuendo, tribus decem suæ ditioni subjiciendas significavit, Salomone adhuc regnante. In fugam actus Jeroboam exul mansit in Ægypto, donec, defuncto rege, redire licuerit; nec tamen statim tribus ad se allexit, sed Roboamo una cum illis, porrexit preces, ut tributa minueret. Aspera Roboami responsio defectioni occasio fuit, et sic impletum est vaticinium.[5] Non, igitur, Achias sed Roboam in causa fuit cur defecerint tribus, quamvis ille defectionem prædixerit. Eliseus quidem per juniorem prophetam, Jehu in regem ungendum curavit, cui in mandatis datum est, ut Achab progeniem penitus deleret: sed id contigit divino judicio ob sanguinem prophetarum fusum.[6] Quod pertinet ad actiones prophetarum quæ pudorem vel modestiam dicuntur lœdere, falluntur qui putant Isaiam penitus nudum incessisse; nam ei tantum est jussum, ut exteriore veste soluta, nudipes incederet, ad indicandam captivorum conditionem qui a rege Assyrio abducerentur. Hæc simplex et obvia sacri textus expositio omnium linguarum indoli est conformis, nudus enim sæpissime pro male vestito sumitur: "nudus ara, sere nudus," ait Virgilius, et Cincinnatus nudus in agro repertus dicitur a legatis Senatus.[7] Ezechieli præceptum est ut tercentos nonaginta dies in latere sinistro, quadraginta in dextero, ligatus cubaret ad Dei patientiam erga populum rebellum designandam.[8] Nihil quidem in hac re turpe, aut indecorum, nec, si ad noctem restringatur, omnino ultra fidem: pluribus tamen videtur interpretibus rem non peractam, sed menti veluti objectam, et enuntiatam. Quod autem in eodem capite de pane stercore

(1) III. Reg. xviii.
(2) I. Reg. xvi. III. Reg. xi. xviii. IV. Reg. ix.
(3) Isais c. xx. Ezech. iv. Oseas i.
(4) I. Reg. xv. III. Reg. xviii.
(5) III. Reg. c. xi.
(6) IV. Reg. ix. 7.
(7) Aurel. Vict. c. xvii.
(8) Ezech. iv. 4.

humano cooperiendo additum est, respicit morem apud orientales vigentem, hodiernis etiam temporibus, in coquendis cibis utendi fimo desiccato: deficiente quippe ligno, animantium fimus adhibetur. Ad designandam igitur captivitatis miseriam, prophetæ est præceptum ut humano fimo potius uteretur; sed ipsi, magnam animi repugnantiam significanti, permissum est ut boum fimum adhiberet. Ideo autem cooperiri dicitur a Vulgato interprete, quod panis subcinericius ita coqueretur. De Osea legitur, quod jusserit eum Deus meretricem sibi sumere in uxorem, et filios fornicationum sibi facere; et quod mulierem etiam adulteram postea, pretio dato, comparaverit, eamque ab omni hominis consortio separaverit. Hæc parabolice dicta putavit S. Hieronymus: aliis autem placet in iis agnoscere rem gestam, meretricem in veram conjugem assumptam, alia etiam muliere a peccandi semota occasione: filii autem fornicationum dicuntur quos ipsa antea pepererat, et propheta adoptavit, vel qui ex ipsa a propheta geniti notam prioris ignominiæ matris tulerunt. Hæc certe nihil turpe involvunt, et magnas habuerunt significationes quas Oseas explicuit. Quod autem prophetæ figuras a rebus turpibus nonnumquam mutuati sint, factum est ut idololatriæ turpitudinem, quæ adulterii instar est, vividius exhiberent: mores autem illorum temporum siverunt ut liberius de hujusmodi rebus sermo fieret. Invalescente vitio, cautius de rebus pravis plerumque disseritur: quapropter verborum delectus non mores indicat puriores.

Obj. 2. Prophetæ dicti sunt qui rebus divinis studebant; extitit quippe schola, seu collegium prophetarum: vel qui, Saulis instar, æstu quodam animi elati, in divinas prorupere laudes.[1] Ex horum dictis nullum divinæ Religionis argumentum desumi potest.

Resp. Latius aliquando Prophetæ nomen usurpatum est: sed et pro eo qui, Deo illustrante mentem, novit futura, sæpius usurpatur. Argumentum verò ex vaticiniis stricte dictis derivamus, nec nitimur vocabuli ambiguitate. Fallitur igitur Paine, vel nugatur, hanc prophetæ multiplicem significationem, objiciendo.

Obj. 3. Prophetæ plerumque obscure locuti sunt, adeo ut nonnisi post eventum res prænuntiata fuerit intellecta: aliquando, eventu haud respondente vaticinio, conditionem latuisse fingebant: aliquando ea prædixerunt quæ ex hostium vi, et populi conditione poterant verosimiliter expectari.

Resp. Plurima clarissime dicta constat legentibus Prophetarum scripta: quod si quædam nonnisi eventu sint illustrata, id mirum videri non debet, plura, scilicet, ab omni hominum cogitatione adeo erant aliena, ut etiam prædicta non intelligerentur, sed eventu patuit quo sensu prophetæ sint

(1) Paine falso dicit Scripturam referre spiritum malum in Saulem insiluisse, eumque prophetasse. *Age of Reason*, *p.* 1. *page* 24. Scriptura e contra eum Spiritu Domini ad prophetandum excitatum exhibet; 1 *Reg. x.* 6, quo recedente post annos aliquos, permisit Deus in delictorum pœnam ut spiritus nequam eum exagitaret. c. xvi. 14.

locuti, mira rerum dictorumque concordia. Re quidem vera quæ prædicta sunt non semper evenerunt, Jonas quippe evertendam Niniven post quadraginta dies enuntiavit, Nininive tamen, spatio illo temporis elapso, stetit incolumis: sed facile intelligebatur conditionem vaticinio subesse, quum enim minæ illæ ruinæ intentarentur ad populum flectendum, eo ad pœnitentiam vehementissime excitato, causa minarum est sublata. Sic Ezechias precibus impetravit ut vita sibi produceretur, quamvis Isaias Dei nomine mortem iniminere jam annuntiaverit.[1] Rerum conditio nonnumquam conjecturis locum præbere potuit; sed sæpius ea sunt prædicta quæ ab omni verosimilitudine abhorrebant, ipsaque quæ conjici poterant ea certitudine sunt enuntiata, iisque vestita circumstantiis, quæ divinitus datam præscientiam ostendebant. Sic tempore Jorami regis Israel, obsessa Samaria, et ad extremam famem populo redacto, ita ut ipsæ matres infantium carnibus vescerentur, prædixit Eliseus crastino die modium similæ in porta civitatis uno statere vendendum, duosque hordei modios eodem pretio. Hanc annonæ copiam, quum omni careret verosimilitudine, dux quidam ex audientibus irrisit, quem vates fecit certiorem se eam oculis conspecturum, quin ex ea comederet. Mira rerum conversione dicta sunt impleta, noctu quippe sonitu in castris Syri exercitus cælitus facto, timore correpti in tenebris fugerunt, impedimentis, et commeatibus relictis: qua re cognita populus per portas civitatis irruens ducem illum casu conculcavit, et frumentum pretio prædicto comparavit.[2]

C. VIII. DE LIBRORUM CÆTERORUM VETERIS TESTAMENTI AUCTORITATE HISTORICA.

Præter Pentateuchum et Prophetarum libros sunt alii Veteris Testamenti libri, quibus passim continentur vaticinia, Psalmi scilicet, et libri historici, in quibus prophetarum dicta aliquando referuntur. De auctore omnium Psalmorum, et de tempore quo singuli sunt editi, movetur aliqua lis, salva tamen eorum authentia; apud omnes enim exploratum est Davidem Psaltem esse præcipuum, omnesque Psalmos a probato aliquo auctore prodiise, tempore satis remoto. Historici libri, de quorum auctoribus etiam est sententiarum divortium, authentica agnoscuntur, utpote a natione Judaica excepti, et ab auctore probato editi. Josue plerumque auctor censetur libri ejus insigniti nomine, quo quæ ipso regente populum evenerint referuntur, Samuel habetur auctor primi libri, quem vocamus Regum, qui apud Hebræos Samuelis dicitur, usque ad caput vigesimum quintum quo ejus mors narratur. Esdræ est primus liber ejus nomine notatus, Nehemiæ secundus. De cæteris non adeo constat, quamvis indubium sit eos a probatis auctoribus tempore valde remoto prodiisse. Judicum, Ruth, trium posteriorum, librorum Regum; Paralipomenon, Job, Esther, auctores tantum conjicere valemus. Ex Hagiographis Proverbia, Ecclesiastes, Canti-

(1) Isaias xxxviii. (2) IV Reg. c. 7.

cum Canticorum Salomonis sunt; De illis qui Deutero-Canonici audiunt nunc non agimus, ne cum Protestantibus et cum Deistis simul pugnemus.

Prop. 1. Libri omnes Veteris Testamenti sunt authentici, integri, et veraces.

Prob. Habiti sunt a gente Judaica tamquam genuini libri, rerum gestarum fidam exhibentes narrationem: jam verò apud totam gentem non facile potuit ea invalescere opinio, nisi a certis probatisque auctoribus prodierint, et eorum veritas esset ab initio explorata, præsertim quum de rebus magni momenti ageretur, et nationis interesset plura negare quæ in suum redundabant probrum. Hæc etiam probant nullum grave mendum irrepsisse, vix enim casu potuit irrepere, quum libri illi tanto studio custodirentur, et palam in cætibus legerentur: studio autem si quis tentasset ea vitiare, procul dubio ea fuissent ablata quæ genti Judaicæ afferunt ignominiam.

Præterea intrinseca sunt et præclara in plerisque veritatis et authentiæ indicia, simplex enim plerumque stylus, resque relatæ nulla arte, nullo popularibus suis blandiendi consilio, autorem soli veritati studentem probant, rerum testem, vel saltem fidissimum relatorem, certis documentis vel testibus innixum. Ipsa rerum series per tot sæcula decurrens, relata a diversis auctoribus, libris in archiviis publicis, vel sanctuario ipso, custoditis, publicorum annalium vim habet, fidemque historicam quam maximam.

Obj. 1. Liber Josue non potest eum habere auctorem, nam refertur expeditio Danitarum,[1] quæ, eo defuncto, Judicum tempore contigit.[2] Fit etiam mentio terræ *Chabul*,[3] quæ nomen ab Hiram rege Tyri, tempore Salomonis, accepit.[4]

Resp. Josuam esse libri illius auctorem suadent quæ ultimo libri capite leguntur: "Scripsit quoque Josue omnia verba hæc in volumine legis Domini." Sunt tamen qui putant commentaria quæ reliquit fuisse in alium ordinem a Samuele, vel alio, digesta: qua ratione fieri poterat ut insereretur libro Josue versus ille qui indicat rem posterius gestam, et plenius in libro Judicum enarratam. Aliis placet Lesem Dan, de quo apud Josue est sermo, a Lais apud Judices distinguere? Chabul in libro Josue vicum esse in confiniis Ptolemaidis, a viginti oppidis a Salomone Hiramo donatis distinctum, quibus Chabul Tyrius rex iracundus nomen imposuit, existimant interpretes plures. Cæterum hæc leviora sunt, quam ut libri authentia nutet, vel ut Josue negetur auctor, præstaret enim dicere Chabul nomen insertum a posteriori manu, loco alterius, et versiculum de Lais oppido capto adjectum, quam ut liber, quem a Josue scriptum ex citatis verbis extremi capitis colligitur, ad posteriorem auctorem referatur.

Obj. 2. Verax non potest haberi auctor, qui solem qui haud movetur, jubente Josue, stetisse medio cœlo, ut internecioni hostium fieret tempus, enarrat,[5] et Josuem scripsisse Deuteronomium legis super lapides duodecim.[6]

(1) Josue, c. 19.
(2) Judic. c. 18.
(3) Josue, c. 19.
(4) III. Reg. ix., 13.
(5) c. x.
(6) c. viii.

Resp. Mirum quidem, sed tamen non ultra fidem est solem Josue jussu stetisse, nam Deus potuit phenomenon illud efficere quin universi mundi spectabilis ordo turbaretur, vel destrueretur machina: satis enim erat ut diurnus motus terræ circa suam axem suspenderetur, motu ejus per ecliptícam perseverante, ideoque servata relatione ad cætera omnia corpora. Quod ad motum quem Josue soli tribuere videtur pertinet, usus est populari loquendi more, quem servant etiam hodierni Astronomi, etsi Copernico de mundi systemate assentiantur: nec interest utrum noverit illud[1] systema, quod quantumvis apud plerosque hodie exceptum, verosimilitudinis limites haud excedit. Occasio autem tanti miraculi idonea fuit, ut Dei justitia in Chananæos exerceretur, et ipse suis præsens esse agnosceretur. In analibus Sinensibus solem regnante Yao stetisse per decem dies refertur, 480 elapsis jam annis a Fo-hi monarchiæ Sinensis fundatoris morte usque ad initium illius regni:[2] ex Hebraico autem textu 547 anni a Noe morte ad Josue fluxisse noscuntur: quod si sexagesimo septimo anno regni Yao solstitium ponatur, cum primo anno Josue conveniet. Lux illa productior, de qua in libro Josue fit sermo, potuit huic narrationi præbere occasionem, consueverunt quippe homines miros eventus exaggerare. Quod apud profanos nulla alia supersit hujus eventus memoria, mirari nemo debet, nec enim habemus tantæ antiquitatis documenta profana. De numero lapidum quibus inscripsit Josue Deuteronomium legis nihil in Scriptura dicitur, nec Rabbinis duodecim fuisse affirmantibus fidem præstare cogimur. Ingentes fuisse lapides ex Deuteronomio constat,[3] mandatum scilicet Josue datum eos erigendi ibi refertur, quibus tamen benedictiones et maledictiones, non totum Deuteronomium insculptum, verosimile est.

Obj. 3. Judicum liber recentioris videtur ætatis, nam Jerusalem[4] nominatur, quum Salem vetustum sit nomen, et de captivitate fit mentio.[5]

Resp. Verosimile est librum Judicum a Samuele, vel alio, compositum, qui rerum commentariis publicis usus est: quæ enim in dies contingebant, vel a principibus ipsis populi, vel ab alio, scripto, referebantur. Vetustissimum esse auctorem colligitur ex eo quod scripserit Jebusæis adhuc Jerusalem incolentibus,[6] quos a David constat esse expulsos;[7] eique plenam deberi fidem ex narratione ipsa, et ex gentis Judaicæ constanti traditione liquet. Nullius sunt momenti quæ objiciuntur ad libri antiquitatem tollendam, nam urbem Salem ipsius Josue tempore Jerusalem vocatam ex libro Josue colligitur, sæpius quippe ita nominatur; et captivitas, de qua sermo, haud gentis totius intelligenda est, sed captæ a Philistæis arcæ.[8]

(1) Vide, Muzzarelli, t. 2., Op. 7., p. 16. "A cui già dei non vulgari Filosofi hanno opposte delle insolubili difficoltà."

(2) Martin, hist. de la Chine, l. 1. Bible Vengé, t. 1. Observations Préliminares, p. 253.

(3) Deut. xxvii., 3.
(4) c. I., v. 7.
(5) c. 18, v. 30.
(6) Judic. I., 21.
(7) II. Reg. v.
(8) I. Reg. iv.

Quod autem regem illis diebus non fuisse in Israel notat[1] auctor, rectorem quemcumque qui ordinem servaret defuisse designat.

Obj. 4. Libri Regum duo priores in Hebraico codice Samuelis dicuntur, quamvis pleraque, eo mortuo, evenerint. Ita Paine.

Resp. Samuelis nomen ideo duobus illis libris videtur tributum, quod cæperit prosecutusque fuerit volumen usque ad vigesimum quintum primi libri caput, quod a Nathan et Gad completum est, si de eo liceat intelligere quod in libro Paralipomenon legitur: "Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan Prophetæ, et in volumine Gad videntis."[2] "Cæterum ut de authentia librorum constet, necesse non est certum aliquem designare autorem; genuinam scilicet esse et veracem rerum gestarum relationem, ex ipsis quibus contigerunt temporibus ad nos derivata publica gentis traditione liquet. Novimus consuevisse prophetas aliosque publicis inserere commentariis præcipuas regum actiones regnorumque eventus. Sic legimus: "reliqua autem sermonum Oziæ priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos Propheta."[3] "Reliqua gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros regum Israel."[4] Hinc fuit *liber verborum dierum Salomonis*, *liber verborum dierum Regum Juda*, quorum passim occurrit mentio.

Librorum Veteris Testamenti quos Judæi venerantur ideo statuimus auctoritatem, ut iis in Christiana fide probanda utamur: "Quid est enim aliud hodieque gens ipsa, (inquit Augustinus) nisi quædam scriniaria Christianorum, bajulans legem et Prophetas ad testimonium adsertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod nuntiat illa per litteram?"[5]

C. IX. DE MESSIA.

Divinam licet habuerit Judaica Religio originem, non tamen fuit semper duratura, uni enim genti data Religioni cessura fuit quæ omnes amplecteretur gentes, Abrahæ quippe dictum est: "benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ;"[6] et Moses prophetæ, qui, ipsius instar, Dei nomine loqueretur, novam scilicet dando legem, obaudiendum districte præcepit: "Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. * * Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam."[7] De eo dicitur apud Isaiam: "testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.[8] Fœdus novum aperte enuntiavit Jeremias: "Ecce dies venient dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum: non secundum pactum quod pe-

(1) Jud. xviii., 31.
(2) I. Par. xxix. 30.
(3) II. Par. xxvi. 22.
(4) II. Par. xx. 34.
(5) Contra Faustum l. xii. c. 23.
(6) Gen. xxii. 18.
(7) Deut. xviii. 15.
(8) Is. lv. 4.

pigi cum patribus eorum, * * sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam."[1] Novum etiam sacerdotium prædixit David: "Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech."[2] Nova sacrificia, Judaicis rejectis, prænuntiat Malachias: "Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus. * * Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus."[3] Arcæ oblivio etiam est prædicta: "Non dicent ultra: Arca Testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, neque visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini: et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi."[4] Hæc aliaque vaticinia ostendunt testimonia quæ legem in sæculum datam prædicant, intelligenda esse de ejus perpetuitate, usque dum Judaica steterit respublica: in eo enim a legibus humanis distinguitur, quod hæ pro arbitrio rectorum, et pro rerum varietate revocentur, et mutentur, quum illa semper duraverit, etiam variata regiminis forma, donec, adveniente propheta illo quem annuntiavit Moyses, perfectiori cesserit legi. Hunc expectabant Judæi, quapropter miraculo panum multiplicatorum moti, dicebant: "quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum."[5] Hodierni etiam Judæi Messiam adhuc expectant liberatorem et regem, quamvis legem ab eo haud tollendam existiment. Nos vero eum advenisse probamus, quum tempus adventus ejus a prophetis designatum jamdiu effluxerit.

Prop. 1. Tempus adventus Messiæ a prophetis designatum jamdiu effluxit; impletum est, scilicet, Jesu Nazareno in terris existente.

Prob. Celebre est Jacobæum vaticinium: "Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium."[6] Hinc liquet supremam potestatem, vel tribus formam non penitus auferendam e Juda, usque ad Messiæ adventum, cui nationes obedirent: quo pacto tribus illius gloria foret ad culmen perducenda. Jam vero utraque a tempore Jesu Nazareni ablata est.[7] שֵׁבֶט Sceptrum regiæ potestatis, vel baculus tribus insigne,

(1) Jer. xxxi. 31.
(2) Ps. cx.
(3) Mal. i.
(4) Jer. iii. 16.
(5) Joan vi. 14.
(6) Gen. xlix. 8.
(7) Hengstenberg perdocte hanc interpretationem tuetur in egregio opere: "Christologie des alten Testamentes, und Commentar über die messianischen Weissagungen der Propheten" Berlin 1829, quod ante biennium in Anglicanam linguam versum Alexandriæ, D. C. editum est. Vide p. 50.

reddi potest, denotat scilicet auctoritatem, quod liquet ex parallelismo מְחֹקֵק duce, vel legislatore. Tribus igitur Juda permansura erat, præcipua quadam potestate prædita. שִׁילֹה[1] autem adveniente, præclaro illo viro, totius gentis spe, ad eum nationes exteræ etiam congregarentur, ejus subditi imperio.

Constat Judæos, eversis Hierosolymis, omnem potestatis umbram amisisse, nec umquam recuperasse, et tribuum distinctionem amplius haud servatam. Antea quidem regnum eversum est, Sedecia in captivitatem abducto, sed captivis quædam superfuit auctoritatis imago, quatenus propriis utebantur legibus;[2] et soluta post 49 annos captivitate,[3] Judæ tribus adeo eminuit, ut nomen toti regioni tribuerit, Benjamin tribu et reliquiis cæterarum tribuum nullo nomine speciali insignitis. Apud eam præcipue mansit potestas suprema, etiam Assamoneis ex tribu Levi dominantibus, nam a natione Judaica ea reipublicæ forma, quæ optimatum est, instituta fuit, et duces electi.[4] Quamvis igitur regia auctoritas apud Judam non fuerit ante Davidem, nec post captivitatem, præeminebat tamen cæteris tribubus, et quandam retinebat potestatem usque ad tempora Christi adventui proxima. Sub Pompeio, 60 ante Christum annis, cæpit nationis clades, quæ, Herode Idumæo in regnum a Romanis evecto, aucta est, ipsaque natio, Herode mortuo, in provinciam Romanam est redacta: tandem eversis Hierosolymis penitus evanuit omnis potestatis species.

Veteres interpretes Judæos vaticinium hoc de Messia intellexisse constat ex paraphrasi Chaldaica, et Targo Jerosolymitano, quod perspicuo est argumento, ita a patribus ad filios ejus significationem fuisse celebratam.[5]

Prob. 2. Ex vaticinio Danielis. Prophetæ intelligenti instare ultimum captivitatis annum, juxta Jeremiæ vaticinium, et deprecanti ne differretur ob populi peccata, visus est Angelus Gabriel dicens: "Daniel, egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt[6] super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum. Scito, ergo, et animadverte: ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexagintæ duæ erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occide-

(1) Pacificator ab Hengstenberg redditur, post Samaritanam.

(2) Daniel xiii. Esther xvi.

(3) captivitas integra fuit 70 annorum: 49 ab abducto Sedecia.

(4) Josephus l. xi. Antiq c. iv. l. 1, de bello Judaico c. 1. Vide etiam 11. Macch. II. et Hieronym. l. in Isaiam c. 1.

(5) Vide Huet prop. 9. c. 4.

(6) Idem ac "decisæ sunt" "definitæ sunt." נחתך

tur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo ; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium ; et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio,"[1]

Hæc plane adsignant epocham adventûs Christi, nec enim de alio aliquo possunt dici quæ adeo sunt magnifica, scilicet iniquitatem expiandam, justitiam sempiternam adducendam, visiones prophetarum implendas eo adveniente. Porro effluxisse jam tempus liquet, nam septuaginta illæ hebdomades, vel dierum, vel annorum sint necesse est, nullas quippe alias in Scripturis legimus ; ab edicto autem de ædificandis Hierosolymis, quod prodiit 20 Artaxerxis Longimani anno,[2] plusquam bis mille elapsi sunt anni. Tempus autem mire convenit, juxta peritiores Chronologos, cum Jesu adventu ;[3] nam annus 4260 periodi Julianæ, seu tertius annus lxxxi olympiadis, fuit vigesimus annus Artaxerxis, anno autem 4746 illius periodi Christus mortuus est.

Ratio cur septem et sexagintæ duo hebdomades separatim nominentur non patet. Putant nonnulli quadraginta novem effluxisse annos antequam Jerusalem et regionis pleraque oppida refecta sint,[4] quamvis urbem, in tempore angusto, festinanter inter pericula, constet erectam intra quinquaginta duos dies.[5] Aliis discrimen nullam habere specialem significationem vel causam videtur.

Occisus est Christus, nemine ei favente,[6] et dux cum exercitu cladem intulit populo ingrato, civitate etiam eversa, Titus scilicet imperator. Pactum autem initum est cum multis hebdomada una, Christo adhuc in vivis cum plurimis Judæis, eo autem defuncto cum gentibus etiam, Apostolorum opera. Media hebdomada defecit Sacrificium, quia sua morte Christus figuras implevit, vimque omnem victimis, quæ juxta legem offerebantur, abstulit, etsi hæ usque ad eversum templum offerri perrexerint. In templo abominanda res visa est, zelotis, qui illud occupabant, urbe a Romano exercitu obsessa, in se invicem sœvientibus ; et in toto urbis circuitu[7] vexilla Romana visa sunt, falsorum deorum imaginibus ornata. Equidem Messiæ adventus tempus hoc vaticinio designari manifestum est, illudque cum tempore quo Jesus in terris vixit, mire concordare.

(1) Dan. ix. 22.
(2) Nehem. ii. 1.
(3) Vide dissertation sur les septante semaines, Bible de Vence, t. 16.
(4) Calmet in loc.
(5) 2 Esdr. 615.
(6) וְאֵין לוֹ "et non ei." Paraphrasis a Vulgato interprete datur. Bergier intelligit de morte non sui causa, sed ut aliorum expiaret delicta, t. 5. ch. 7, art 3. § 15.
(7) וְעַל כְּנַף. *Super alam*, urbis extrema.

Prob. 3. Ex vaticiniis Aggæi et Malachiæ, Aggæus, ut consolaretur Judæos de novi templi humilitate dolentes, dixit: "Adhuc unum modicum est; et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam: et movebo omnes gentes; et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est aurum, et meum est argentum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ."[1] Malachias ait: "Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam: et statim veniet ad templum suum Dominator quem quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum."[2] Hæc certe ostendunt Messiam, stante secundo templo, venturum, ejus quippe præsentia sola potuit majus afferre decus quam arca, aliaque quibus præstitit magnificum a Salomone erectum œdificium. Ipse solus haberi potuit desiderio omnium gentium expetitus, quod enim malorum quibus gravabantur remedium exoptabant, in illo solo reperiri potuit. Jam verò funditus eversum est sub Tito templum Zorobabelicum: unde liquet advenisse Messiam.

Tempus a prophetis designatum cum adventu Jesu concordare colligitur ex ipsa quæ tunc invaluerat persuasione Messiam jamjam adventurum: "Scio quia Messias venit,"[3] inquiebat mulier Samaritana: et Judæi miserunt ad Joannem qui eum interrogarent utrum ipse Messias foret.[4] Hinc tot orti sunt post Jesu mortem se Messiam esse falso prædicantes. Josephus testatur "Judæos spe et opinione jamjam venturi Messiæ inductos fuisse ad rebellandum adversus Romanos."[5] Spem regni temporalis huic adventui conjungebant Judæi: "Pluribus" inquit Tacitus, "persuasio inerat antiquis Sacerdotum literis contineri, eo tempore fore ut valesceret Oriens, profectique e Judæa rerum potirentur."[6] "Percrebuerat Oriente toto" (inquit Suetonius) vetus et constans opinio, esse in fatis ut eo tempore Judæ profecti rerum potirentur.[7]

Obj. Vox Hebraica שֵׁבֶט ambigua est, virgam enim tribulationis æque ac potestatis sceptrum significat: ideo Jacobæum vaticinium potest explicari de ærumnis Judæorum haud tollendis ante adventum Shilo, qui eos gentium victores faceret.

Resp. Vox illa plerumque habet aliam adjectam qua tribulatio designetur, quoties eo usurpatur sensu, virga scilicet ferrea vocatur,[8] vel percutiendus quis ea dicitur: simpliciter verò baculum, potestatis insigne, deno

(1) Agg. 2. 7.
(2) Mal. 3.
(3) Joan. 3, 25.
(4) Joan. 1, 19.
(5) Joseph, l. 6., de bello Judaico.
(6) Tac. hist. l. v.
(7) Suetonius in Vespas, c. iv.
(8) Ps. 11. 9. Isaiæ x. 5. "Væ Assur, virga furoris mei."

tat. Porro contextus suadet hoc sensu eam hic accipiendam, nam gloriosa præcedunt et sequuntur, quæ Judæ præ fratribus auctoritatem et potentiam designant.

Obj. 2. De sceptro penes Judam mansuro usque ad Messiæ adventum non potest intelligi, nam ante Davidem non fuit apud illam tribum, nec post captivitatem.

Resp. Sceptrum non necessario regiam designat potestatem, sed auctoritatem quamcumque regiminis, et præstantiam : liquet autem Judæ tribum quadam gavisam esse eximia potestate, ab ipso vaticinii tempore, quum primæ partes ubique ei fuerint adsignatæ. Eam imminutam, seu suspensam, potius quam sublatam, tempore captivitatis Babylonicæ constat; Zorobabele deinceps e tribu Juda contribules suos aliosque in patriam reducente, revixit illa potestas, et permansit, Assamonæis ex electione et assensu Judæorum dominantibus. Post mortem Judæ Macchabæi: "congregati sunt omnes amici Judæ, et dixerunt Jonathæ : Nunc te hodie elegimus esse nobis in principem, et ducem ad bellandum bellum nostrum,"[1] et de Simone dicitur : "Judæi et Sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, et summum Sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis."[2]

Obj. 3. De hebdomadibus apud Danielem temere affirmatur annos intelligi potius quam dies, nec earum initium vel finis certo potest ostendi; sunt enim inter Christianos interpretes qui totam prophetiam Antiochi Epiphanis temporibus impletam intelligunt, quibus favet etiam auctor libri Macchabæorum, qui abominationem desolationis in altari tunc erectam refert.[3]

Resp. Sive dies, sive annos, intelligas, tempus jam liquet effluxisse, hebdomades autem annorum, sicut et dierum, in Scripturis recensentur.[4] De initio adsignando est quidem sententiarum diversitas, nonnulli quippe a primo Cyri anno, alii a Darii edicto, alii ab edicto Artaxerxis Longimani hebdomades numerant: cæterum hæc calculorum varietas nullum inducit dubium de fine hebdomadum jamdiu elapso. Sententia verò Marshami, viri Protestantici, vel Harduini, de vaticinio impleto tempore Antiochi, non potest probari, nam desolatio illa non fuit perpetua, quippe post triennium cultus est restitutus a Juda Macchabæo, nec cætera quæ Daniel prædixit illis temporibus facile accommodantur. Imaginem quandam et typum licet in Antiochi rebus gestis agnoscere, qui idolum in altari Dei statuit, rem vere abominandam, uti optime eam designat auctor libri Macchabæorum, qui tamen de Danielis raticinio impleto silet: Christus autem illud implendum in eversione Hierosolymorum, aperte enuntiavit.[5]

(1) 1 Mac. ix. 28.
(2) 1 Max. xiv. 41. Vide etiam, c.xii. 3. 6.
(3) 1 Mac. 1. 57.
(4) Lev. xv. 8.
(5) Mat. xxiv., 15.

Obj. 4. Jesu adveniente, iniquitas non est sublata, justitia perpetua non est adducta.

Resp. "Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate;"[1] sua, quippe, morte omnia expiavit peccata. Sanctissima etiam morum tradidit præcepta, gratiam tribuit, plurimosque ad virtutum exercitium excitavit. Igitur peccatum quod antea in plerasque gentes veluti dominabatur, eo adveniente, devictum est, quamvis hominum vitio adhuc plurimos habeat captivos.

Obj. 5. Jesus non fuit in templo secundo, nam Herodes, teste Josepho, sublatis veteribus fundamentis, novum extruxerat.[2]

Resp. Herodes plurima reparavit, amplificavitque, quin tamen novum erexerit templum, nemo enim Herodiani templi meminit Secundum. Zorobabelicum scilicet, a Romanis eversum Judaici scriptores in Talmude, et alias, constanter affirmant.

Prop. 2. Prophetiæ quæ Messiæ ortum, nativitatem, vitam, mortem, et post mortem exaltationem respiciunt, in Jesu Nazareno sunt impletæ.

Prob. 1. Ex Vaticinio Isaiæ. Hierosolymis a regibus Syriæ et Israel obsessis, Isaias, jubente Deo, Achaz, regem perterritum adiit, secum adducto filio Jasub, irritosque hostium prænunciavit conatus, oblato etiam miraculo in prophetiæ confirmationem: "Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite, ergo, domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum."[3] Quum domus David magno affecta sit metu, hostibus generis Davidici minantibus exterminium, ut filius Tabeel rex constitueretur, Isaias ad eam solandam, spe regni perpetui, præcipue missus videtur. Achazo quidem locutus est Isaias, metum ut deponeret hortans, eique miraculum in testimonium obtulit: quum autem rex ille impius, pietatis specie, indicium illud divinum nollet, vates principes illus familiæ allocutus eos increpavit quod dubitationibus suis de generis Davidici et solii perpetuitate, se Deo molestos præberent. Illis igitur, "*vobis*," non Achazo soli pollicitus est signum cæleste, virgineum, scilicet, partum, infantem Emmanuel, Dei præsentis pignus certissimum. Ortus illius, generis et solii Davidici perpetuitatis indicium dabatur, nam de eo postea est dictum: "Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis: et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis:

(1) Tit. II. 14. (2) Josephus l. xv. Antiq. (3) Isaiæ, 7. 11.

super solium David, et super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc."[1] Non, igitur, ad confirmandam prædictionem de regum inimicorum proxima dispersione, sed ad omnem metum dispellendum de generis et solii perpetuitate signum illud post tot sæcula eventurum datum est. Addit intra illud spatium temporis quod a nato puero usque dum posset bonum et malum gustando discernere intercederet, duo illi reges fugarentur: mensuram scilicet temporis a præclaro illo eventu qui menti obversabatur desumpsit, quamvis eventus, ipse esset remotus.[2] Liquet autem ex Matthæo vaticinium de partu virgineo fuisse in Jesu impletum.

De loco nativitatis Messiæ prædixit Michæas: "Et Tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel; et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis."[3] Jesus autem eo in oppido est natus.[4]

Ingressus triumphalis Messiæ in Hierosolymitanam urbem a Zacharia descriptus est: "Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ."[5] Jesu urbem ingrediente inter populi exultantis plausus, vaticinium illustri eventu est confirmatum.

Mansuetudo eximia Messiæ ab Isaia prædicta est: "Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi Spiritum meum super eum: et judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium; et legem ejus insulæ expectabunt."[6] Hæc Christo præclare convenire liquet.[7] Singulæ Christi ærumnæ a vatibus sacris sunt enuntiatæ, tanta cum eventibus concordia, ut casui nequeat ascribi.

Ps. XL. "Etenim homo pacis meæ in quo speravi; qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem."

Zach. XI. "Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis."

Zach. XIII. "Percute pastorem, et dispergentur oves."

(1) Isaiæ 9. 6.

(2) Ita Hengstenberg Christology p. 309. Bergier de puero secum a vate adducto illud explicat t. 5. ch. 7. ar'. 5. § 1. p. 143.

(3) Mich. c. v.

(4) Mat. 2. Luc. 2.

(5) Zach. 9. 9.

(6) Isaiæ 42. 1.

(7) Luc. 9. 58. Mat. ii. 29.

Isaiæ LIII. "Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet."

Isaiæ L. "Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me."

Thren. III. "Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis."

Ps. II. Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus."

Ps. XXI. "Concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos. Dinumeraverunt omnia ossa mea."

Is. LIII. "Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est."

Ps. XXI. "Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominis, et abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum."

Ps. LXVIII. 22. "Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto."

Zach. XII. "Aspicient ad me, quem confixerunt."

Ps. XXI. "Diviserunt sibi vestimenta mea, et in vestem meam miserunt sortem."

Patriarcharum de inferis liberatio ab Osee c. xiii. est prædicta "De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne." Zach. IX. "Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua."

Christi resurrectio a Psalte enuntiata est. "Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem." Ps. xv. 10.

Plurima alia ad Christum, et Ecclesiam ab ipso fundandam pertinentia, passim in Veteri Testamento leguntur, quæ Novum exhibet impleta.

Hæc omnia jure adducuntur: "eo ipso nimirum fortius atque firmius, quod ex manibus inimicorum tanta de Christo testimonia proferuntur; in quibus ideo gentes quæ credunt, nihil de illo ad tempus possunt putare confictum, quia in eis libris inveniunt Christum, quibus a tot sæculis serviunt qui crucifixerunt Christum, et quos in tanto apice auctoritatis habent qui quotidie blasphemant Christum. Si enim ab eis proferrentur prophetiæ de Christo qui prædicant Christum, ab eis ipsis confictæ putarentur: nunc vero id exponit qui prædicat, quod recitat qui blasphemat."[1]

Obj. Testimonia pleraque nullam habent ad Messiam relationem, sed pro arbitrio de eo explicantur, eventibus interpretationem suggerentibus. Sic apud Isaiam c. vii. prædictio filii ex puella proximæ nativitatis, v. 3. ad partum virgineum post plura sæcula, nulla prorsus verosimilitudine, refertur.

(1) Aug. contra Faustum l. xvi. c. 21.

Resp. Judæis ipsis vetustioribus exploratum erat plurima sacris libris contineri quibus Messiæ fata vel plane declarabantur, vel obscure adumbrabantur: proindeque in rebus gestis et dictis ea esse exquirenda, sæpe enim quæ referebantur typum et imaginem futurorum exhibebant. Mirum igitur non est quædam non videri directe respicere Messiam, quæ tamen nonnisi in illo plenam significationem et impletionem habuerunt. Cæterum contra Deistas iis præsertim utimur testimoniis quæ manifesto ad Messiam referuntur. Quod si aliquando admixta videantur aliis, animadvertendum Vates non historicos agere, seu concionatores, sed poetis magis assimilari, et spiritu afflante divino extra se ferri, et ad altiora iis quæ primum aggressi fuerant tractanda assurgere.[1] Sunt nonnulli interpretes qui partum infantis ex prophetissa, Isaiæ uxore, c. vii. enuntiatum putant, quorum tamen sententia verbis vatis ægre convenit, mirum enim quoddam indicium pollicitus est cælitus dandum, quod Virgo הָעַלְמָה puerum conciperet, Emmanuelem, eumque Deum vocare haud est veritus, Davidico solio etiam in perpetuum insedentem. Terram etiam suam appellavit: "erit extensio alarum ejus" regis scilicet Assyriorum, "implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel."[2] Hæc certe de Isaiæ filio nequeunt intelligi: nec de regis filio possunt explicari quæ c. ix. dicuntur. Ipsa vis verborum cogit, ut puerum ex virgine natum, Deum nobiscum, agnoscamus: quod fassi sunt ipsi interpretes qui vaticinium filium Isaiæ directe respicere opinati sunt, typum illum et imaginem Messiæ habentes.[3]

Obj. 2. Ex testimoniis quæ manifesto non respiciunt Messiam nullum derivari potest argumentum: nam verba facile accommodantur, orationis serie neglecta. Ita Paine.

Resp. Quotiescumque testimonia reperiuntur adeo magnifica et sublimia, ut de eo ad quem videntur referri, verbi gr: Salomonem, Davidem, aliumve, nequeant explicari, in Messia, cujus fuerunt typi, eorum impletionem licet exquirere; novimus enim, ex ipsa Judæorum traditione, eum fuisse vaticiniorum præcipuum scopum. Nec mirum vatem veluti a proposito discedere, extra se raptum ad altiora et remotiora, nam et poetæ lyrici æstro quodam efferuntur, et Spiritus Dei arcana subito illapsu revelare censendus est. Quæ autem de Messia explicantur adeo sunt aperta, et eventibus conformia, ut temere accommodata haberi nequeant.

Obj. 3. Doctores Judaici qui ante Jesum natum vaticiniis studuerunt, notionem longe diversam de Messia habuerunt ab illa quæ nunc obtinet: nam principem gloriosum et potentem eum sibi finxerunt: recens, igitur, vaticiniorum explicatio non est obvia.

(1) Card. de La Luzerne, sur les prophetics, c. 2. s. 10. p. 59.

(2) Isaiæ 8. 8.

(3) Vide Hen stenberg, loco supra citato. Falso dicit Paine eve .tum proximum vaticinio non respondisse, quia etsi reges Achazum vicerint, et prædam abstulerint, non tamen solio ipse dejectus est. 2 Par. 28. 1—20. Adveniente Assyriorum rege, hi quoque magnam subierunt cladem.

Resp. Vaticinia ante eventum plerumque obscuritatem quamdam habent, quod divinitus cautum videtur, ne homines ad ea implenda impulsi censerentur. Cæterum locum in quo Messias oriturus erat doctores Judaici agnoverunt, ex vaticiniorum auctoritate, prout liquet ex iis quæ Herodi sciscitanti responderunt. Quæ de regno terreno excogitarunt in magnificis prophetarum de Ecclesia Christi eloquiis fundari visa sunt, quæ eventu patuit ad imperium sublimius in animas referenda. Nec ignorarunt Messiam esse plurima passurum, quamvis non omnia plene intellexerint. Adeo quidem constabat veteribus Judæis Messiam passurum plurimas ærumnas, ut duos agnoverint, unum gloriosum, alium patientem.[1]

CAP. X. DE FIDE HISTORICA LIBRORUM NOVI TESTAMENTI.

Quum Christi res gestæ et doctrina maxime contineantur libris qui dicuntur Novi Testamenti, Evangeliis scilicet, Actis Apostolorum, et scriptis Apostolicis, necesse est eos *authenticos* demonstrare, *integros* etiam et *veraces*, ut illis constet humana saltem et historica fides. De plerisque libris qui a Christianis omnibus agnoscuntur nunc agimus, dilata questione de paucis qui a nonnullis in questionem olim vocati sunt.

Prop. Evangelia, Acta Apostolorum, cæterique libri Novi Testamenti ab authoribus quibus tribuuntur conscripti sunt.

Prob. 1. *Ex constanti Christianorum ab ævo Apostolico traditione;* nec enim potuit ea apud omnes, vel plerosque, obtinere, nisi veritate niteretur. Profecto qui genuini non erant libri, statim, vel brevi, rejecti sunt: hi verò agniti sunt, et ad posteros, summa cura, transmissi. Jam verò ex hujusmodi traditione omnium librorum authentia pendet, quin tot suffragatores et testes, omnis gentis, generisque, aliquis liber præter hos habeat. Scriptores ævi Apostolici, Clemens Romanus,[2] Ignatius, Polycarpus plura retulerunt testimonia ex libris Novi Testamenti desumpta, quamvis auctorem siluerint, nec enim adhuc consuetudo inducta est citationis specialis. S. Justinus M. medio sæculo secundo testatur monumenta Apostolorum legi in fidelium cætibus una cum Prophetarum vaticiniis.[3] Irenæus meminit quatuor Evangeliorum et epistolarum plurimarum D. Pauli:[4] sicut et Athenagoras et Clemens Alex. Tertullianus appellat "Ecclesias Apostolicas—apud quas ipsæ authenticæ Apostolorum literæ recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem unius cujusque."[5] Recenset deinceps Co-

(1) Vide lettres d' un Rabbin converti par Drach, et Hengstenberg, in Ps. 16, p. 121, et c. 4, p. 187.

(2) Clemens Rom. 1., ad Cor. §. xxx. v. 2., cit. test., ex. Jac. iv. 6. 1 Pet. v. 5. "Deus enim, inquit, superbis," &c. Citat etiam Clemens verba Christi relata apud Matth. Vide, Ep. §. xlvi., v. 7. Laudat Epist. Pauli ad Corin., et passim citat vel imitatur Ep. ad Heb.

(3) Apol. 1, n. 67., p. 222., *τα ἀπομνημονευματα των αποστολων*

(4) Irenæus l. III. adv. hær. c. v. vi., et passim.

(5) L. 3 de præs. c.36.

rinthum, Thessalonicam, Ephesum, Romam, Ecclesias ad quas extant S. Pauli Epistolæ. Origenes, relatus ab Eusebio, quatuor recenset Evangelia tamquam in universa Dei Ecclesia admissa.[1]

2. *Ex intrinsecis authentiæ notis:* ea quippe singulis libris continentur, quæ personis, tempori, locisque, conveniunt, singulique scriptoris characterem sibi impressum præseferunt. Minutæ adeo et accuratæ rerum et personarum descriptiones coævum scriptorem, testem oculatum, vel saltem ab oculato teste edoctum, denotant. Quæ de Hierosolymæ excidio a Christo narrantur prædicta, antequam generatio illa deficeret adimplenda, haud dicuntur a scriptore jam eventu comprobata: quod tamen haud neglexisset si post eventum suam composuisset historiam. Linguæ Hebraicæ idiomata et stylus Hebraicus in libris illis se ubique produnt, unde liquet Judæos esse auctores. Ipsa styli humilitas homines litteris haud excultos, quales exhibentur Apostoli, ostendit. Joannis tener animus, ad Christi fratrumque amorem propensus, per omnia sua scripta, Petri auctoritas fervorque animi in suis epistolis, Pauli ardens studium, et fandi copia ubique apparet.

3. *Ex Christiani nominis hostium confessione*, Celsus quippe qui 2. Sœculo scripsit, Porphyrius, Julianus, aliique nullum moverunt dubium de librorum N. T. authentia, sed potius ex illis plura laudarunt.

4. Ex fraudis difficultate. Viventibus Apostolis fieri non potuit ut vulgarentur eorum nomine libri aliena manu compositi, quin fraus detegeretur: ipsis verò e vita sublatis, difficili negotio reciperentur scripta quæ antea fideles omnino latuerant. Id præsertim animadvertendum, plerasque epistolas Pauli ad quasdam Ecclesias vel ad Episcopos quosdam directas, occasione sumpta ex litteris ad ipsum missis, vel ex eventibus quibusdam publicis: quo autem pacto fieri potuit, ut non reclamaretur, si nullæ hujusmodi epistolæ fuissent ab illis acceptæ? Ipsa Evangelia in fidelium cujusdam regionis utilitatem præsertim scripta sunt, ad alios postea divulganda, testimonio de auctore roborata.

Obj. Libri illi apud Christicolas facile excepti sunt nullo de auctoribus instituto examine. Horum igitur testimonium, tamquam de re sua, non est excipiendum.

Resp. Libri illi non adeo facile reciperentur, si de auctore non constitisset; nam arctissimis legibus coercent cupiditates, nullique favent vitio, vel superstitioni: Deum autem in spiritu et veritate prædicant colendum. Præterea ex Ethnicis vel ex Judaica secta, ad sacra Christiana traducti sunt primi Religionis professores, qui proinde, ex adversariis facti discipuli, testimonium validissimum præbent, dum libros illos agnoscunt quibus rei Christianæ summa continetur.

Obj. 2. Ante Justinum nemo ex Christianis scriptoribus noscitur lau-

(1) Euseb. l. 6 hist., Eccl. c. 35.

dasse scripta Apostolica, quamvis eorum auctoritate scribentibus opus profecto esset.

Resp. Pauca sunt ante id temporis scripta: abundant tamen testimoniis ex libris Novi Testamenti, quamvis adducantur nulla forma citationis præmissa, uti consuevit fieri, dum fontes omnibus innotescunt.

Obj. 3. Plurima divulgata sunt scripta nomine Apostolorum quæ tamen eos non habuerunt auctores; Evangelia etiam plurima extiterunt: quamvis igitur libri qui nunc Novo Testamento continentur, obtinuerint auctoritatem, progrediente tempore, fieri potest ut genuinus fœtus non sint Apostolorum, et Evangelistarum.

Resp. Non tot divulgata sunt scripta quot numerantur, idem enim Evangelium aliquando pluribus nominibus designatum est. Cæterum nullum est documentum ea ante secundum sæculum in lucem edita. Quidquid sit, constat ea numquam apud Christianos plerosque obtinuisse fidem, quamvis nonnulli fuerint aliquando decepti. Inde autem liquet, non temere sed re cognita, libros qui ad nos pervenerunt agnitos fuisse authenticos.

Obj. 4. Canon Scripturarum nonnisi mortuis Apostolis compositus est, anno circiter 117, ut plerisque videtur: facile, igitur, libros suppositiitios potuit complecti.

Resp. Authentia scriptorum Apostolicorum innotuit, antequam canone quodam includerentur. Ecclesiæ ad quas sunt directa certam habuerunt eorum notitiam, quarum testimonio nixi sunt, qui, ea in unum colligentes, canonem ediderunt.

Obj. 5. Falsæ decretales epistolæ, Isidoro fraudis artifice, vel patrono, nono sæculo confictæ sunt, et per plura sæcula authenticæ sunt habitæ. Simile quiddam de libris Novi Testamenti suspicari licet.

Resp. Nihil hujusmodi potest in suspicionem venire, nam præsto sunt omnium sæculorum ab ævo Apostolico certissima testimonia, et intrinseci characteres ævum et auctores plane exhibent. Isidorianæ fraudi deerant hæc subsidia, nec enim veterum testimonia, nec decretalium epistolarum materies originem antiquam vindicabant: sed quum genuinis plerumque scriptis, antiquiori præposito nomine, compilator Isidorianus fuisset usus, et dogmata consuetudinesque receptas sequeretur, homines facile decepit, quod alias, etiam rudiori sæculo, non potuit contingere.

Integritas librorum Novi Testamenti jam erit vindicanda, eos scilicet nullo mendo graviori vitiatos ad nos pervenisse quales ab auctoribus prodierunt. De levioribus mendis quæ substantiam scriptorum non attingunt, quæstio non est.

Prop. 11. Libri Novi Testamenti integri sunt.

Prob. Ex antiquissimis quæ supersunt exemplaribus manuscriptis, numero pene infinito, quæ in substantia mire concordant; ex versionibus antiquissimis, Syriaca et Latina, quæ etiam Græco textui plerumque est consona; et ex scriptis patrum, vetustissimis a temporibus, in quibus passim

laudantur testimonia, et dogmata, morum præcepta, res gestæ Christi et Apostolorum ita exhibentur, ac libris Evangelicis continentur. Id etiam, inferendum foret ex summa reverentia qua Christifideles hos libros semper prosecuti sunt, nefas quippe putassent aliquid in iis mutare. Præterea quum in cœtibus fidelium ubique terrarum legerentur, et a sacris præconibus in dogmatum confirmationem, vel morum regulam adhiberentur, nulla gravis mutatio fieri potuit; statim enim patuisset vitium, omniumque provocasset detestationem. Ipsa quæ variis temporibus nata sunt inter Christianos sententiarum divortia, obici fuerunt validissimo, ne grave induceretur mendum, etsi id voluissent attentare nonnulli; nam invigilabant omnes ne adversariis subsidium præstaretur indebitum, ideoque tantum nefas corruptorum codicum felici successu patefecissent.

Obj. 1. Triginta millia variantium lectionum recenset Millius in editione Græca Novi Testamenti.

Resp. Pleræque varietates sunt minutissimæ, et sensum minime afficiunt: aliæ substantiam rerum haud attingunt: paucæ sunt omnino quæ graves haberi possunt; adeo ut rerum gestarum et dogmatum præcipuorum relatio integra plane sit.

Obj. 2. Patrum citationes sæpe a hodierna lectione longe distant, vel nullatenus in codice N. T. inveniuntur.

Resp. Citationes pleræque mire conveniunt, adeo ut si libri ipsi præsto non forent, ex patrum scriptis textus fere integer exurgeret. Quod autem nonnumquam varient, factum est vel ex memoriæ lapsu, vel versionis, vel codicis, quadam diversitate, quin tamen narrationis, vel testimoniorum substantia inde labefactetur. Citarunt etiam patres quædam traditione celebrata, quæ codice non continerentur, vel sensum potius respexerunt quam verba. Sic illud testimonium: "probi nummularii estote;" non reperitur in Novo Testamento, quod tamen continet increpationem servo qui pecuniam domini sui non dederat fœneratori, cum usura utique recipiendam.

Obj. 3. Ultimum caput Marci de resurrectione Christi in antiquis codicibus deerat, testantibus Gregorio Nysseno et Hieronymo; sudoris sanguinei relatio[1] desiderabatur, et historia mulieris adulteræ[2] Græcis prorsus ignota erat. Denique versiculus celeberrimus 1 Joan. c. v. 7., a plerisque hodiernis Biblicistis, praecipue inter Protestantes rejicitur.

Resp. De singulorum testimoniorum auctoritate nunc non agitur, sed de librorum integritate, quæ stabit, etsi pauca quædam casu, vel dolo, adjecta fuissent, ipsam narrationis substantiam haud attingentia. Cæterum gravissima momenta rationum probant hæc non adjecta, sed casu in quibusdam codicibus manuscriptis omissa. Forsan quæ de sudore Christi a S. Luca relata sunt, et de adultera absoluta, palam legi non consueverunt, ne divinæ Christi dignitati videretur detrahi, vel frœna laxarentur peccato, qua ratione contingere potuit ut in quibusdam deessent codicibus. Marci capitis

(1) Luc. 22. (2) Joan. 8.

ultimi pars in uno tantum manuscripto codice, qui ad nos pervenit, desideratur, qui etiam alias deficit. Historia mulieris adulteræ, in 284 manuscriptis codicibus, et 6 Evangelisteriis reperitur.[1] De versiculo in epistola Joannis postea agendum erit. Hoc notandum, nihil in locis prædictis contineri, unde pendet evangelicæ historiæ veritas.

Obj. 4. Sæpesæpius Christianæ Sectæ sibi invicem exprobrarunt corruptos codices ad propria tuenda dogmata: quod Celsus etiam Ethnicus olim Christianis universis objecit.

Resp. Nonnulla fuerunt hujusmodi tentamina a sectarum fautoribus, irrito tamen conatu, nam non potuerunt universos per orbem vitiare codices. Liberatus testatur Macedonium episcopum Constantinopolitanum tentasse textum D. Pauli corrumpere una vel altera littera mutata, quæ tamen occasio fuit ut in exilium pelleretur. Origenes etiam Celso olim respondit: "Non alios novi qui Evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini, fortassis et Lucani sectatores."[3] Cæterum ut sæpius diximus, jam non agitur de uno alterove textu quo dogma aliquod firmetur, sed de rebus gestis, et librorum substantia.

Prop. 3. Evangelia, Actus Apostolorum, cæterique libri Novi Testamenti summam humanam et historicam merentur fidem.

Prob. Scriptores sunt simplices homines, nullam fraudis, doli, vel mendacii speciem præseferentes, sed veritati, virtuti, pietati addicti. Stylo omnis fuci experte, veritatis ipsius indice, res referunt. Nullum lucrum, commodumve, ex falsa narratione sibi potuerunt polliceri, sed potius plurimorum in se provocabant odium, et persecutionem. Testes fuerunt oculati plerorumque quæ retulerunt. Res miras prorsus, sed tamen oculis patentes, palam in templo, vel coram turba hominum, patratas narrant. In Judæa evulgata est Matthæi narratio, septennio circiter post Christi mortem: aliaque scripta apud alios, locis temporique satis propinquos. Judæi irrito conatu restiterunt, plurimis ex ipsis, cum magna Ethnicorum multitudine, rerum evidentiæ cedentibus: quod maximo est argumento res relatas certissimo innotuisse testimonio. Quæ ex aliorum relatione narrant Marcus, Lucas, et Paulus, ab oculatis derivata sunt testibus; et sæpesæpius oculati historici, Matthæi scilicet, vel Joannis, testimonio roborantur.

Obj. Apostoli, quum essent litterarum rudes, miraculi specie facile decepti, Christo adhæserunt; posteaque narrarunt plurima ad asseclas sibi comparandos, et pecuniam.

Resp. Etsi daremus homines litteris parum excultos facile posse miraculi specie decipi, plurima tamen sunt in quibus nemo, quantumvis rudis, decipiatur. Cœcos statim visum recuperare, mortuos resuscitari, panes in manibus suis multiplicatos non potuit rudis homo, sui compos, sibi falso

(1) Vide Bloomfield in locum.
(2) Liberatus Breviar. c. ix.
(3) Origen, l. iii. contra Celsum.

persuadere. Si de uno alterove miraculo ageretur, errorem suspicari forsan licuisset: quis autem credat homines plures, plurima, tot vestita adjunctis, temere putasse, se inspectantibus, facta, in quibus tamen dolus, vel ars, subesset! Scientia nulla opus est ut multa miracula tamquam divina opera naturæ legibus prorsus contraria agnoscantur. Quod autem essent Apostoli tardi ad credendum, potius quam creduli, et fanatici, liquet ex tota narratione. Deceptos igitur non licet existimare Apostolos: deceptores quis putabit? Asseclarum copiam vix poterant sperare homines dicendi copia haud præstantes, nulla valentes potentia, commodum nullum vitæ sectatoribus pollicituri. Vanæ gloriæ cupido eis certe non est tribuenda. Qua vero ratione poterant pecuniam ex falsis narrationibus expectare comparandam, quum vulgi præjudiciis adversarentur? Profecto, si demens consilium iniissent, fictis falsisq: narrationibus conflandi Sectam, vel comparandi pecuniam, alia fingere debuerunt magis grata humanis cupiditatibus. Præterea liquet Evangelicas narrationes, et scripta Apostolica, ex occasione orta, locis et temporibus diversis, nullo proinde communi consilio, quum prædicando potius quam scribendo, jam Christianam Ecclesiam diffudissent.

Obj. 2. In suis narrationibus haud conveniunt Evangelistæ: discordia autem testibus detrahit fidem, præsertim si de divina Religione eorum testimonio statuenda agatur. Sic genealogiam Christi exhibet Lucas ab ea quam præbet Matthæus prosus diversam. Joannes de paschate a Christo celebrato ultima vice ea narrat quæ cum aliorum Evangelistarum narrationibus nequeunt conciliam.

Resp. De rebus gestis Christi manifesta est Evangelistarum concordia, quamvis de quibusdam adjunctis levioribus possit videri discrepantia. Jam vero ad historicam fidem iis vindicandam, satis est si in rerum summa conveniant. Cæterum in ipsis levissimis adjunctis summam esse concordiam ostendunt scripturarum interpretes, adeo ut ipsa narrationis varietas, quæ objicitur, Evangelistarum auctoritatem magis firmet; constat enim eos haud scripsisse communi ex consilio, nec eorum composuisse historias, ut altera alteri subsidio foret. Geanealogiæ diversitas varie explicatur; Lucas virginis Mariæ, quam præ cæteris Evangelistis celebrat, a plerisque censetur texuisse originem; de ea tamen silens, haud enim consueverunt Judæi mulierum genealogiam nominatim præbere. Joseph, igitur, filius quum esset Jacob, fuit quoque Heli, suæ sponsæ ratione. Sic Salathiel Jechoniæ filius, fuit Neri, uti probabiliter conjicitur, quia unicam ejus filiam duxit in uxorem. Profectò ex tabulis publicis genealogiam utramque extractam pro more Judæorum constat, nec difficultatem aliquam inde objectam Christianis novimus eo quo prodiit sæculo, quum facile error patuisset. Quæ de Paschate objiciuntur, satis diluuntur a sacris interpretibus.[1]

Obj. 3. Lucas ait: "exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur

(1) Vide Bible de Vence t. xi. diss. sur la dernière Paque de J. C.

universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino."[1] De censu tamen hoc, anno Christi nati, silent omnino auctores profani, qui res ab Augusto gestas retulerunt: constat autem Cyrinum nonnisi 10 annis post obitum Herodis præfuisse Syriæ.

Resp. Inter profanos scriptores solus Dio accuratam Augusti scripsit historiam, cujus tamen pars ab anno Urbis conditæ 748 ad 758 intercidit. Affirmari igitur certo nequit censum illum non fuisse ab ipso relatum. Profecto Justinus[2] et Tertullianus[3] fidenter citarunt tabulas census in Romano servatas archivio. Cæterum universi orbis nomine Judæa aliquando intelligebatur, fames quippe temporibus Eliæ per universum orbem dicitur fuisse,[4] et Agabus prædixit famem pari verborum amplitudine.[5] Si hac ratione intelligatur objectum testimonium, mirum non erit censum longinqui illius populi a Romanis scriptoribus haud esse notatum. Liquet Lucam nullam habuisse rationem de censu illo verba faciendi præter rei veritatem; nec temere sese in ipso historiæ limine facili refutationi expositurum. Quod autem adjungit, potest ita explicari ut descriptio hæc prior sit alia celebriori quæ facta est Cyrino præside Syriæ.

Obj. 4. De cæde puerorum, quam refert Matthæus, silet Josephus, sicut et cæteri omnes scriptores: de Stella Magis visa, quæ tamen omnibus debuit esse manifesta, altum ubique silentium; sicut et de Sole, moriente Christo, obscurato.

Resp. Quamvis Josephus cædem puerorum, sicut et plures alias res gestas tacuerit, nescio qua de causa, Macrobius ethnicus scriptor 4 *sæculi* de imperatore Augusto refert: "Cum audiisset, inter pueros, quos in Syria Herodes, rex Judæorum, intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: melius est Herodis porcum esse quam filium.[6] Liquet Macrobium effatum illud Augusti ad infanticidium Bethlemiticum retulisse, quod ex profanis documentis eum didicisse verosimile est. Quamvis igitur daremus illud occasione cædis filiorum trium Herodis, quæ ante infanticidium evenerat, prolatum, uti nonnullis criticis placet, cædem tamen infantum innotuisse Macrobio constat. Cæterum infantes infra bimatum nati in oppidulo Bethlehem, ejusque finibus, non tanto fuerunt numero quo vulgò habentur; quæ ratio forsan erat cur minus notaretur cædes inter alia tyranni immania facinora. Matthæum autem intra sexennium post Christi mortem eam relaturum in ipsa Judæa, si revera non contigisset, nullatenus potest credi. Stellæ nomine apud Matthæum eo loci intelligitur *meteora*, seu lucidum quoddam corpus in aere terræ propinquo, quod stellæ formam intuentibus exhibuit. De ea autem non adeo altum est silentium apud pro-

(1) Lucæ II. 2.
(2) Justinus m. in Ap. 1.
(3) Tertullian apologetic c. 5, 7, 21.
(4) Lucæ 4, 25.
(5) Act. 11, 28. 4. Vide Réponses critiques t. 1, p. 456.
(6) Macrobius l. II, c. 4, Saturnalium.

fanos, nam Chalcidius III. sæculi philosophus, commentario suo in *Timæum* Platonis hæc inseruit. "Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam non morbos mortesque denunciatas, sed descensum Dei ad humanæ conversationis rerumque mortalium gratiam; quam stellam cum nocturno itinere inspexissent Chaldæorum sapientes viri, quæsiisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, et vota tanto Deo convenientia nuncupasse." Alieno tamen testimonio opus non est, quum Matthæus, coævus Scriptor, referat Magorum ea occasione Hierosolyma adventum, sacerdotum scribarumque concilium, jubente Herode, habitum, aliaque publica et notoria, quæ nemo, quantumvis perfricatæ frontis, ausus fuisset affirmare, si nihil tale evenisset. Solis obscuratio anno quo Christus mortuus est, notata est a Phlegonte, Hadriani liberto, in Chronico Olympiadum. "Quarto anno CCII. Olympiadis magna et excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subverterit."[1] Tertullianus et Lucianus Antiochenus martyr paganos ad tabularia et publica instrumenta in eorum Archiviis servata remiserunt.[2] Eusebius testatur eam in Ethnicorum commentariis suo tempore referri.[3]

Obj. 5. Fuga in Ægyptum cædis occasione contigisse dicitur: constat autem puerum post quadraginta dies ad templum delatum, et deinceps Nazareth degisse, testante Luca, c. ii.

Resp. Ex compendiosa narrandi ratione quam servant sacri scriptores plura silentio pertranseuntes, oritur hæc sicut et aliæ plurimæ difficultates. Purificatio jam facta videtur ante Magorum adventum, de reditu autem ad breve tempus ad Bethlehem quod quinque tantum milliaribus passuum distabat Hierosolymis, et de fuga in Ægyptum tacuit Lucas, diuturnum in oppido Nazareth habitaculum designaturus.[4] Sunt tamen qui putant purificationis dies adimpletos in Magorum adventu, et puerum ad templum statim delatum, ad oppidum Nazareth deinceps transferendum: jussum vero de fuga Josepho jam Nazarethi consistenti datum.[5] Sunt denique qui Mariam haud præsentasse filium ante reditum ex Ægypto existimant; obstabat scilicet Herodis metus et jussio divina ne statuto a lege adesset tempore.

Obj. 6. Res ab Evangelistis relatæ adeo publicæ, si evenissent, debuerunt a scriptoribus Judaicis adnotari, imo ab Ethnicis, earum enim fama longe lateque se diffudisset: nullum autem apud Judaicos auctores earum vestigium reperire est, quod enim apud Josephum reperitur, a Christiano adjectum videtur.

(1) Lib. xiii.
(2) Tertul. apol. c. 21.
(3) Eusebius Chron. l. viii.
(4) Rosenmüller in Mat.
(5) Bible de Vence.

Resp. Duo tantum sunt Scriptores Judaici qui illo vixerunt tempore, Philo, et *Flavius Josephus.* Quum ille extra Judæam vixerit, et philosophum potius quam historicum agat, et opera ejus pleraque præcedant Christi et Apostolorum tempora, silentium ejus non est mirandum. Josephi autem testimonium in omnibus ejus codicibus habetur, et stylo toti operi est conforme. Laudarunt illud olim Eusebius, Hieronymus, Rufinus, Isidorus Pelusiota, nec unquam ante xvi. sæculum fuit in dubium revocatum, Osiandro vel Fabro primum quæstionem de eo movente. Sic autem se habet: "fuit hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentilibus ad se pertraxit. Hic erat Christus; cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad mortem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cæperant; nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates hæc aliaque quam plurima admiranda de eo prœdixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus."[1]

Græcos et Romanos scriptores de rebus gestis in Judæa vix loqui mirum non est, non enim plerumque res Judaicas magni faciebant, nec ea quæ civiles motus armorumque clangorem secum haud ferebant suis facile inserebant commentariis. Doctrina per triennium turbis tradita, etsi miris confirmata operibus, vix poterat ad eorum devenire notitiam, vel magni momenti videri: ipsaque Christi mors, nonnisi rei supplicium habebatur. Nullus quidem superest historicus Græcus primi vel secundi sæculi, qui de Judæa scripsit, sed Arrianus Alexandri magni retulit gesta, Appianus imperii provinciarum historiam scribens nullam de Judæa fecit mentionem. De Christi morte, mirisque gentis retulit Pilatus, ad Tiberium scripta narratione, quæ imperatorem adeo movit ut Christum inter deos recensere voluerit, uti Antistites Ethnicos alloquens fidenter affirmavit Tertullianus.[2] Justinus quoque acta Pilati de miri Christi operibus appellavit.[3] Lampridius de Alexandro Severo scripsit quod Christum cum Abrahamo et Orpheo domestico in templo coluerit;[4] et de Hadriano, quod templa in singulis civitatibus Christo quum erigenda vellet, prohibitum fuisse ab eis, qui consulentes sacra repererunt omnes christianos futuros et templa reliqua deserenda.[5] Celebris etiam est Plinii junioris ad Trajanum de Christicolis epistola.[6]

Obj. 7. Assensus eorum qui Christianam amplexi sunt fidem, non potest

(1) Joseph. l. xviii. Antiq. c. 4.

(2) Tertull. Apol. c. 6.

(3) Relato vaticinio de omni miraculorum genere a Christo patrando, subjungit Justinus: "ὅτι τε ταυτα ἐποιησεν ἐκ των ἐπι Ποντιȣ Πιλατȣ γενομενων ὀυτῳ μαθειν δυνασθε." Apol 1. 3. § 48.

(4) Lampridius in vita Alex.

(5) Ibidem.

(6) Lib. x. Epist. 97.

firmare res ab Evangelistis cæterisque scriptoribus Novi Testamenti relatas, plerique enim erant homines plebeii, litterarum ignari, qui, nullo instituto examine, libris ipsis nec lectis nec visis, turbæ credentium sese adjunxerunt: doctis plerisque sapientibusque narrationes tamquam fictas rejicientibus.

Resp. Quamvis inter primos Christianos "non multi nobiles, non multi sapientes, non multi potentes" forent, fuerunt tamen Lucas medicus, Paulus, aliique, etiam ex Domo Cæsaris, et secundo sæculo Justinus philosophus, cum plurimis aliis genere et ingenio præstantibus. Ex illis qui discipulos Christi sese non sunt professi, plurimi fuerunt rerum evidentia convicti, qui tamen dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei. Quod autem nec ipsum vulgus temere crediderit rebus gestis ab Evangelistis relatis liquet, quum præjudiciis eorum et cupiditatibus adversaretur iis nixa doctrina; quapropter plebs ubique in Christianos sæviebat, etiam quum quiescerent imperii principes et magistratus. Nihil porro interest eos scripta legisse, vel res relatas auribus excepisse, constat quippe fidem quam præstabant præconibus iis niti gestis. Incredulitas autem aliorum facile intelligitur ex præjudiciis, cupiditatibus, gloriæ amore orta, vix enim ullam instituerunt rerum veritatis examen homines sæculo penitus dediti.

C. XI. DE MIRACULIS CHRISTI ET APOSTOLORUM.

Prop. Miracula a Christo et Apostolis patrata revelationem ab ipso factam divinam probant.

Prob. Christi miracula fuerunt splendidissima: imperavit ventis, et super aquas maris ambulavit: cæcum natum visu donavit: surdis auditum, mutis loquelam, simplici tactu, vel verbo tantum prolato, dedit: omnis generis morbos pro arbitrio suo, etiam procul consistens, sanavit: mortuos vitæ restituit, ipsum etiam qui quatuor dies in sepulchro fætidus jacuerat. Fuerunt maximo numero, uti patet ex Evangelistarum historia, qui tamen non omnia recensuerunt, tot enim sunt ab ipso peracta ut nullus iis narrandis finis foret, uti animadvertit Joannes. Palam coram magna hominum multitudine pleraque sunt facta, etiam inimicis adstantibus, qui omnem quærebant occasionem ea in dubium revocandi; sed rerum evidentia coacti ea agnoverunt, principi dæmoniorum ea ausi tribuere. Sic arida manus, Christo tangente, succum recuperavit vitalem et motum, murmurantibus Judæis quod Sabbato curatus sit homo. Panes in solitudine, tot millibus hominum collectis, multiplicati sunt. Viduæ filii cadaver elatum erat, magna caterva comitante. Examini subjecta indubia visa sunt, etsi vellent maxime judices ea denegare. Sic cæcus natus, jam videns, coram Synagoga beneficium sibi collatum agnovit, parentibus etiam cæcitatem ejus priorem testantibus. Patrata sunt in Christi missionis a Deo Patre probationem: proinde Deus certissimum testimonium Christo, ejusque doctrinæ, perhibuisse dicendus est. "Si mihi non vultis credere (inquiebat Christus)

operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre."[1]

Assensus plurimorum e Judæis qui Christum magistrum secuti sunt, veritatem miraculorum ostendit: ipsique ejus hostes qui numquam facta ipsa verosimili aliqua ratione impugnarunt, eam agnovisse existimandi sunt. Magicæ quidem arti vel nomini ineffabili Dei, clam e templo sublato, mira illa opera consueverunt tribuere.[2] Sic Celsus, Porphyrius, Hierocles, Julianus, veteres illi Christi hostes gestorum veritatem in quæstione non posuerunt, quapropter Religionis vindices in repellenda eorum assertione quod magica facta sint arte, maxime sunt occupati.[3]

Apostolorum miracula liquet fuisse splendidissima; claudos subito sanatos, ægrotos ipsa umbra Petri sanitati statim restitutos, mortuos ad vitam revocatos. Publica fuerunt etiam, et examini primorum subjecta nulla verosimili ratione potuerunt infirmari. In doctrinæ confirmationem peracta, tot habuerunt testes, quot ad Christi fidem ex Judaismo, et Ethnicismo traducti sunt.

Obj. 1. Si miracula patrata fuissent, Judæi omnes vel pleriq: Christum agnovissent.

Resp. Obstabat præjudicium de terreno regno, cujus nullam spem eis præbens Christus agnitus non est. Eorum autem incredulitas rerum gestarum vim non infirmat; nec enim instituto examine professi sunt testimoniis idoneis ea haud probari, vel consuetum rerum ordinem haud excedere: sed potius ea agnoverunt, quamvis demoniacæ tribuerent operæ, dicebant quippe: "in Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia."[4] "Quid facimus quia hic homo multa signa facit?"[5]

Obj. 2. Eo tempore mira opera, arte vel scientia naturali facta, facile divina habebantur, omnia quippe Angelorum bonorum vel malorum influxu fieri censebantur; quapropter de dæmonibus corpora habitantibus fit frequens ab Evangelistis sermo, quos etiam porcos invasisse et in mare impulisse narrant, nullo certe divinæ majestatis et bonitatis indicio.

Resp. Quæcumque fuerit hominum persuasio, nemo sui compos dicet mortuos ad vitam revocari absque divina ope. Hæc aliaque hujusmodi aut ficta falsaque sint necesse est, aut divinæ virtutis certissima indicia. Igitur nihil conficient Deistæ, unum alterumve miraculum in dubium revocando, quamdiu Lazari quatriduani suscitatio, vitaque diu producta, et juvenis viduæ filii, cum aliis divinæ potentiæ operibus, coram turba hominum factis, manebunt inconcussæ veritatis. Cæterum quæ inerat Judæis An-

(1) John x. 38.

(2) Vide tract; Sanhedrin. Tholedot Jéshau in Talmud cit. a Drach, p. 78, not. 37. Lettre d' un Rabbin converti.

(3) Vide Huet. dem. Ev. prop. ix.

(4) Luc. xi. 15.

(5) Joan xi. 47.

gelicæ vel demoniacæ operæ persuasio non statim superstitio est habenda, si enim in spectabili hoc mundo tanta sit diversitas, tantaque rerum ad se invicem relatio: quid mirum si Spiritus sint boni vel nequam, qui quemdam in res visibiles, hominesque habeant influxum? Dæmonum corpora possidentium certissima indicia ab Evangelistis relata sunt, quæ vividæ tribuere imaginationi, vel populari credulitati, hominis est qui suæ indulget phantasiæ, rerum documentis non satis perpensis. Quod autem dæmonibus in porcorum gregem ingredi sit permissum, summo consilio factum est, ut manifesto hoc prodigio Sadducæorum negantium Spiritus dari nequam, error confutaretur, et Gerasenorum patefieret affectus mundanus, porcos divinæ veritati anteponentium, rogabant enim Christum ut discederet:[1] quæ aptissima est plurimorum imago.

Obj. 3. Christus cæcorum quos dicitur visu donasse linivit oculos, muti tetigit linguam, aridam manum porrigendam jussit; quapropter industriam quamdam et artem in sanando potius quam virtutem divinam mirari licet.

Resp. Quæ fecit Christus nullam cum eventibus habuerunt proportionem; nec enim salivæ cum pulvere admixtio, vel digitus auri insertus, vel linguæ manusve tactus, cæcitatem, surditatem vel aliud naturale vitium potest tollere. Paralytici sanatio solo Christi verbo, ad probandam eam quam sibi vindicabat remittendi peccata potestatem facta est: "Surge, tolle grabatum tuum et ambula." Vinum ex aqua, ne quidem voce prolata, est factum: multiplicati sunt panes, sola benedictione: sanatus est Centurionis puer, e longinquo; aliaque plurima facta sunt miracula, nullo adhibito subsidio.

Obj. 4. Christus miracula non fecit ad fidem doctrinæ suæ conciliandam, sed ea recusavit facere, quando de ea statuenda agebatur. Sic postulantibus signum e cælo ut crederent, noluit morem gerere, sicut nec provocantibus ut e cruce descenderet. Porro sæpe jussit ne vulgarentur miracula, quæ essent maxime vulganda, si in doctrinæ confirmationem facta, examen severum potuissent sustinere.

Resp. Liquet paralyticum vires recuperasse ut potestas remittendi peccata vindicaretur, et Patrem cœlestem a Christo rogatum ut glorificaret filium, vocem emisisse e cælo, qua missio ejus divinaque auctoritas plane est confirmata. Sic quærenti Joanni per discipulos utrum Messias esset, claudis membrorum usum recuperantibus, leprosis mundatis, mortuis vitæ restitutis, respondit Servator. Ipsa quæ fecit opera sæpius allegavit, tamquam manifestissimas doctrinæ probationes: "opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me."[2] Quod autem tentantibus eum noluerit cœleste dare signum, quale postulabant, jure factum est; nec enim iis debuit gratificari, qui salutem haud cupiebant, sed occasionem blasphemiæ. Innuit tamen maximum signum iis postea dandum, scilicet ipsius a mortuis

(1) Luc. viii. 37. (2) Joan. v. 36.

resurrectionem.[1] Noluit e cruce descendere, ejus enim morte servandum humanum genus voluit; sed in cruce fixus ea dedit cœlestis originis indicia, quæ cum terræ motu, solis obscuratione, aliisque prodigiis conjuncta, centurioni aliisque persuaserunt eum filium esse Dei. Quod autem vetuerit divulgari miracula quædam, nulla examinis severioris formidine contigit, sed ne videretur gloriam aucupari: "Ego (inquiebat) non quæro gloriam meam."[2]

Obj. 5. Mythi quibus consueverunt veteres morum tradere documenta, vitia exhibere odio, virtutem amori, occasionem forsan dedere scriptoribus Novi Testamenti miraculorum texendi narrationem. Sic Magdalena septem dœmonibus liberata dicitur, tot quippe vitiis obnoxia fuerat.

Resp. Nullam mythorum formam præseferunt narrationes Evangelicæ, sed historicæ plane sunt. Quis enim non sentit se rem gestam legere, dum puellam suscitatam legit; principis filium sanatum, et alia quamplurima! Quod autem Magdalena fuerit vitiis inquinata, non adeo constat, ut liberationem ejus a dœmonibus de vitiis curatis liceat explicare, sunt enim qui eam omnino distinguendam putant a muliere illa peccatrice, quam Dominus pœnitentem solvit peccatis. Quiquid de hac criticorum sententia sit, pleraque miracula ita enarrantur, ut nullatenus possint ad mythos reduci.

C. XII. DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Præ omnibus Christi Domini miraculis elucet ejus a morte resurrectio, quam ipse etiam in suæ divinitatis testimonium allegavit, adversariis postulantibus signum e cœlo: "generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus."[3] Omni studio conati sunt Deistæ validissimum hoc argumentum infirmare, sed irrito prorsus conatu, tot enim firmata est testimoniis resurrectio, ut si de ea dubitandum sit, de certitudine ex hominum testimoniis derivata prorsus actum sit.

Prop. Christus revera a mortuis tertia die resurrexit.

Prob. Apostolorum concordi testimonio, qui eum visum, manibus a se attrectatum affirmant, et cum illo plurima per quadraginta dies habita colloquia, cibo etiam degustato. Jam vero vel decepti sunt Apostoli vana quadam imagine, vel ex industria totam de Christi redivivo narrationem confinxerunt. Eos deceptos non licet suspicari, nec enim undecim homines poterant sibi illudere, credendo se non semel, vel iterum, sed sæpesæpius Christum vidisse, audiisse, palpasse ejus vulnera, aliaque certissima indicia habuisse eum præsentem adesse. Mendacii igitur artifices fuerint necesse est, si veritas non constet facto. Quis autem credet mendacium hujusmodi confictum a rudioribus hominibus, quum Christi morte res videretur desperata, et fabula principum plebisque in se odium, persecutionemq: esset

(1) Mat. xvi. 4. (2) Joan. viii. 50. (3) Mat. xii. 39.

provocatura? Profecto nulla lucri, nulla honoris species, nulla felicis successus spes affulgebat, sed dirissimæ calamitates impendebant. Pugnat cum omni mentis humanæ lege, ut gratis et cum tanto sui periculo fingatur mendacium a pluribus hominibus: qui et collecti in unum, et a se invicem disjuncti, per totum vitæ reliquum tempus constanter perseverent, suppliciorum cruciatu nequaquam movendi. Deceptores profecto utilitate, gloria, aliave humana consideratione fingunt quæ suis favent consiliis, et facile sibi haud constare inveniuntur, et maxime prœcavent ne detrimentum capiant. Non ita Apostoli, qui, soli veritati studentes, mortem nihili faciunt; ut sileamus de gravitate, integritate, virtutumque omnium corona quibus effulserunt. Testimoniis his qui fidem non putat tribuendam, vim omnem testimoniorum, fidemque omnem humanam subvertit.

Adjuncta rerum maxime firmant Apostolicum testimonium, nam Hierosolymis, paucis post Christi mortem diebus, affirmarunt publice, adstantibus Judæorum pluribus millibus, Christum esse redivivum, idque saltem tribus millibus eorum persuaserunt. Jamvero facile erat mendacium detegere si subesset. Post mortem Christum sepulchro conditum constat, appositosque custodes. Si intra triduum haud resurrexisset, milites testimonium de corpore custodito tulissent, etsi postea clanculum sublatum existimetur. Intra id temporis nemo potuit corpus subtrahere, militibus vigilantibus; quos dormiisse omnes simul nemo putabit qui Romanorum noverit disciplinam militarem, quamvis nec dormientibus subripi potuerit corpus saxeo sepulchro conditum, orique apposito saxo immani, sigillo munito. Mendacium igitur patuisset, vel corpore monstrato, vel militum aliorumve testimonio allato. Seposita, igitur, narratione Evangelica, ex ipsa Christi resurrectionis affirmatione, quam nullo idoneo poterant refellere Judæi testimonio, liquet eam veram esse et indubitatam.

Accedit Pauli testimonium, qui se vidisse Christum, eumque etiam quingentis hominibus visum affirmat, quorum aliqui superstites erant quum scriberet.[1] Ipse hostis quum fuisset, ad fidem adductus nonnisi rerum evidentia censendus est; nec testimonium hoc præbuisse, nisi plenissime edoctus. Quis autem censebit quingentos testes deceptos, vel fraudis artifices, ut nihil dicamus de ipso Paulo, qui omni exceptione major merito est habendus.

Judæorum præsertim conversio, quibus alta voce prædicarunt Apostoli Christum suscitatum a mortuis, certissimo est argumento rem fuisse plane exploratam: avitam enim Religionem, quæ divinam sanctionem et originem habuit, deserere, ut sese crucifixi hominis profiterentur discipulos, minime ausi fuissent, nisi resurrectio certissime constitisset. Ipsa quæ brevi secuta est Christianæ Religionis per orbem diffusio, ea tamquam cardine nixa est, nam aiebat ipse Paulus: "Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra."[2]

(1) 1. Cor. xv. 6. (2) Ibid. v. 14.

Obj. 1. Ipsa Christi resurrectio a mortuis a nullo oculato teste relata est: eum quidem redivivum, minime autem resurgentem conspexisse dicuntur mulieres et Apostoli; et quidem specie adeo diversa et variata, ut nonnumquam hortulanus, nonnumquam spectrum, nonnumquam viator ignotus videretur. Certum igitur eorum non est habendum testimonium.

Resp. Quum custodes soli adstarent sepulchro, nemo alius potuit de ipsa resurrectione ferre testimonium, hi autem auro corrupti sunt a Judæorum proceribus, ut se dormientibus ablatum affirmarent corpus; quod narrat Matthæus, cujus relatio ni esset vera explosa fuisset. Procul dubio adducti fuissent milites coram publicis tribunalibus ad fabulam dissipandam, si quid afferendum habuissent ad Apostolorum de redivivo Christo testimonium infirmandum. Negativa hæc et indirecta probatio ex silentio Judæorum, vel irrito conatu, magnam habet vim: constat enim, ipsis fatentibus,[1] Christum sepulchro traditum, et appositam custodiam, et vacuum post triduum inventum sepulchrum, et diffusum de resurrectione rumorem, quin satis verosimili rei relatione fraudem detexerint. Qui igitur testantur se Christum redivivum vidisse, resurrectionem profecto indubiam reddunt; qui enim mortuus est, et in sepulchro dies fere duos latuerat, non potuit vivus videri, et omnes vitæ functiones peragere, nisi ad vitam rediisset. Quod pertinet ad species varias quas induit, facile fuit se celare minima etiam vestis varietate, vel agendi ratione, quum mulieres et Apostoli de eo redivivo nil cogitarent: cæterum manifestum sui dedit indicium, Maria consueta ratione appellata, pane fracto pro more suo, vel prout ultimam post cænam fecerat, et Apostolis omnibus se videndum palpandumque præbendo.

Obj. 2. Syncopen potius quam mortem Christus passus est, sanguis enim a latere cadaveris haud fluxisset. Igitur in sepulchro latens inter exhalationes opobalsamicas, sensim sine sensu ad se rediit, et occasionem evasionis nactus, se redivivum pluribus persuasit.

Resp. Spiritum quidem tradiderat Christus; cruciatus scilicet animi, qui sudoris sanguinei fuerat occasio, virgarum percussio, crucifixio aliæque gravissimæ quas passus est ærumnæ mortem induxerunt. Nec fidem excedit quod paulo post animæ egressum sanguis e corde transfixo lancea fluxerit una cum lympha ex pericardio. Lentus et grumosus hujusmodi fluxus plerumque est; quapropter præter naturæ cursum consuetum, sanguinem et aquam ex Christi latere fluxisse fatemur. Cæterum si vita jam penitus extincta non fuisset, gravissimo inflicto vulnere adeo amplo, ut Thomæ manum inserere licuerit, cor ipsum percussum et mortem certissime illatam dicendum est. Sepulchri autem aer occlusus, et aromatum odor suffocationem semimortuo, potius quam vires integras attulissent.

(1) Vide apud Origenem l. 1. contra Celsum, et Agobardum: "de judaicis superstitionibus, "et lib. תולדות ישו.

Quæ igitur confingunt increduli omni destituuntur specie veri, et manifesto pugnant cum singulis narrationum Evangelicarum adjunctis.[1]

Obj. 3. Vel nulla omnino apposita est sepulchro custodia, ideoque erat Apostolis copia cadaver occultandi, vel jam subductum erat antequam custodes apponerentur, vel iis post rerum motum, omnemq: fraudis occasionem ablatam, recedentibus, Apostoli corpus asportaverunt. Inde sparsus rumor de eo redivivo, qui tamen hostibus suis numquam se præbuit videndum.

Resp. Appositam esse custodiam retulit Matthœus in Judæa, mendacii facile arguendus, si nihil hujusmodi esset factum. Quis autem credet milites, aliosve, nullam adhibuisse diligentiam ut noscerent utrum corpus sepulchro revera conderetur? vel recessisse ante triduum saltem expletum, si nihil intra illud tempus evenisset? Non sine summo consilio contigit ut ante tres dies expletos resurrexerit Christus, inde enim magis liquet nullam dari Judæis ansam aliquod effugium de corpore postea sublato excogitandi. Quod autem Christus sese hostibus non præbuerit videndum, mirum non est, post tot enim divinæ potentiæ opera nihil deerat ad eorum revincendam incredulitatem; ideoque decuit ut testibus fidelibus sese exhiberet.

Obj. 4. Magna est testimoniorum de Christi resurrectione discrepantia: de tempore, utrum vespere sabbati, vel ante solis ortum, vel orto jam sole; de Angelorum numero, unum enim quis, duos alter refert visos; Christus autem obviam se præbuisse mulieribus dicitur, vel uni Magdalenæ se manifestasse, magna cum adjunctorum varietate; et Apostoli ipsi varia ratione adeuntes Sepulchrum exhibentur.

Resp. Hæc omnia jamdiu conciliata sunt a Christianis interpretibus.[2] Cæterum de re gesta quum agatur difficultates de quibusdam ejus adjunctis nequeunt rem ipsam reddere incertam: quapropter certissimo testimonio de Christo undecim Apostolis simul viso, et deinceps Thomæ cum illis, et quingentis etiam fratribus, fidendum foret quidquid esset de unius alteriusve Angeli a muliere inspiciente sepulchrum conspecti, vel de aliis minutioribus narrationis circumstantiis. Ipsa difficultas quæ occurrit in iis ita componendis, ut ordo pateat manifestationum, singulaque sibi invicem cohæreant, probat narrationes nullo dolo communive consilio compositas, quapropter veritas rei ipsius liquet.

Obj. 5. Non satis probata visa est ipsis Apostolis resurrectio, nam mulieres putabant delirare, se vidisse Christum, vel Angelos, referentes, et præ gaudio non credebant, ipso eis coram astante.

(1) Vide *Caroli Frid. Gruneri "Commentationem Antiquariam Medicam de Jesu Christi morte vera, non simulata." Halæ* 1805; *et Dr. Wiseman's Lectures: Lect. V.*

(2) Vide Hesichium Hierosol. de resur. Christi, O. P. tom. II. Auctarii sub Gregorii Nysseni nomine laudatum: Gilbertum West etiam in Observ. in hist. et prob. resur. Christi.

Resp. Hæc ostendunt Apostolos non fuisse proclives ad testimonium de Christo redivivo excipiendum, "nondum enim sciebant Scripturam quia oportebat eum a mortuis resurgere."[1] Quæ Christus protulerat de futura sui resurrectione, se scilicet templum corporis sui intra triduum iterum ædificaturum, ipsis adeo obscura visa sunt, ut spem de eo redivivo conspiciendo vix fecerint, etsi adversariis metum quemdam de fraude hac occasione concinnanda injecerint. Res adeo ultra spem, quamvis votis suis certe gratissima, eos summo cumulavit gaudio, vixque sibi persuadere poterant tanto se frui beneficio, quamvis personam viderent, audirent vocem, contrectarent manus. Quum igitur dubitatione deposita, post plurima præsentiæ Christi manifestissima argumenta, certo affirmarint eum revera a mortuis resurrexisse, nihil est quod possit eorum testimonii vim infirmare; non enim phantasiæ obsecundarunt, nec præconceptæ spei, sed inviti fere et reluctantes, rei evidentiæ cesserunt. Hac ratione Thomæ incredulitas maxime nobis profuit.

Obj. 6. Unum tantum diem latuit in sepulchro Christus: vaticinium proinde de tribus diebus et noctibus in eo non est impletum.

Resp. Mos fuit Hebræis diem ea ratione indicare ut dies et nox diceretur,[2] et inchoatus ita pariter designabatur. Sic fratres Josephi tres dies carceri mancipati dicuntur, quamvis tertio die educti.[3] Jam verò Christus ante vesperam diei Veneris sepultus, nonnisi die solis illucescente surrexit, proinde tres dies inchoatos jacuit, qui, pro more recepto, tres dies et tres noctes recensentur.

Obj. 7. Tota illa Resurrectionis narratio mythum sapit, vim scilicet quam Christus in suis recuperavit, qua iterum floruit ejus disciplina, indicat.

Resp. Non ita quidem narrantur mythi, nec consueverunt plures auctores, rebus referendis ex professo vacantes, mythos suis inserere historiis, nullo dato indicio. Quisquis legerit Evangelistarum de resurrectione relationem, statim rem gestam intelligit.

C. XIII. DE VATICINIIS CHRISTI.

Prop. Vaticinia a Christo prolata manifesto sunt divina.

Prob. Præclarum Christi vaticinium fuit portas inferi numquam prævalituras contra Ecclesiam in Petro fundandam: mens tantum futurorum prœscia potuit vim illam ineluctabilem qua omnes hostium comprimerentur impetus prædicere.[4] Ad finem usque mundi se Apostolis docentibus et baptizantibus adfuturum promisit, cui omnium sæculorum arcana patent. Evangelium toto orbe prædicatum iri, et mulieris quæ pedes suos unxit

(1) Joan. 20.
(2) Lightfoot Horæ Heb. Lips. 1684, ad. c. xii. v. 40 Mat.
(3) Gen. xlii. 17. 18.
(4) Vide Chrysostomum hom. 55.

pietatem ubique prædicandam ait. Veritatem comprobat eventus, quo et scientia et potentia divina manifesto ostenditur: nam ea omnia non potuerunt naturali lumine certo cognosci, nec ope humana ad effectum perduci. Omnia videbantur adversa, adeo ut verosimile esset brevi Christum ejusque discipulos dissipandos.

Quæ de sua passione, morte, et resurrectione sœpius prædixit Christus, præscientiam humana longe superiorem ostendunt. Singula recensuit quæ esset passurus, seseque triduo redivivum fore enuntiavit: imo sua potestate resurrecturum: "potestatem habeo iterum sumendi eam."[1] Quis hæc dicere potuisset et implere, nisi divino illustratus lumine, divina suffultus potentia?

Prædixit etiam Christus Hierosolyma esse evertenda, et singula quæ præcederent et sequerentur, magna cum diligentia, descripsit, ut liquet comparanti historiam a Josepho conscriptam cum Evangelicis vaticiniis.

Obj. Quæ de Ecclesiæ vi insuperabili dixit Christus, jactantiam, seu saltem magnam fiduciam, minime verò certam scientiam indicant.

Resp. Nulla est jactantiæ umbra, sed certa promissio, quæ scientiam summam et potestatem denotat. Quæ ipse largiturus esse Petro privilegia, quæque Ecclesiæ supra ipsum fundatœ, vis foret invicta, Christus perspicuis tradidit verbis, se vade dato. Nec semel, sed iterum, postquam Apostolis omnibus mandaverat, ut per gentes universas prædicarent Evangelium, se illis perpetuo adfuturum sancte pollicitus est. Non igitur jactantis more, nec conjiciendo, sed plena ex scientia locutus est: et quidem iis in rerum adjunctis in quibus nulla humana spes fulgebat promissi exequendi: nam Petrus cæterique debiles omnino erant, Christi hostes potentes, nec ullum subsidium præsto erat quo Ecclesia extrueretur, firma adeo ac munita contra terrenas omnes potestates, ipsaque inferorum claustra.

Obj. 2. Quæ de Christi cruciatibus, morte, et resurrectione ab ipso referuntur prædicta, nonnisi post eventum scripto sunt consignata; et suspicioni subjacent, quum nec ipsi Apostoli antea ea intellexerint.

Resp. Nulla est ratio suspicandi aliquid in iis vaticiniis immutatum ut accommodarentur eventibus, gravitas quippe simplicitasque narrationis quid dolo fictum excludit; ut nil interim dicatur de probitate aliisque dotibus scriptorum, cæterisque quibus jam veracem historiam Evangelicam probavimus. Quod autem Apostoli non plene intellexerint quæ de his rebus dixerat Christus, factum est ex eo quod plerique nec ærumnas gravissimas, nec corpus resuscitandum, ullatenus cogitaverint: proinde quæ dicebantur obscura videbantur, eventu deinceps illustrata. Cæterum Petrus saltem intellexit eum de cruciatibus et morte loqui, nam dicebat: "Absit a te, Domine."[2]

Obj. 3. De mundi ruina explicant plerique quæ ad Hierosolymorum

(1) Joan. 10. 18. (2) Mat. xvi. 22.

eversionem referunt alii, adeo ut ambigua sit vaticinii illius interpretatio: nullum proinde certum potest inde derivari argumentum.

Resp. Non est prophetis insuetum duos eventus, quorum unus sit alterius typus et imago, uno includere vaticinio, quod semel ad litteram, uti aiunt, impletum, splendidius et perfectius deinceps iterum impleatur. De proxime futuris eventibus Christum loqui liquet ex eo quod subjunxit: "Amen, dico vobis, quoniam non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant."[1] Jam vero vaticinia eventu rerum confirmata, intra illud temporis spatium constat. "Audituri (inquit) estis prælia et opiniones prœliorum."[2] Erat autem illud tempus, teste Tacito, "opimum casibus, atrox præliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum."[3] In Judæa ipsa adeo omnia bellis civilibus et seditionibus implebantur, ut ultra ducenta hominum millia periisse æstimentur. Magna etiam Judæorum strages in agro Alexandrino facta est.[4] "Fames valida" juxta Christi prophetiam facta est, tum in Judæa[5] tum in Italia. Prior sub Claudio universum orbem est populata,[6] altera sub Nerone perierunt Romæ triginta hominum millia:[7] tertia etiam secuta est anno 66 æræ vulgaris.[8] Terræmotus prædictus est, et evenit, nam Tacitus[9] et Plinius[10] Siciliam, Campaniam, Calabriam, Macedoniam, Achajam, terræmotu concussas, subversasque tradunt. De terroribus e cælo portentisque, quæ prædixit Christus,[11] habetur ea Taciti mirorum narratio: "visæ per noctem concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucere templum, expansæ repente delubri fores, et audita major humana vox excedere Deos: simul ingens motus excedentium."[12] Apostolorum ærumnas a Christo clare annunciatas Judæi manifesto adimpleverunt: "Persequentur tradentes in Synagogas et custodias."[13] Stephanus, Petrus, Joannes, Jacobus, Paulus, cœterique plurima passi sunt, coram Synagoga judicio se sistere coacti, et mancipati carceribus. Obsidio plane inusitata, scilicet muris contra ipsos muros urbis a Tito in orbem extructis, prædicta est satis clare: "Circumdabunt te inimici tui vallo."[14] Montes fuerunt perfugium Christifidelibus, divino magistri monito obsecutis,[15] ad

(1) Luc. xxi. 32.
(2) Mat. xxiv. 6.
(3) Tacit. hist. l. 1. c. 2.
(4) Vide Josephum et Philonem.
(5) Act. xi. Joseph. Fl. Arch. l. xx. c. 12.
(6) Testibus Suetonio et Dione in Claudio; et Tacit. an. l. xiii. c. 43.
(7) Suetonio in Nerone.
(8) Tacit. Ann. l. xvi. c. 13.
(9) Tacit. hist l. 1. c. 2.
(10) Plin. Hist. nat. l. ii. c. 84. alias 86.
(11) Luc. xxi. 11.
(12) Tacit. Hist l. v. c. 15.
(13) Luc. xxi. 12.
(14) Luc. xix. 43.
(15) Mat. xxiv. 16.

oppidum nempe Pellam in montana regione se contulerunt.[1] Obsessus populus fame, peste, cædibusque fuit absumptus, adeo ut, teste Josepho,[2] intra paucos obsidionis dies, sexaginta millia cadavera elata sint, ipsæque matres suis lactentibus puerulis vescerentur: Væ merito idcirco a Salvatore nutrientibus prædictum. Undecies centena hominum millia durante obsidione desiderata sunt, et nonaginta millia abducta. Claudius idolum in templum inferri jubendo, implevit quod de abominanda re in loco sancto statuenda fuerat enuntiatum, et Zelotes, eum sceleribus pluribus inquinando, siquid prophetiæ deesset, impleverunt. Hæc, vestigiis insistentes doctissimi P. Perrone e S. J.,[3] sigillatim exposuimus, ut pateat ea clarissime prædicta et plenissime impleta. Quod si illis vaticiniis quædam admixta sint, quæ vix possint Hierosolymitanæ obsidioni accommodari, et majorem adhuc cladem, orbis scilicet ipsius ruinam, designare videantur, mirum videri non debet ea simul conjungi quæ magnam inter se habent affinitatem, calamitates scilicet illius temporis imaginem quamdam præbent malorum quæ mundi finem præcedent. Illud quidem præclarum divinæ præscientiæ indicium est, quod hæc vaticinia ante eversa Hierosolyma, a Matthæo, scilicet, sexto circiter post mortem Christi anno, a Luca autem anno forsan vigesimo, relata sint.

C. XIV. DE INTRINSECA EVIDENTIA CHRISTIANÆ REVELATIONIS.

Prop. Christianæ doctrinæ excellentia et sanctitas divinam ejus originem ostendit.

Prob. Ea jure optimo censetur divinitus tradita doctrina, quæ sublimior quum sit humano omni conceptu, mores tamen humanos perfectissime instituit, hominesque ad virtutem omnem et sanctitatem informat: talis est doctrina Christiana: merito igitur habetur divina.

Quæ de Deo divinisque mysteriis tradidit Christus, necessario fugiunt mentis humanæ aciem: intellectus quippe hominis, virium adeo tenuium, non potest divinam metiri naturam, vel divina explorare consiliu. Cæterum ipsa mysteriorum altitudo majestatem sapientiamque numinis commendat: "Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ: neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus; quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris."[3] Hinc cogitanti de arcanis Dei consiliis, quæ revelatione ejus innotuerunt, occurrunt Apostoli verba sapientiæ et veritatis plena: "O! altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles vitæ ejus."[4]

Perfectio doctrinæ Christianæ in eo elucet quod omnia hominis explicet munera quibus erga Deum perfungi debet, erga alios quoque: easque tra-

(1) Euseb. hist. l. iii. 5.
(2) Joseph. de bel. Jud. l, vii.
(3) Theol. Romæ nuper edita.
(4) Isaiæ. 55, 8.
(5) Rom. 11, 33.

dat leges quibus, cupiditatibus domitis, caro spiritui subdatur, et ita dignitas humana servetur. Uniuscujusque beatitudo, et omnium in societatem coalescentium utilitas, ex servata doctrina Christi derivaretur. Quæ igitur et singulorum necessitatibus consulit, et universali etiam utilitati, ex Deo, omnium bonorum fonte, merito censetur derivata. Dei perfectiones quæ a Christo nobis propositæ sunt, obsequium, amorem, omnemque humanum affectum ad se attrahunt. Pater enim est, benigno amore complectens filios, quibus æternas sedes paravit. Ejus providentia ad omnes pertingit, neque aliquos deserit qui suæ fidunt bonitati: lilia quippe agri vestit decore, volucres cœli pascit: quanto magis homines ad imaginem suam conditos? Præmia obsequentibus impertitur; pœnas rebellibus, pro summa sua æquitate, irrogat: eaque pollet omnium scientia qua et cordis arcana suo pateant conspectui. Ex benignitate ejus et clementia fit, ut impii etiam suis interim fruantur beneficiis, pœnas deinceps, si eos sceleruin haud pœnituerit, luituri æternas.

Pietas divina erga homines maxime elucet in incarnationis mysterio, sic enim Deus mundum dilexisse perhibetur, ut filium suum unigenitum daret ad humanas maculas suo sanguine eluendas. Quæ instituit Christus, redemptionis fructibus nos repleturus, summam munificentiam et misericordiam produnt.

Munia quæ Religio Christiana homini injungit Deo persolvenda, summo rerum omnium arbitro et auctori conveniunt: est quippe spiritu et veritate colendus, quippe qui Spiritus est perfectissimus. Ei revelanti credendum est toto mentis obsequio: præcipienti est obediendum: omnesque cordis affectus ei dicandi sunt.

Homines Christiane edocti universos complectuntur sincera dilectione, sic enim præcipit pater supremus. Omnia igitur beneficentiæ officia sunt erga se invicem persolvenda. Injuriæ quas forsan aliquis tulerit, sunt condonandæ, Christi ad exemplum, qui hostibus sœvientibus veniam a patre precatus est.

Unusquisque suæ naturæ dignitatem œstimare discit ex Christianæ Religionis principiis, nam ad imaginem Dei se novit conditum, et ad gloriam cœlestem in Dei visione assequendam. Se autem regere, suas moderari cupiditates, easque exercere virtutes arduas et sublimes, quæ viam ad beatitudinem æternam parant, solus novit qui Christi imbutus est doctrina. Disciplina adeo sancta et sublimis, quæ philosophorum omnium documenta legesque omnes humanas longo intervallo excedit, Deum habeat auctorem necesse est.

Pulchre et vere Augustinus Ecclesiam alloquitur: "Merito Ecclesia Catholica mater Christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum prædicas; nullam nobis adorandam creaturam inducens cui servire jubeamur; et ab illa incorrupta et inviolabili æternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohœrendo non misera est, excludens omne quod fac-

tum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod majestas una conjungit: sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii dilectione doces adhærere. Tu dominos servis summi Dei communis domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam co-ercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur injuria."[1]

Sanctio quam Religio Christiana suis tribuit legibus divinam earum originem etiam denotat: est enim summa, qualis decet Ens infinitum cujus ultio nullo fine continebitur, munificentia etiam ad sæcula perpetua exercebitur.

Obj. Christiana doctrina hominis captivat intellectum, voluntatemque tot astringit vinculis, ut homo abjectus, timidus, et ex Sacerdotum nutu totus pendens vitæ muneribus plerisque ineptus reperiatur.

Resp. Illa intellectus captivitas in Christi obsequium minime infirmat ingenii vires, sed eas dirigit et regit. Lumen fidei de rebus divinitus traditis affulget scrutanti naturæ arcana, ne titubet et labatur: qui enim sibi relicti omnia investigant, in gravissimos plerumque ruunt errores, dum volunt explicare quomodo omnia primum sint orta, vel quo lentu rerum progressu huc devenerint. Morum regulæ hominem, dum ligant, liberum efficiunt, suis enim discit dominari cupiditatibus, et rationem sequi ducem, Religione suprema magistra. Fuerunt profecto omni ævo, suntque hodiernis temporibus qui fidelissimi et integerrimi Christi discipuli studuerint esse, ingenio tamen sublimi et exculto, animi etiam robore invicto. Nul-

(1) Aug. de Mor. Eccl. Cath. l. 1. c. xxx. p. 708. v. 1. ed. Veu.

lum est vitæ munus quod non obierint summa cum laude homines vere Christiani, fide et moribus utique commendati.

Obj. 2. Tota disciplina Christiana eo tendit ut homines a Societate civili avocentur, tristem austeramque vitam degant, et summam virtutem in paupertate otiosa, cælibatu, macerationibus corporis, aliisque naturæ, bono publico, hominisque felicitati plane adversis.

Resp. Disciplina Christiana, uti audivimus ex Augustino, tota versatur in hominibus ad omne munus vitæ exercendis. Quod si eximiae laudi habeatur ab aliorum frequentia se subducere, ut divinis quis vacet meditationibus, mirum non debet videri, quum animi exercitationes et deliciæ longe præstent corporis laboribus vel voluptatibus, uti agnoverunt Ethnici ipsi, otium philosophorum tot cumulantes laudibus. Pericula quibus infirmiores quidam subjacent, faciunt ut probetur consilium in tutiorem locum se conferendi, nec enim procellis quassata navis facile est e portu solvenda. Nihil autem triste invenitur in disciplina Christiana, ipsi enim corporis cruciatus, quos subeunt nonnulli, priora ut eluant delicta, vel carnem rebellem ut comprimant, magnum animæ levamen et gaudium ferunt. Falluntur qui putant in esu et potu, et vestium luxu, vel sodalium ridentium frequentia felicitatem inveniri: sæpius enim aculeis invidiæ agitantur, vel contumeliarum; dum homo externis illis solatiis carens, animi gaudet tranquillitate. Virtus autem apud nos non habetur paupertas otiosa, sed ea animi dispositio qua divitiæ parvi fiunt, et studio, labore, omnique animi conatu cælestes quæruntur thesauri. Cœlibatus idcirco æstimatur, quod homo voluptatibus corporis renuntiat, ut liberiori affectu rebus vacet divinis. Inde autem profluunt magnæ ad alios utilitates; qui enim familiæ haud oneratur cura, potest egenis miserisque omnibus suam facilius præstare operam.

Obj. 3. Ex fructibus disciplinæ præstantia est dignoscenda: liquet verò Christianas nationes, eas præsertim quæ Catholicæ sunt, esse cæteris inferiores ingenio, doctrina, inceptis, rerumque conditione: alias quæ *civilizationem* statuerunt, nulla habita Religionis ratione, florere et valescere. *Civilizatio* igitur recens magis emendavit mores, et bonum publicum promovit, quam adeo jactata doctrina Christiana.

Resp. Ex principiis ipsis, imprimis, de disciplina judicandum et ex fructibus inde derivatis. Quæcumque opera haud præcipiuntur vel commendantur a Religione Christiana, non possunt inter fructus ejus recenseri, quæ enim faciunt Christiani contra religionis dictamina, vitio eorum, non ipsi Religioni, sunt tribuenda. Pulcherrimos vereque divinos fructus produxit, in omni gente, vitiis pessimis sublatis, ipsaque feros domuit mores, artes docuit colendas, litteris favit, et omnia quæ ad utilitatem et felicitatem hominum spectant, summo promovit studio. Siqua sit gens Catholica, vel Christiana, aliis minus exculta minusve florens, causa aliis ex capitibus derivatur: nationes scilicet suas habent vices, civium vitio, vel summi rerum arbitri consilio. Cæterum ubicumque Religionis principia haud

coluntur, qui inductus est ordo, et *civilizatio*, ut aiunt, sola nixa ratione, humanisque legibus, fundamento divinæ virtutis caret, et speciem, non rei veritatem præsefert. Consueverunt rerum haud æqui æstimatores plurimas virtutes quæ absque ostentatione exercentur nil æstimare, eaque jactare quæ magis spectant aedificiorum vicorumque pulchritudinem, quam hominis rectam institutionem et felicitatem.

Obj. 4. De libertate civili actum est, ubicumque Christiana doctrina obtinuerit, nam potestatibus sublimioribus omnem animam vult subjici, et regem instar Dei colendum.

Resp. De forma regiminis civilis rei Christianæ vix interest, nam tota occupatur Ecclesia in veritate tradenda, et animabus disponendis ad salutem, nil de rebus terrenis solicita. Ordinem quidem legitimum societatis servandum cupit, suamque idcirco sanctionem potestatibus tribuit, præcipiens, ut omnes non solum ad ultionem evitandam, sed etiam ad conscientiæ satisfaciendum, eis se subdant. Quum omnes homines pares natura agnoscat, parique jure in re Religionis gaudere, nemini in alterum competere auctoritatem, nisi Deo quodammodo largiente, tradit. Hinc reges, magistratusque omnes veretur, utpote Dei hac in parte ministros, quin tamen quidlibet eis licere existimet: nam justitiæ limites sancte servandos docet, et salutem publicam supremam legem esse jubet.

Obj. 5. Christiana doctrina omnia subjicit Sacerdotibus, nam et puerorum institutionem et animarum regimen sibi vindicant, qua ratione ipsa etiam adyta domestica scrutantur, et omnia dirigunt, etiam principum consilia, eo prætextu quod utrum conveniant divinæ legi eorum sit judicare.

Resp. Sacerdotum est divinam exponere legem, animasque ejus ope in via dirigere salutis. Debent idcirco invigilare ut juventus principiis fidei imbuatur, et ut omnes suos componant mores juxta Evangelii normam. Cæterum sponte sua fideles eorum expetunt ministerium, et quœ intimisus latent pandunt, et judicium eorum de rebus agendis postulant. Pulchre a propheta dictum est: "Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est."[1] Quod autem Sacerdotale judicium omnia complectatur, quatenus utrum liceat quæritur, ex necessaria hominum a Deo, et ejus lege dependentia oritur.

Obj. 6. Christiana doctrina ex variis fontibus est derivata: pleraque quidem ex Judaismo desumpta sunt, alia ex gentibus ipsis. Dogmata Trinitatis, Incarnationis, lapsus hominis, angelorum rebellionis, baptismi &c., ab Indis, præceptum humilitatis, condonationis injuriarum a Sinensibus; alia a Persis et Ægyptiis, sunt mutuata.

Resp. Christiana lex longe præstat Mosaicae, quam explicuit Christus, et ad perfectionem perduxit, ribus veteribus sublatis, et virtutum sublimiorum injuncto exercitio. Ab Indis, Sinensibus, Persis, Ægyptiis, Græcorum Philosophis, aliisve extra Judæam nil potuit mutuari humanitus, nec

(1) Mal. 2, 7.

enim præsto erant documenta. Quæ igitur tradidit nullo humano adminiculo nitebantur. Longe quidem distant obscure dicta quæ sparsim in scriptis alienis inveniuntur, ab Christianis dogmatibus, quibus tamen suffragantur, quatenus vestigium quoddam traditionis primitivæ exhibent.

C. XV. DE JESU VITA ET MORIBUS.

Cum doctrinæ Christianæ excellentia intime conjungitur auctoris vita moresque, de quibus specialiter agendum censemus. Plerique Deistae Christum sapientiæ et virtutum laude decorarunt,[1] negantes nihilominus quam tradidit doctrinam cælitus revelatam esse, vel eum Filium Dei alio sensu dici quam quo cæteri homines.[2]

Prop. Mores integerrimi virtutesque quibus effulsit Jesus, divinam doctrinæ quam tradidit probant originem.

Prob. Quum Christus sæpius affirmaverit se quæcumque a Patre audivit enarrare,[3] et doctrinam quam tradidit suam non esse,[4] sed ejus qui misit eum Patris, vel mendax, vel delusus imaginatione habendus est, vel doctrina divina est agnoscenda. Mendacem autem quis ex ipsis Deistis eum dicere audebit? Tota ejus vita, tanta simplicitate ab Evangelistis relata, eum veritatis tenacissimum docet, cui ut testimonium perhiberet se in mundum venisse coram Pilato constanter declaravit. Deceptorem, impostoremque eum cogitare, qui sanctissima tradidit præcepta, ipsosque hostes provocavit ut si quid peccati in eo reperissent, fidenter objicerent, absonum est; imo horret animus eum fraudis dolive arguere, quem sermonis simplicitate, operumque beneficentia insignem fuisse constat, pertransiit quippe benefaciendo et sanando omnes. Attamen si doctrina ejus cælitus derivata non agnoscatur, id falso sæpesæpius affirmasse, et mira opera dolose egisse ad eam veluti divinis sigillis firmandam, et Dei nomine et auctoritate impie abusus censendus est: imo Deum blasphemasse dicendo: "Ego et Pater unum sumus.[5]

Nec licet illum imaginatione abreptum habere: nec enim phantasiæ vividioris ullum præbuit indicium: sed mira animi tranquillitate, et summa cum sapientia omnia protulit et egit. Profecto licet quisque sibi fingere posset sibi plura divinitus revelari, ægri animi somnia se proderent, quæ unico delusi hominis niterentur testimonio. Christus autem cohaerentia inter se tradidit, nec suis tantum dictis exegit fidem, sed opera adduxit divina patrata virtute, indubia cælestis doctrinæ argumenta.[6]

(1) "Nothing that is here said can apply, even with the most distant disrespect to the *real* character of Jesus Christ. He was a virtuous and an amiable man. The morality that he preached and practised was of the most benevolent kind." Age of Reason, part. 1, p. 15.

(2) Ib. p. 25.

(3) Joan. viii. 26.

(4) Joan. vii. 16.

(5) Joan. x. 30.

(6) Joan xv. 24.

Accedit quod ab omni lucri cupidine, honoris, laudis, vel voluptatis, se exhibuerit alienum, contra impostorum morem. Pauper et humilis degit vitam, nullum habens certum domicilium, nec locum ubi caput reclinaret; et quamvis eleemosynas ad sui sustentationem non dedignaretur recipere, eas tamen Judæ reliquit in marsupio servandas, haud ignarus eum, utpote furem, eas in propriam utilitatem sæpius conversurum. Ab omni honoris demonstratione plerumque se alienum habuit, nam quum post multiplicatos panes, multitudo eum regem et prophetam agnoscere vellet, in montem solus fugit. Quod autem Hierosolyma semel inter turbarum plausus ingressus sit, ad prophetarum vaticinia implenda factum est, et ut manifestum et publicum foret testimonium Messiæ characteres in eo agnitos. Cæterum mitis et humilis, asino vehebatur, et inter triumphi gaudia de civitatis excidio flens cogitavit. Laudis nulla flagrabat cupidine, nam eum Filium Dei confitentibus injunxit ut divinam ejus naturam non patefacerent, eosque de ærumnis et morte quam subiturus erat allocutus est. Pluribus patratis prodigiis, vetuit ne cuiquam referrentur, eaque ipse numquam ostentavit, etsi aliquando ea in testimonium doctrinæ allegaverit. Quantum a voluptatis studio abhorruerit ex tota narratione liquet, cibum scilicet suum esse præsertim duxit Patris facere volumtatem; et quamvis edere et bibere pro humana natura assumpta non recusaverit, imo convivium peccatorum non sit dedignatus, nulli se dedit jucunditati, sed medici instar, ægrotis remedia salutis porrexit, pœnitentes venia solatus est.

Ipsa qua calumnias atroces, persecutionem, mortemque post plurimos cruciatus, pertulit, æquanimitas, invictam exhibens patientiam, ostendit nec imaginatione eum ludi, nec mendacia venditasse. Mens conscia recti apparet in ea animi serenitate qua discipulos commonuit, et eorum consuluit securitati, persecutores sustinuit, judicibus respondit, post silentium quo se de accusationibus iniquis haud solicitum demonstraverat. In crucem jam sublatus circumspicit, matremque solatur, discipulo dilecto ea commendata; pœnitenti latroni paradisi gaudia pollicetur: Patrem pro hostibus precatur, et post vehementioris doloris edita indicia in Patris manus suum committit spiritum. Nullum quidem phantasiæ excitatæ, vel fraudis, in hujusmodi morte argumentum habetur. Merito igitur plures qui eum viderunt cruci suffixum et morientem, eum Filium Dei agnoverunt.[1]

(1) " Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime, et si simple (l'Evangile) soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il, que celui, dont il fait l'histoire, ne soit qu'un homme lui même? Est-ce là le ton d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses mœurs, quelle grâce touchante dans ses instructions, quelle élévation dans ses maximes, quelle profonde sagesse dans ses discours, quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses, quel empire sur les passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir, et mourir sans faiblesse, et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire, couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus-Christ: la ressemblance est si frappante que presque tous les Pères l'ont sentie, et il n'est pas possible de s'y tromper. Quels préjugés, quel aveu-

Liceat cum Paley insuper animadvertere impostorem populi Judaici de terreno Messiæ regno præjudiciis obsecuturum, quorum Jesus nullam habuit rationem: Enthusiastam quoque iisdem quibus cæteri Judæi facile abripiendum.[1]

Præterea impostores asseclas comparare student magnificis pollicitationibus. Christus e contra monuit Apostolos nihil illis in hac vita sperandum, sed contumelias, persecutiones, mortem inter cruciatus eos manere. Enthusiastæ sua abrepti imaginatione omnia fausta et gloriosa sibi suisque plerumque fingunt. Christus aerumnas et mortem præ oculis habuit, et de iis suos discipulos sæpius edocuit. Patet igitur Jesum nec enthusiasmo delusum fuisse, nec doli artificem: reliquum est ut divina ejus agnoscatur doctrina.

Obj. Tota Jesu vita pendet ex discipulorum fide, qui perfectissimum virtutum exemplar exhibere voluerunt, quin tamen de rei veritate plena habeatur certitudo.

Resp. Ipsi qui scripserunt Christi vitam litteris vel ingenio non admodum præstiterunt, nec ullum præbuerunt indicium se ficta narrare. Non ita confingunt homines, uti agnovit ipse Rousseau. Res plane gestas se legere quisque, intimo veluti animo, sentit, Evangelia legens. De omni historica certitudine actum est, si de Christi vita, prout in iis refertur, moveri possit dubitatio. Quam falso affirmaverit Paine probabilitatis limites haud excedere relationem de Christi existentia[2] liquet, quum a Scriptoribus coævis derivetur, et mirabili rerum conversione sit insignis; numquam enim ab orbe condito alius aliquis eventus contigit qui in hominum sententiis et agendi ratione tantam induxit mutationem. *Moralem hanc revolutionem*, ut populari utar phrasi, agnoscere, Christum tamen denegare, vel dubium habere, omnino repugnat.

Obj. 2. Jesus enthusiasta videtur, nam semel saltem ipsi ejus propin-

glement ne faut-il point avoir, pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément, jusqu'au bout son personnage; et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait si Socrate avec tout son esprit, fût tout autre chose qu'un sophiste. Il inventa, dit-on, la morale; d'autres avant lui l'avaient mise en pratique. Aristide avait été juste, avant que Socrate eût dit ce que c'était que justice. Léonidas était mort pour son pays avant que Socrate eût fait un devoir d'aimer la patrie. Sparte était sobre, avant que Socrate eût loué la sobriété. Mais où Jésus avait-il pris chez les siens cette morale élevée et pure, dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? ..... La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis, est la plus douce qu'on puisse désirer. Celle de Jésus expirant dans les tourmens, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible, qu'on puisse craindre. Socrate prenant la coupe empoisonnée bénit celui qui la lui présente, et qui pleure. Jésus au milieu d'un supplice affreux, prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus-Christ sont d'un Dieu." Emile l. iv.

(1) Paley's Evidences of Christianity, part. 2, c. 5, p. 379.

(2) Age of Reason, p. 16.

qui eum in furorem actum crediderunt,[1] et virga e templo expulsis vendentibus columbas, eversis nummulariorum mensis, se zelo ardentem exhibuit.[2]

Resp. Vox ab Evangelista usurpata ἐξέστη non dementiam, sed vehementem animi commotionem indicat. Qui autem fuerint 'οι παρ' αυτου non constat. Cæterum etsi concedatur nonnullos ex ejus propinquis eum delirare putasse, quum iis qui in eo absconditi erant divinæ sapientiæ thesauri non innotescerent, quod temere cogitarunt, non potest judicium nostrum determinare; nam ex concione in monte, et omnibus ejus sermonibus patet eum graviter, sapienter, moderate de omnibus disserere, et tota sua vita summam animi æquitatem demonstrat. Quod autem vendentes e templo expulerit, eorum eversis mensis, zelum quo eum vates cecinerant flagraturum demonstrat, sed excitatæ phantasiæ non est argumento. Apud Judæos judicium quod zeli vocabatur, viguit, omissa consueta judicandi forma: quapropter non adeo gentis consuetudines prætergressus videtur, etsi alias libera ei foret potestas Patris sui templum violantes corripere. Nec tamen inflixisse plagas censendus est, sed veluti paratum se exhibuit, ut eis delicti injiceret sensum, qui pudore veluti correpti recesserunt.

Obj. 3. Jesus nec enthusiasta, nec impostor, videtur habendus, sed homo sagacissimus, qui homines universos ad Dei unius cultum et recta morum principia revocare voluit. Divinam autem revelationem eo sensu affirmabat, quod nonnisi rationis, præclari Dei doni, lumine ea quæ alios docere studebat didicerat; quapropter et Deum Patrem suum speciali affectu vocabat. Nonnisi eo mortuo secta quædam hominum eum colentium, et supernaturalia dogmata prædicantium conflata est. Ita fere Paine.

Resp. Quæ Christus tradidit a Patre se excepisse testatus est aliis speciali dono revelanda: "Nemo novit Filium nisi Pater: neque patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare."[3] "Ego ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar."[4] Hæc certe dici non possent de iis quæ lumine naturali, et philosophiæ studio reperiuntur. Patrem vocavit Deum altiori prorsus sensu, unum enim se cum patre dicit: "Qui videt me, videt et patrem."[5] Si latiori sensu locutus fuisset, offensionem Judæis non peperisset, qui patrem Deum vocare consueverunt: sed quum Filium Dei se prædicaret, etiam coram Pontificibus reus, blasphemiam prolatam exclamarant, quia scilicet se Deo æqualem faciebat. Quamvis autem eo in terris degente non in unum convenit ejus discipulorum multitudo, prædixit ipse Ecclesiam a se ædificandam, et Apostolis in mandatis dedit, doctrina et baptismo discipulos inter se communionis vinculo colligare, ut ovibus ejus undequaque adductis, unum foret ovile sub uno pastore. Profecto mysteriorum fidem ipse exegit, dum de carne sua in cibum, sanguine in

(1) Marc. III, 21.
(2) Marc. xi. 15.
(3) Matt. xi. 27.
(4) Joan. xii. 49.
(5) Joan. xiv. 9.

potum dando locutus, nec ipsos Apostolos secum voluit retinere, nisi declaratione per Petrum emissa eum vitæ æternæ verba habere.

C. XVI. DE PROPAGATIONE ECCLESIÆ CHRISTIANÆ.

Prop. Ecclesiæ Christi propagatio velox per orbem divinam ejus originem probat.

Prob. Ipsa doctrinæ Christianæ indoles maxime adversabatur ejus diffusioni, nam mysteriorum fidem injungit, et cupiditates jubet coercendas. Salus in crucifixi nomine prædicanda, cultus ipsi tribuendus, ab omni omnium sensu et sententia abhorrebat. Primi præcones rudes literarum et humilius vitæ genus sectantes, nec copia dicendi præstantes, minime idonei visi sunt, qui cæteris hominibus suaderent. Nulla aderant humana subsidia, nec divitiæ quibus compararentur asseclæ, nec honores quibus allicerentur, nec potentia, qua cogerentur. Obstabant præjudicia altius mentibus insita erga avitam Religionem; Judæi quidem noverant suam legem divinitus per Moysem traditam, cultum etiam præscriptum: Ethnici verò a majoribus suis suas derivarant superstitiones, in quibus et quotidiana consuetudine, et cæterorum populorum exemplis fuerunt confirmati, ut de vitiis quibus favebat idololatria interim sileam. Obstabant vitia ipsa quamplurima quæ adeo grassabantur, quæque homines haud idoneos cælesti illi disciplinæ excipiendæ efficiebant. Obstabat etiam philosophia iis temporibus adeo exculta, quæ simplicitatem Evangelii respuebat. Qui hæc omnia perpenderit, fatebitur nullam humanam spem diffundendæ Christianæ Religionis, nullam verosimilem rationem affulsisse. Constat autem eam brevi diffusam omnes occupasse terras, ipsas Judaismi et idololatriæ sedes. Divinam igitur vim et potentiam miretur quis et adoret necesse est. "Si rem credibilem crediderunt," inquit Augustinus, "videant quam sint stolidi, qui non credunt: si autem res incredibilis credita est, etiam hoc utique incredibile est, sic creditum esse, quod incredibile est." "Ipse modus quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis; et omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit, atque ita et ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit. Si autem, ut verum est, paucis obscuris, minimis, indoctis eam *(ascensionem)* se vidisse dicentibus et scribentibus credidit mundus, cur pauci obstinatissimi qui remanserunt, ipsi mundo jam credenti adhuc usque non credunt?"[1]

Re autem vera diffusam esse Religionem Christianam per orbem ipso Apostolorum tempore, liquet ex epistolis eorum ad fideles per Asiam minorem et Græciam, dispersos, et Romæ etiam consistentes: constat quippe iis plerisque in locis magnum jam fuisse eorum numerum. Ad Colossen-

(1) Aug. de civ. Dei l. xxii. c. v.

ses scribens Paulus de Evangelio ait: "Quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis."[1] Ad Romanos: "Fides vestra annuntiatur in universo mundo:"[2] nec dubitat Apostolus affirmare jam suo tempore impletum vaticinium Davidicum, de præconum Evangelicorum voce ad extremas terras perlata: "Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum."[3] De seipso testatur quod: "ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverit Evangelium Christi."[4] Ipsi Ethnici testantur magnam fuisse ubique Christi fidelium multitudinem. Plinius ad Trajanum sub finem I. Sæculi scribit: "Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum: multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus, etiam vocantur in periculum et vocabuntur: non civitates tantum, sed vicos etiam atque agros, Christianæ superstitionis contagio pervagata est: prope jam desolata templa deorum et solemnia diu intermissa."[5] Seneca scripsit: "Quum interim usque eo consuetudo convaluit sceleratissimæ gentis, ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt."[6] Non igitur exaggerarunt christiani scriptores, qui Religionem per plerasque gentes cognitas, etiam barbaras, secundo sæculo diffusam affirmarunt. Sic Justinus martyr probavit prophetiam Malachiæ non posse intelligi de Judæis quia ubique non reperiebantur, sed Christianos ubique esse, "nullam enim esse gentem sive Græcorum sive barbarorum—apud quos preces et eucharistiæ non fiant Patri et creatori universorum per nomen crucifixi Jesu."[7] S. Irenæus loquitur de Ecclesia "et quidem in universum mundum disseminata"—"Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque quæ in Germania sunt fundatæ ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ, sed sicut sol creatura Dei in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire."[8]

(1) Col. i. 6.

(2) Rom. i. 8.

(3) Rom. x. 18.

(4) Rom. xv. 19.

(5) Lib. x. ep. 97.

(6) Relatus ab. Aug. l. vi. de civ. Dei c. xi. v. 36 inter fragmenta ex libris Senecæ, tom. iv. o. ed. Taur. 1829, ex recens. Buhkopf.

(7) ἐδὲ ἐν γαρ ὅλως ἔςι το γενος ἀνθρωπων, εἰτε βαρβαρων, εἰτε Ελληνων, ἰιτε απλως ὁτινιουν ὀνοματι προσαγορευομενων, ἢ ἀμαξοβιων ἢ αοικων καλεμενων, ἢ εν σκηναις κτηνοτροφων οικεντων, εν οις μη δια τȣ ὀνοματος τȣ ςαυρωθεντος Ιησȣ ἐυχαι και ευχαριςιαι τω πατρι και ποιητῃ τῶν ὅλων γινονται. Just. dial. cum. Tryph. § 117. p. 303. vol. 11. Ed. Wirceb.

(8) Irenæus l. 1. adv. hær. c. iii.

Pulchre Tertullianus alloquitur Romanos antistites: "hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castra ipsa, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa."[1]

Dicimus iterum cum Augustino: "Si per Apostolos Christi ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit."[2]

Obj. 1. Falso jactatur tanta Religionis Christianæ diffusio, nam pleræque nationes nonnisi post plura sæcula fidem amplexæ sunt, paucique fuerunt Christiani in plerisque locis.

Resp. Plena omnium gentium conversio nonnisi progrediente tempore facienda erat: cæterum brevi longe lateque diffusa est Christiana fides, uti ipsi Religionis hostes fateri coguntur, etsi omni studio ejus limites coarctare laborent.[3] Fuit Romæ "ingens multitudo" tempore Neronis, testante Tacito.[4] Alexandriæ tanta fuit Christianorum multitudo, ut Hadriano eam urbem invisente, imperatoris in se attraxerint attentionem,[5] et celeberrima magisterii Christiani cathedra plurimos auditores habuerit secundo sæculo. Profecto Tertullianus fidenter de Christianis locutus est, tamquam totius orbis, et immani prorsus multitudine, ita ut si sese subducerent imperium Romanum ad solitudinem redigeretur: "Si enim et hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri, et Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantæcumque, unius tamen loci et suorum finium, gentes, quam totius orbis—Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, imo etiam et ipsa destitutione punisset: procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, et stuporem quendam quasi mortui orbis, quæsissetis quibus imperaretis: plures hostes quam cives vobis remansissent, nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum."[6] Hæc ad Ethnicos Antistites Tertullianus haud ausus fuisset scribere, si vera non forent: constat igitur ante finem secundi sæculi Christianam fidem plurimos habuisse professores.

Obj. 2. Diffusio qualiscumque Christianismi contigit ex puriori quæ jam coli cœperat disciplina philosophica, cui consonabat doctrina de Deo uno et anima immortali; ex zelo Christianorum, qui omnem arripiebant avide occasionem se ab Ethnicis in toto fere vitæ cultu distinguendi; ex purioribus quos affectabant moribus, ex miraculis quæ allegabant in dies

(1) Tertul. Apol. c. 37.
(2) Aug. de civ. Dei l. xxii. 5.
(3) Vide Gibbon's history of the decline and fall of the Roman Empire, c. xv.
(4) Tacit. xv. 44.
(5) Ep. Hadriani in Hist. Augustana, p. 245 cit. a Gibbon c. xv. 283.
(6) Tertul. Apol. § 37.

patrari; et ex animorum conjunctione quæ regimine strictiori fovebatur. Favebat etiam tot gentium imperio Romano subjectio.

Resp. Eclectismus, seu alia quævis philosophia minime disponebat homines ad fidem Christianam amplectendam; hæc enim præter dogmata de uno Deo, et de anima immortali, plurima proponebat credenda et facienda, a qua philosophia omnino abhorrebat. Ut de cæteris taceam, cultus crucifixi philosophis maxime absurdus visus est, quum mortem illam omnes ignominiæ et infamiae ducerent. Frequentes illæ occasiones Christianis oblatæ sese ab Ethnicis distinguendi, quum singulæ fere actiones Ethnica aliqua superstitione inficerentur, obstabant Religionis diffusioni; nam homines proclives sunt ad turbam sequendam in consuetudinibus receptis, præsertim si contemptus, probra, ærumnæ ex alia agendi ratione secutura sint. Studium igitur Christianorum pro Religionis diffusione, et fidelitas in singulis muneribus exequendis, sedulo evitata omni mali specie, proveniebant ex intimo veritatis amore et sensu. Puriores etiam mores, quibus fidem suam commendabant, divinæ ejus veritatis et originis argumento fuerunt haud levi. Miraculorum fama numquam obtinuisset, si nulla fuissent facta. Animorum conjunctio ex eodem capite derivabatur, ideo enim unus animus omnibus visus est quod veritas eos veluti colligatos teneret. Regimen pariter quo in unum corpus tanta multitudo conveniebat, divinam fundatoris Ecclesiæ sapientiam ostendebat. Quod autem imperii Romani amplitudo Religionis diffusioni faverit, oblata copia fidei præconibus huc illuc sese conferendi, non est dubitandum: cæterum nemo sibi persuadebit homines plerosque mysteria Christiana et præcepta amplexos esse hac sola ratione motos, quod jam cœperint Romæ divulgari: præsertim quum auctoritas civilis iis maxime adversaretur.

Obj. 3. Ipsa persecutio Christianam Religionem propagavit, nam humanæ est indolis tenacius adhaerere vetito, compati afflictis, et mirari quod potestas frustra laborat opprimere. Præterea Christiani interfectos fidei causa tamquam heroes, ad Deum evectos, laudibus, honoribusque insignibus celebrabant, qua ratione adducti sunt plurimi ut hos ambirent honores, Christiani, imo et martyres facti.

Resp. Verissime dictum a Tertulliano: "Nec quicquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum."[1] Frustra tamen in animi pertinacia quæreretur ratio aucti populi Christiani, quamvis enim in qualibet opinione tuenda aliqui obstinatiores fiant, vi illata, plurimi tamen plerumque cedunt, vitæque commoda sibi potiora sententia ducunt. Ex illis qui nullo partium studio sunt abducti, vix aliqui reperiuntur adeo misericordia vel admiratione moti ut proscriptis hominibus faveant, vel sese adjungant, nisi lucri vel honoris urgeat cupido. Hæc vero nulla esse potuit amplectentibus Christianam Religionem, quin potius

(1) Apol. p. 45, sub finem.

paupertas, miseria, omneque ærumnarum genus iis proponebatur. Honorum Martyribus tributorum nulla fuit Ethnicis notitia, vel certe nulla æstimatio; nec facile concipitur quemquam iis motum ut vitam inter cruciatus daret, mercedem in fidelium memoria, laudibus, cultu, habiturus.

Obj. 4. Pagana Religio totum aliquando occupavit orbem: Mahumetana secta brevi propagata est: Lutheri reformatio gentes et regna brevi incessit, avita Religione derelicta. In ipso novitatis studio quod inest homnibus, ratio habetur sufficiens diffusionis Christianismi.

Resp. Ex ipsa indole Religionis Christianæ immane derivatur discrimen. Paganismus non fuit cultus dogmatibus certis nixus, et arcta præcepta morum imponens; omnes enim superstitionis species amplectitur in quas homines sibi relicti inciderunt, deos fere innumeros colentes, vitiis nullo injecto fræno. Mahumes bello suam propagavit sectam, et laxiores vivendi leges proposuit, uxores plures concedendo: quapropter mirum videri non debet homines vel vi cessisse, vel voluptate fuisse allectos. Lutherus plurima studuit tollere, quæ gravamina populorum habebantur, et populos libertatis dulecedine, principes bonorum Ecclesiasticorum esca allexit, gentis suæ in curiam Romanam odio, et sacerdotum improborum studiis usus. Quidquid humanis favet cupiditatibus facilem obtinet fidem, proindeque nil mirum si pronos se exhibuerint homines ad eam sectam amplectendam quæ pietatis nomen et speciem præseferens, bona opera, jejunia, aliaque pœnitentiæ exercitia, confessionem, plurimaque alia difficilia respuebat. Studium novitatis tunc maxime apparet quando agitur de liberiori instituenda vitæ ratione; minime verò de rigidiori inducenda morum regula. Id etiam haud prætereundum Lutheri principia non fuisse valde diffusa; insurrexerunt enim plurimi aliarum sectarum auctores, ejus in Ecclesiam perduellionem imitati, quin ejus in verba jurarent.

C. XVII. DE MARTYRIBUS.

Prop. Divina Christi revelationis origo probatur ex Martyrum multitudine.

Prob. Innumeros fuisse homines, prioribus præsertim sæculis, qui Christo perhibuerunt testimonium etiam inter dirissimos cruciatus, vitamque ipsam libenter ea de causa profuderunt, constat ex in dubitatæ fidei monumentis. Illis igitur fuisse intime persuasum christianam Religionem esse veram dubitari non potest: eam persuasionem non temere haustam, sed examine facto, vel rerum evidentia exhibita, præsumendum est: nec enim tanta multitudo omnis conditionis, sexus, et ætatis, jacturam vitæ sustinuissent pro re temere credita. Præsumptio hæc quæ ad certitudinem pertingit, certa omnino evadit quoad illos qui testabantur res a se visas et plene cognitas. Sic Apostoli testabantur Christum redivivum a se visum, ascendisse quoque ad cælos, se inspicientibus. Martyres plures viderant opera divinitus facta, miracula quibus adducti fuerant ad fidem. Eorum

igitur mors propter Christum fuit certissimum testimonium veritatis divinæ, omni exceptione majus.

Animi dispositiones quas Martyres manifestarunt Dei sibi adstantis fuerunt indicium haud leve: nam lætabundi ibant ad supplicia, et magna cum tranquillitate extremos subibant cruciatus. Pax, gaudium in Spiritu Sancto, fortitudo, mansuetudo, patientia invicta sæpius hostes ipsos ita commoverunt, ut se Christianos statim profiterentur, cœlum cruciatibus mercaturi. "Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare," uti animadvertit Lactantius.[1]

Frequens adeo et ferox persecutio nomen Christianum penitus delere debuit, nisi Deus Ecclesiæ adfuisset: nam non laici tantum, sed præsules, ipseque qui cæteris præerat episcopus Romanus, morte sunt sublati. Constat tamen auctum ea occasione Christianorum numerum: quapropter divinam virtutem et providentiam in eo miremur necesse est.

Innumeros porro fuisse martyres plurimis ex capitibus liquet: "Ingens multitudo,"[2] testante Tacito, necata fuit Romæ imperante Nerone, ficto crimine incensæ urbis. "Ipsa multitudine perturbatus" Plinius junior scripsit ad Trajanum, jussa ejus exquisiturus. Ex Apologiis Quadrati, Aristidis, Justini, Tertulliani, Athenagoræ constat frequentia omnino fuisse martyria. Lege vetitum Christianismum, a Nerone colligitur ex Suetonio, qui inter ea quæ laudabiliter censet constituta, Christianorum refert supplicium: "afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ."[3] Mitigavit legis rigorem Trajanus vetando ne quærerentur a Magistratibus, quin tamen delatos supplicis eximeret. "Quoties," inquit, Tertullianus, "in Christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? quoties etiam præteritis vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis?"[4] Popularis furor Christianos sæpissime postulabat ad necem, calamitates quippe publicæ ad cultum deorum neglectum referebantur: "Prætexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit ad mænia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem."[5] "Innumeram multitudinem" sub Domitiano periisse inter immania supplicia refert Eusebius, Brutium Ethnicum Scriptorem testem citans.[6] "Vexabatur," inquit Lactantius, "universa terra,

(1) Lactantius l. v. de Inst. c. xiii.
(2) Tac. l. xv. ann. 44.
(3) Suetonius de Nerone c. xvi.
(4) Tert. ap. § 37.
(5) Tertullian Apol. § 40.
(6) Euseb. hist. Eccl. l. iii. c. 18—et l. viii. c. 4. et l. i. de Vita Constant.

et præter Gallias ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant."[1] Etiam post pacem Christianis sub Constantino datam, sexdecim millia, quorum nomina servabantur, præter alios innumeros, Sapore rege Persarum furente, morte mulctati referuntur.[2]

"Exquisitior quæque crudelitas" in Christianis puniendis adhibita est, prout supra ex Tertulliano memoravimus. Tacitus refert Christianos nonnullos crucifixos, alios pelle bestiarum indutos canibus objectos, alios, pice et resina perfusos, ut instar facium noctem eorum incendio illustrarent.[3] Prælaudatus Apologista Christianus Martyrum nomine loquens dicit: "Licet nunc sarmenticios, et semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ: hæc palmata vestis; tali curru triumphamus."[4] Varia tormentorum genera, scilicet, tauros æneos candentes, ferreas laminas, craticulas, aliaque plurima, describit ex authenticis monumentis Gallonius:[5] nec diffitetur Gibbon aculeum et flagella adhibita omnemque crudelitatis artem, ut martyrum constantia vinceretur.[6] Tertullianus recenset varia supplicia: "crucibus et stipitibus imponitis Christianos—ungulis deraditis latera Christianorum—cervices ponimus—ad bestias impellimur—ignibus urimur."[7] Imo refert paulo ante Christianam ad lupanar missam, ut ejus virtus hac saltem ratione domaretur: "Nam et proxime ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna et omni morte reputari."[8] Licuit autem supplicium omne evadere, Christum denegando, et grana pauca incensi Jovi adolendo.

Mira animi alacritate supplicia et mortem amplexi sunt Martyres, mira prorsus patientia pertulerunt. "Certatim gloriosa in certamina ruebatur," inquit Sulpicius, "multoque avidius tunc martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur."[9] Lactantius scribit: "dum latrones, et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, et gemitus edunt victi dolore, pueri et mulierculæ tortores suos tacite vincunt, et exprimere illis gemitum nec

(1) Lact. de morte pers. c. 16. Vide etiam l. v. div. Inst. c. 9. 11.

(2) Sozomen l. ii. hist. c. xiv.

(3) "Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur." Tacit. Ann. l. xv. 44.

(4) Tertul. Ap. sub finem.

(5) "De S. S. martyr, cruciatibus" Ant. Gallonii Romæ 1594.

(6) Gibbon hist. ch. xvi. § iii. p. 303.

(7) Tertul. Ap. § 12.

(8) Ap. sub finem. Gibbon tamen virginum tentationes a monachis medii ævi confictas affirmat: hist. c. xvi. § iii. p. 304.

(9) Sulp. Sac. hist. l. ii.

ignis potest."[1] Hoc patientiæ miraculum Deum adfuisse demonstrat, ut sileam de publicis prodigiis quibus sæpius martyria illustrata sunt, uti ex documentis testibusque locupletibus constat.[2] Jure igitur meritoque amnimadvertit S. Hieronymus: "Cum quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset evangelium, numquam sanguine defenderetur."[3]

Id insuper notandum martyres plerosque, primo saltem, et secundo sæculo, fuisse ex Ethnicis vel Judæis ad Sacra Christiana adductos. "Ex his *(scilicet antea ignorantibus fidem)* fiunt Christiani, utique de comperto, et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant."[4] "De vestris fuimus;" inquiebat Tertullianus, "fiunt, non nascuntur Christiani."[5] Porro fuerunt inter martyres homines doctrina et ingenio præstantes, morum autem sanctitate, magis quam senectute venerandi: Ignatius, Justinus, Polycarpus, Cyprianus aliique innumeri. Horum testimonium morte ipsa obsignatum fide dignum profecto est.

Obj. Origenes dicit: "Deo propugnante, et opportunis temporibus cohibente persecutores Christiani nominis, pauci per intervalla temporum et facile numerabiles pro Religione Christiana mortui sunt."[6]

Resp. Paucos martyres præ immani Christianorum multitudine censet: "Deo vetante, ne in totum exscinderetur hoc genus hominum; subsistere illud voluit, et omnes terras repleri salutari doctrina ista."[7] Memorat ipso opere multos qui "scientes moriendum sibi, si confiterentur Christianismum, abnegato verò absolvendos se, contempserunt vitam, et ultro mortem ob pietatem elegerunt."[8]

Obj. 2. Plurima martyrum acta fabulis plena sunt, et manifesto conficta: vox abbreviata *mil.* pro *milite*, aliquando mille reddita est, et ita in immensum excrevit martyrum numerus.

Resp. Sunt quidem aliqua martyrum acta populari traditione nixa, vel ingenio conficta, quæ proinde fidem non merentur; non ideo tamen de martyrio eorum quos celebrant dubitandum est: facile enim contingere potuit ut martyris triumphus innotuerit, et ad posteriorem ætatem certa ejus notitia devenerit, etsi omnia ejus adjuncta non fuerint scripto consignata, vel falsa veris sese immiscuerit. Quæ de erronea abbreviationum interpretatione a Gibbone asseruntur ingeniose et lepide, magis quam vere,

(1) Lact. Div. inst. l. v. c. 15.

(2) Euseb. hist. Eccl. præsertim l. v. et seq. et l. ii. de martyr. Palestinæ. Lact. de morte pers. Ruinart ad acta Martyr. sincera.

(3) Hier. ad Hedib. q. ii.

(4) Tertul. Ap. § 1.

(5) Ib. § 18.

(6) Origenes l. iii. contra Celsum.

(7) Ib.

(8) L. ii.

facile refutantur, nam numerus litteris plerumque exprimitur in inscriptionibus. Sic una legitur:

MARCELLA ET CHRISTI MARTYRES CCCCCL.
ALIA
CL. MARTYRES CHRISTI.

Ex ipsis inscriptionibus perdocte demonstravit Visconti magnum omnino esse martyrum numerum.[1]

Nec possunt Gibbonis conjecturæ infirmare testimonia quæ adduximus in quibus nulla abbreviatio continetur. Ideo non agitur de uno alterove martyre, cujus acta possent in dubium vocari, nec de certo quodam numero, sed de magna multitudine, quam martyrium subiisse ex certissimis documentis, suffragantibus ipsis Ethnicis, probamus.[2]

Obj. 3. Christiani passi non sunt ut testimonium Christo, vel Christianæ fidei perhiberent, sed ob spretas patrias leges et consuetudines, et læsam majestatem.

Resp. Ob suam Christianam professionem mortui sunt, tamquam discipuli et cultores Christi, qui suo magistro adhaerentes populares deos respuebant, et nolebant aliquid facere quod in idolorum cultum redundaret: "oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. At enim secta oditur in nomine utique sui auctoris."[3] Satis erat Christianum se negare, ut quis liber dimitteretur: proinde quicumque maluit mortem subire quam Christi se discipulum inficiari, splendidum præbuit testimonium sibi intimius esse persuasum Christum divinæ veritatis esse magistrum. Nullæ leges consuetudinesve patriæ a Christifidelibus violari consueverunt, præter eas quæ veri Dei cultui adversabantur. Cæsaris majestatem verebantur, sed obsequium suum nulla superstitione infici volebant, ideoque hac tantum ratione poterant in suspicionem læsæ majestatis venire, quod nollent concives suos imitari, Jovem pro imperatore supplicantes, vel jurantes per genios Cæsarum: "Precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcumq; hominis et Cæsaris vota sunt. Sic itaque nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Hoc agite, boni præsides, extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore."[4]

(1) Memorie Romane di antichità tom. 1. Rom. 1825, p. 112, 113.

(2) Ex consuetudine exercendi juniores Monachos in scribendi arte contigisse videtur ut quædam scripta ingenii exercendi causa conscripta ad nos devenerint. Cæterum plurima indubia monumenta supersunt.

(3) Tertul. Ap. § 3.

(4) Tertul. A. § 30.

Obj. 4. Christiani plerique *fanatismo*, animi scilicet æstu quodam, abrepti, ad mortem subeundam, censendi sunt: mulieres quippe, pueri et puellæ, et vulgus indoctum, præconum Evangelii hortationibus incensi, mortem oppetiere, spe vitæ æternæ.

Resp. Pauci plerumque æstu quodam animi abripiuntur ad ardua quæque aggredienda, vel ærumnas tolerandas, pro sententia nihil sibi profutura, vel pro re de cujus veritate non constat. Christiani autem quamplurimi ex omni fere natione, et sæculorum etiam intervallo interposito, vitam libenter profuderunt pro Christo, cujus divinam auctoritatem habebant exploratam. Clemens Romanus, Irenæus, præter alios quos jam laudavinus, sexcentosque alios, genere et ingenio insignes, mortem subierunt, quos certe cum vulgo indocto confundere nemo velit. Quod autem et puellæ et juvenes, et mulieres, et plebs omnis paratum ad martyrium exhibuerint animum, ex evidentia christianæ revelationis est factum, quum res gestæ quibus veritas ejus comprobatur, etiam simpliciorum intellectui sicut et doctissimis ingeniis, sint accommodatæ. Non æstu igitur animi abrepti, sed christiane edocti et divinitus adjuti censendi sunt, qui mortem pro Christo oppetiere. Animi tranquillitas, erga carnifices benevolentia, et gaudium inter dirissimos cruciatus, non ostendunt fanatismum, sed plenam convictionem veritatis, et intimam cum Deo conjunctionem. Spes quidem æternæ vitæ animos illis fecit ut gravissima quæque paterentur, aspiciebant enim in retributionem; sed illa tanta fiducia certissimis probationibus veritatis Religionis Christianæ nitebatur, nec enim vaga quæque futurae beatitudinis promissio potuit animum a praesentibus abducere bonis, et ad cruciatus tolerandos firmare.

Obj. 5. Non omnes ea præstiterunt mansuetudine, sed potius probra in judices jactarunt. Quod vero pertinet ad gaudium inter cruciatus, plures sectarii laetabundi ibant ad mortem propter suos errores.

Resp. Pauci omnino acerbe locuti sunt, hique zelo fidei et virtutis, potius quam animo infenso. Ad emendationem persecutorum juvabat ut aliquando corriperentur, vel saltem ad vindicandos innocentes, impiis pudore suffusis. Sic refert Eusebius martyrem Ædesium judicem Alexandrinum, mulieres castas et sacratas Deo virgines lenonibus dedentem, verbis simul ac factis pudore atque ignominia perfudisse.[1] Maligne hæc de percusso judice interpretatur Gibbon, quæ de conatu eripiendi virgines rectius intelliguntur. Novimus ex S. Bernardo sectarios Manichæos lætabundos sese exhibuisse dum ad mortem ducerentur, populo in eas irruente:[2] sed longe distat animi lætitia quam in martyribus laudamus, ab effuso gaudio quod affectabant qui nollent in ipsa morte victi videri. Superbia, amorque inanis gloriæ possunt nonnullis etiam morituris animos addere, ut læti et triumphantes videantur: abest tamen animi vultusque serena tranquillitas,

(1) Euseb. lib. de Martyr. Palest. c. 5.
(2) S. Bern. in Cant. Serm. lxv.

benigna erga tortores voluntas, et modus ille lætitiæ qui intimum animi sensum prodit. "Nihil ergo simile habet constantia martyrum et pertinacia horum, quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur."[1]

Obj. 6. Plurimi inter Indos se sternunt in viis ut plaustro Juggernaut terantur: mulieres in ignem se mittunt, marito mortuo ut testentur affectum: sectæ fere omnes suos habuerunt martyres; præ cæteris verò protestanticæ, uti liquet ex Martyrologio Fox.

Resp. Martyrem, juxta verissimum Augustini axioma, non pæna, sed causa facit. Indi illi superstitioni mancipati, qui sese conterendos projiciunt, nullius rei gestæ, nullius dogmatis se testes exhibent: sed pravis suæ gentis consuetudinibus obsequuntur, putantes se numini præstare obsequium. Mulieres etiam populari errori et receptæ consuetudini morem gerunt, infamiam cæteroquin laturi. Sectarii plerique ob turbas motas, facinoraque plurima in Clerum, Sanctimoniales, et populum fidelem patrata, Ecclesiis et etiam Monasteriis destructis, vel profanatis, fuerunt morte multati, uti de Circumcellionibus tempore Augustini, Albigensibus medio ævo, aliisque, recentioribus temporibus, constat. Veteres autem Christiani ob fidem et obsequium Christi perierunt, nulla facta seditione, nulla vi aliis illata. Quod si ex Sectariis nonnulli propter solos suos errores sint damnati, ille legum rigor ortus videtur ex motibus civilibus, et facinoribus, quæ hæresim plerumque comitabantur, et quorum causa quum foret, crimen gravissimum contra reipublicæ tranquillitatem et salutem ipsa habebatur. Illi autem Martyres haberi non possunt, nam nullam rem gestam testabantur, nullam veritatem certò sibi cognitam, sed pro opinionibus maxime inter se discordibus, quibus fidem Catholicam impugnabant interfecti sunt. Quidquid igitur sit de jure quo damnati sunt, omni plane carent veri Martyris charactere. Martyr est qui veritatis divinitus revelatæ testis est, vel rei gestæ qua fulcitur. Humilis, patiens, erga persecutores benevolus necesse est ut sit; qui verò pervicax mortem quam vitare nequit subit, minas intentans, laude martyrii destituitur. Quod ad martyres quos recensuit Fox spectat, plures in vivis erant eo ipso quo scripsit tempore, alii ob maledicta in reginam Mariam jactata, et turbas excitatas, perierunt.

C. XVIII. DE ECCLESIÆ CONSERVATIONE.

Prop. Catholicæ Religionis conservatio certum est divinæ Christi missionis argumentum.

Prob. Illa vis invicta qua, inter tot rerum humanarum vices, perstitit semper Catholica Religio, non potest humanitus explicari: nam vehementes sæpe sæpius sustinuit hostium impetus, Judæis, Ethnicis, hæreticis, in eam ruentibus. Omni telorum genere contra eam bellatum est, vi aperta, cuneis et dolis. Nonnumquam Philosophi dialecticam adhibuerunt

(1) Bern. in Cant. Serm. lxv.

ut eam argumentationibus subdolis infirmarent: Rhetores copia verborum usi sunt: Scientiarum cultores omnem operam in eo posuerunt ut earum subsidio veritates Christianas everterent: historici res gestas falsa induerunt specie Religioni Christianæ adversa: politici œconomiæ civilis rationes excogitarunt quæ ejus læderent jura, destruerent principia. Plebs sæpe in eam desæviit; magistratus et principes suam exercuerunt auctoritatem qua premeretur. Ipsi Religionis professores gravissima intulerunt damna, quæ interitum minitabantur, ex omni scilicet gradu fuerunt qui vitiis eam dedecorarent; et sæpius etiam exierunt ex ipsa, hostes e filiis facti, omnique studio ad eam destruendam laborarunt consiliis ejus patefactis, calumniis additis, mendaciisq: omnis generis. Nec tamen prævaluerunt conjurati hostes: Deus quippe aderat sua ope eam sustentans, adeo ut potuerit Ecclesia grates verbis Psalmistæ persolvere: "Sæpe expugnaverunt me a juventute mea—etenim non potuerunt mihi."[1] Sectæ omnes sibi invicem cedunt, opinionum commenta die delente, quamvis plerumque iis vehementer faveat civilis potestas: Ecclesia autem Christi manet post tot sæcula, semper impugnata, semperque victrix.

Conferat quisque Ecclesiam cum imperiis potentissimis et florentissimis, cum regnis et rebuspublicis; et perspiciet omnia suas habere vices, et properare ad interitum, alio alteri cedente; Ecclesiam solam omnia sæcula pervadere, quia scilicet divinam habet originem, divinum proinde munimen.

Obj. Ecclesiæ Catholicæ per tot sæcula conservatio humanæ prudentiæ potius quam divinæ operæ est tribuenda: scilicet tanta cum arte regimen ejus perfectum est ut omnes per orbem præsules in idem docendum conveniant, proscriptis contra sentientibus.

Resp. Principium auctoritatis qua servatur unitas, est revera vita Ecclesiæ; illud autem non humanitus excogitatum, sed divinitus traditum habendum est: nec enim humana prudentia sufficit illud excogitare, vel executioni demandatum per tot sæcula conservare. Divinæ fuit profecto sapientiæ eam regiminis formam instituere, quæ expanderetur per orbem absque unitatis detrimento, ita ut Episcopatus foret unus cujus singuli in solidum partem tenerent, juxta pulcherrimam et verissimam notionem Cypriani. Ejusdem sapientiæ humana longe majoris fuit doctrinæ unitati consulere, tantam huic præsulum collegio tribuendo auctoritatem, ut errores telo damnationis confodere valerent, et profanos novatores procul ab Ecclesia esse jubere.

Obj. 2. Opera principum, tribunalis inquisitionis, aliisque humanis subsidiis, non divina aliqua ope substitit Ecclesia Christiana.

Resp. Fuerunt quidem principes nonnulli protectores Ecclesiæ, sed per tria priora sæcula nullus extitit princeps Christianus: postea Julianus Apostata, et principes Ariani, aliique omni fere sæculo vexarunt Ecclesiam, hæreticis, qui illis blandiebantur, faventes. Tribunal Inquisitionis ante sæculum decimum tertium ignotum, in nonnullis tantum regnis invigilavit ne er-

(1) Ps. 128. 1.

rores grassarentur. Severitati ejus, quæ admodum exaggerata est, nequaquam potest tribui Ecclesiæ ubique diffusæ per tot sæcula conservatio. Quæcumque autem quovis tempore adhibita fuerint subsidia ad rem Christianam servandam vel augendam, manifestum est divinam opem et benedictionem necessario requiri ut respublica Christiana, his licet munita, potens florensque hactenus perduraverit.

Obj. 3. Christiana Ecclesia diu ab antiquo defecit splendore, plerasque quas occupavit regiones amisit, vixque aliquas, nomine magis quam re, tenet subjectas.

Resp. Ratione habita vis a Mahumete, et sectariis illatæ, et scommatum, et sophismatum quibus Novatores decimi sexti sæculi, et incredduli sæculi proxime elapsi impugnarunt Ecclesiam, mirum est tot adhuc permanere gentes quæ Ecclesiam matrem et magistram agnoscunt. Nonnulla quidem amissa sunt regna, sed et gentes quæ sedebant in umbra mortis fidei lumine sunt illustratæ, et in regnis quæ tota defecerant magna jam numeratur multitudo fidelium toto corde Ecclesiæ adhærentium. Sunt quidem nonnulli nomine tenus Catholici, sed quamplurimi ubique ex intima animi persuasione fidem profitentur.

Obj. 4. Islamismus per sæcula facile undecim duravit, ad mundi usque finem verosimiliter duraturus: Protestantismus tria jam numerat sæcula, et viget in dies, Biblia larga manu ad extremas usque terras per Missionarios mittens: Judaismus, qui tot sæculis Christianismum antecessit, comes ubique adest, finem, ut videtur, nonnisi cum ipso habiturus.

Resp. Islamismus nihil divinum præsefert, sed imperium armorum vi erectum, et dilatatum, quod eadem ratione servatur. Qui, historia magistra, imperiorum novit vices, perpetuum illud non dicet. Protestantismus nullibi idem est, sed ubique varias induit formas, et a Lutheranis exordiis toto cælo distat. Jam vero cessit in tota fere Germania Rationalismo, qui, nomine Christiano, Deistarum sancit placita; et alias adeo est vagus et multiplex ut quid sit, vix, vel ne vix quidem, dici valeat. Vigor ejus bibliis per orbem sparsis non probatur, Christiani enim fiunt, captivato in obsequium Christi intellectu, non libri sacri qualibet pertractatione. Operam verò suam perditam agnoverunt plurimi Missionarii Protestantici, ita ut plane desperandum sit Ethnicos ea ratione ad Christianam fidem adducendos.[1] Judaica gens perdurat, insigni profectò Dei providentia, ut etiam testimonio eorum Veteris Testamenti libris constet auctoritas, et Christi et prophetarum de iis vaticinia impleta pateat.

Quum igitur revelationem quam prædicat Christi Ecclesia Catholica vaticiniis, miraculis, aliisque plurimis momentis munitam ostenderimus, divina ejus origo et auctoritas necessario est agnoscenda. Specialem autem de ipsa Ecclesia tractatum, ob plurimorum qui Christiano gloriantur nomine in eam impetus aggredi jam oportet.

(1) Vide Wiseman's lectures on the doctrines of the Catholic Church, lect. 6th.

DE ECCLESIA.

TRACTATUS II.

PRŒNOTANDA.

Revelationem a Christo divinam esse quum demonstraverimus, Ecclesiam quæ eam prædicat cœlesti munitam esse auctoritate plane sequitur, huic enim perhibent testimonium et miracula quibus fundata est, et propagata, et martyres qui pro fide, quam, ea docente, hauserant, sanguinem inter cruciatus fuderunt. Cæterum quum innumeræ sint sectæ quæ ejus privilegia usurpant, vel eorundem sibi vindicant consortium, quibus fulgeat divinæ originis, præ illis, indiciis, ostendere juvat. Augustini sequimur exemplum, qui, quum Ethnico, de Christo vaticiniis, divinam ejus auctoritatem suaderet, eum sic inducit quærentem: "Quo ergo signo manifesto adhuc parvulus, et nondum valens liquidam discernere in tot erroribus veritatem, quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem jam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor?" Huic interrogationi respondet sanctus ille Doctor, ipsum vatem Jeremiam, cujus jam usus fuerat testimoniis, Ecclesiam manifesto designare: "Sequitur idem propheta, et tamquam motus animi ejus ordinatissime excipiens, docet eum Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet, et apparet."[1]

TABULA.

Tabulam quandam orbis Christiani exhibemus, ut tractatui majus lumen affulgeat.

Ecclesia Catholica, cujus centrum Romana Petri sedes est, totam possidet Italiam, Siciliam, Hispanias et Lusitaniam, Belgium, totam fere Galliam, et Hiberniam, Bavariam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, et magnam ditionis Austriacæ partem, Helvetiarum plures provincias, plurimosque numerat filios in Anglia, Scotia, Batavia, Suevia, et Norvegia, Borussia, Saxonia, Russia, et in insulis Archipelagi, aliisque Græciæ, et Turciæ Europeæ partibus. In Asia minori, et tota Turcia Asiatica sunt plurimi Catholici, qui magno numero etiam reperiuntur ubique fere sparsi per Indias Orientales, et insulas plerasque Asiæ adjacentes, in Siam regno et in

(1) Aug. contra. Faustum, l. xiii. c. 13.

Sinensis imperii extremis veluti oris. Apud Sinenses ipsos 60,000 numerantur, apud Indos Orientales 460,000, et in Australia quamplurimi. In Africa non desunt Catholici in Ægypto, in Barbariæ locis maritimis, jamque erecta est sedes Episcopalis Juliæ Cæsareæ.[1] In regno Congo, et prope promontorium quod caput Bonæ spei audit, est quoque Episcopus. Tota America meridionalis, exceptis locis aliquibus in quibus sylvestres degunt homines, Catholicam profitetur fidem, quæ et Mexicanæ reipublicæ communis est. Viget in plerisque locis Septemtrionalis Americæ, quæ Britannico subjacent imperio, præsertim in provinciis Canadæ, et in plerisque insulis utrique Americæ, vel etiam Europæ, vel Asiæ, adjacentibus, in quibus Christi nomen aliquatenus agnoscitur. In his fœderatis provinciis ad millionem fere pertingere censemur. Per orbem 180,000,000 numerantur.

Græci Schismatici in Russia reperiuntur, sicut ubique fere in Turchia Europœa, et Asiatica, et in Ægypto. Russi tamen Constantinopolitanum Antistitem, qui plerisque præest, non agnoscunt. 30,000,000 a nonnullis,[2] 41,000,000, ab aliis recensentur, quibus tamen plerumque accensent sectas alias, nempe Nestorianos, Jacobitas, Armenos, Coptos, Abyssinos, aliosque.

Protestantes in innumeras divisi sectas, plures Europæ obtinent provincias, Angliam scilicet, Scotiam, Daniam, Sueviam, Norvegiam, Borussiam, Bataviam, pluresque Germaniæ provincias, et magnam provinciarum fœderatarum partem. In insulis quoque nonnullis Indiarum occidentalium et Orientalium, et in oris maritimis Asiæ reperiuntur. Lutheranismus in Dania, et provinciis vicinis, in Saxonia, et in aliis nonnullis Germaniæ partibus præsertim viget: Calvini principia in Scotia, Borussia, Batavia, et Anglia potius obtinent. Anglicani tamen Hierarchiæ servant umbram, pluresque ritus fere Catholicos: imo plura propugnant principia, quæ specie Catholica sunt, vel parum a Catholicis dissita. Nonnulli in Europa numerant 46,000,000 ex variis Protestantium sectis, 11,500,000 in America; sed census nimis auctus videtur. In his fœderatis provinciis Presbyteriani, Calvini principia plerumque propugnantes, numero et studiis pollent, sed in plurimas sectas sub-dividuntur, veteris a novæ scholæ, uti aiunt, sectatoribus, nuperrime novo dissidio scissis. Baptistæ, immersionis necessitatem, ut valeat baptismus, statuentes, Methodistæ, Episcopaliani, aliique omnis generis numero haud parvo reperiuntur. Exorti sunt ante paucos annos Mormonitæ, aureo libro, Bibliis præstantiori, uti ipsi contendunt, detecto, qui jam in provincia Missouriensi armis se tuentur. Hac tabula inspecta quisque statim percipit Ecclesiam Catholicam omnibus eminere, quam etiam divinis fulgere indiciis intelligit, quum in fide semper et ubique sibi constans omnem inimicorum superet impetum. De ea igitur cum Augustino dicimus: "Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tamquam sar-

(1) Vulgò, *Algiers.*

(1) "Adam's Religious World Displayed."

menta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam."[1]

SUBSIDIA AD DIGNOSCENDAM ECCLESIAM.

Nobis persuasum est quemque, divino affulgente lumine, posse Ecclesiam agnoscere absque Scripturarum examine, quippe quæ ab omnibus humanæ originis cœtibus plane distinguitur. Cæterum quum hæretici scripturis abutantur ad ejus evertendam auctoritatem, non recusamus in certamen descendere, ut arma illis eripiamus: quos eo magis his obruemus telis quod in iis tantam reponant fiduciam. Egregium ducem secuti, verbis quibus Donatistas compellabat, utimur: "Sunt libri divini, quorum auctoritati utrique credimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram."[2] Scripturarum testimoniis veterum scriptorum, præsertim eorum qui intra quinque sæcula a Christo nato floruerunt, sententias adjungendas duximus, ut constet qua ratione ipsi ea intellexerint, et quæ apud Christifideles de Ecclesiæ auctoritate ubique obtinuerit fides. Argumenta autem ex Scripturis sumpta de Ecclesiæ constitutione et privilegiis magnam apud omnes habere vim necesse est, quum historiæ sint monumenta fide dignissima. Igitur communem hominum sensum in hac re licet appellare, ut quibus de divina Scripturarum auctoritate non constat, qua ratione Christianorum societas et respublica primum constituta sit, ex historicis veluti documentis pateat. Ea ratione qua contra Deistas Scripturis usi sumus, historica earum auctoritate probata, sic eas adhibemus[3] ut qualis a Christo instituta sit Ecclesia noscamus; pertinet scilicet ad historiam, quæ Novi Testamenti libris continetur. Interpretationem autem testimoniorum quibus utemur, non ex Ecclesiæ auctoritate derivamus, dum de ipsa auctoritate statuenda apud infideles vel hæreticos agitur; sed ex vi verborum et sermonis contextu, et antiquitatis sensu, qui certe ex obvia eorum significatione ortus censendus est. Nec fidem veluti divinam Ecclesiæ auctoritatis hac ratione statuimus, sed humanam quandam,[4] suadendo scilicet, sicut jam Christi revelationem Deistis suasimus; illam enim compendio quodam auctoritatis haberi censemus, Deo mentem illustrante ut

(1) Serm. 1, de Symbolo ad Catechum, c. 6.

(2) Burnet contendit nos non posse Scripturis uti in Ecclesia dignoscenda, quippe quarum auctoritas ex ipsius Ecclesiæ judicio pendet: sed vehementer aberrat, quum historica fides eis vindicetur iis quæ priore tractatu exposuimus argumentis. Testimonio et judicio Ecclesiæ indigemus ut de divina earum inspiratione certo constet, omni de singulorum librorum auctoritate dubitatione remota, uti in sequenti tractatu demonstrabimus. Burnet Analysis, p. 280, ed. Dublin, an. 1829.

(3) "Nel Cristianesimo riconosconsi due specie di fede; naturale e umana, e sovrannaturale e divina. Si ha la prima quando si crede il fatto della Rivelazione per la forza ch' esercitano naturalmente sullo spirito umano gli argomenti i quali lo provano; ed é simile a quella, che si presta a tutte le storie. La seconda viene in noi prodotta dall immediata azione della grazia celeste, la quale dipende piuttosto da Dio, che la dà, che dall' uomo, che la riceve." Spedalieri p. 1, sezione III. c. vi. tom. 2, p. 78.

Ecclesia domus ejus, veritatis præco ac custos, ex iis quos undequaque diffundit cœlestis luminis radios, agnoscatur. Fideli autem homini jam Ecclesiam agnoscenti, et testimonium ejus de divina Scripturarum inspiratione excipienti, mire inserviunt elogia quibus in iis ornatur, et privilegiorum documenta quæ referuntur, ut fides quam divinitus illustratus concepit explicatior et clarior de summa ejus auctoritate evadat.

CIRCULUS VITIOSUS.

Quærit Stillingfleet utrum infallibilem Ecclesiæ auctoritatem absque Scripturarum testimoniis fide divina amplecti valeamus;[1] cui utique respondemus, ita nobis firmiter esse persuasum, nam quæ menti exhibentur Ecclesiæ indicia certitudinem pariunt, cui nulla errandi subest formido, quæque, divina gratia aspirante, fidei divinæ virtutem habet.[2] Cæterum et Scripturis uti licet, quin principium quod in quæstione ponitur petere videamur, sicut legatus reipublicæ litteras mandataque quibus sua declaratur auctoritas exhibens, eam probat. Ecclesia igitur legationem qua pro Christo fungitur prædicat, et codice exhibito probat, quo scilicet sine ulla ambiguitate declaratur. Quum de historica Scripturarum veritate, apud hostes Ecclesiæ plerosque admissa, dubitandi nullus sit locus, jure meritoque iis utitur.

Quamvis igitur censeamus Ecclesiæ auctoritatem absque Scripturarum ope demonstrari facile certoque posse, fidemque concipi divinam, gratia mentem illustrante, et roborante voluntatem, ut veritates quas tradit, ob Dei per eam loquentis auctoritatem amplectatur; quod iis præsertim qui legere haud noverint contingit: plerisque tamen Scriptura est inter subsidia ad explicandam vel concipiendam divinam illam fidem. Quum enim Ecclesia Scripturas suis filiis indesinenter exhibeat et exponat, ipsæ cum aliis divinæ suæ auctoritatis indiciis ad eam commendandam inserviunt. Sive igitur earum historicas veritas tantum agnoscatur, sive earum inspiratio humana quadam persuasione teneatur, ex iis una cum cæteris credibilitatis motivis, ad divinam Ecclesiæ institutionem, et in docendo auctoritatem infallibilem agnoscendam movemur, et divinæ gratiæ adjutorio ducimur. Ejus testimonio et judicio innixi, Scripturas tamquam Dei eloquia divina fide deinceps veneramur.

Circuli vitiosi objectioni, cui in limine occurrendum duximus, utpote qua gaudent protestantes, nullus profecto est locus, tunc enim fit quando duo æque incognita mutuo se probant. Sic in allato legati exemplo, si

(1) Stillingfleet's Works, v. 4, p. 123, citata a Newland in Analysi, p. 278, Note.

(2) Adnotat Stillingfleet credibilitatis motiva ex Catholicorum confessione *moralem* tantum afferre certitudinem; sed ludit verbo, eo scilicet aliquando intelligitur magna verisimilitudo; aliquando certitudo omnimoda nixa legibus quibus mentes reguntur. Hæc, quæ omne errandi excludit periculum, ex motivis credibilitatis habetur.

homo omnino incognitus sui principis vel reipublicæ nomine sese aheno principe coram sisteret, legationis jura sibi vindicans, documento dubio allato, quod tamen authenticum esse vehementer affirmaret: munus illud non posset felici successu tueri. Sed si documento insint authentiæ indicia haud dubia, vel vir alias fide dignus noscatur, quibus gaudeat juribus potest facile inde intelligi. Ita Ecclesiæ testimonium ex plurimis aliis capitibus fide dignissimum noscitur, et sacro codici præclara insunt divinæ, quam ei tribuit Ecclesia, inspirationis indicia. Jura igitur et auctoritas Ecclesiæ inde colliguntur, et innotescunt, aliis cæteroquin argumentis jam satis firmata. Profecto Augustinus hac nostra methodo usus est, nam Ecclesiæ Catholicæ auctoritate se adductum fuisse ut Evangelio fidem adhiberet profitetur, quam auctoritatem ex Scripturis sacris ipse se nosse alias dicit, quin tamen silentio pertranseat plurima alia momenta quibus commendabatur: "Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas."[1] "Ut hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, *(Manichæos alloquitur)* multa sunt alia quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis Christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiam si propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum se apertissime ostendat."[2]

C. I. DE ECCLESIA VISIBILI.

Christum a Vatibus sacris prædictum Mosaicam legem explicuisse, et ad perfectionem etiam ampliorem homines suis documentis impulisse, imo sublimiora quædam dogmata, arcana Dei, revelasse in confesso est. Eum Apostolis duodecim quos elegit demandasse munus ea quæ tradiderat, ipsis audientibus, aliis, etiam per universas gentes, annuntiandi, et baptizandi ritu eos qui crederent in suos discipulos adoptandi, apud plerosque constat. Imo vix diffitebitur qui Evangelium legerit promissiones magnificas discipulorum cœtui, qui Ecclesia dici consueverunt, factas. Ex quo autem

(1) Contra Epist. Manichæi quam vocant fundamenti c. v.
(2) Ibid. c. iv.

sæculo decimo sexto Ecclesiæ auctoritas in quaestione est posita, magno studio elaborarunt novarum opinionum patroni, ut quæ ad eam firmandam allegabantur testimonia ingeniose detorquerent. Placuit illis Ecclesiæ nomine fideles præsertim intelligere, quos justos habuit Lutherus, electos et prædestinatos Calvinus, sua de fide justificante unusquisque innixus sententia. Visibilem Ecclesiam agnoscere visus est Calvinus: "in ejus sinum aggregari vult Deus filios suos, non modo ut ejus opera et ministerio alantur, quamdiu infantes sunt ac pueri, sed cura etiam materna regantur donec adolescant, ac tandem perveniant ad fidei metam. Hæc enim quæ Deus conjunxit separari fas non est (Marc. 10. 9,) ut quibus ipse est Pater, Ecclesia etiam mater sit: neque id sub lege modo sed etiam post Christi adventum (Gal. 4. 26,) qui novæ et cælestis Hierosolymæ nos esse filios docet." His verbis alia plena dolo adjicit, ut sit effugium: "In symbolo ubi profitemur nos credere Ecclesiam, id non solum ad visibilem, de qua nunc agimus, refertur, sed ad omnes quoque electos Dei, in quorum numero comprehenduntur etiam qui morte defuncti sunt. Ideo et credendi verbum ponitur. * * Sed quia exiguus numerus et contemptibilis latet sub ingenti turba, et grana tritici pauca teguntur paleæ congerie, soli Deo permittenda est cognitio suæ ecclesiæ, cujus fundamentum est arcana illius electio."[1] Ecclesiam tamen visibilem utcumque Sectarii plerique agnoscunt;[2] sed vocis ambiguitate utuntur ut Evangelicis de ea testimoniis haud penitus obruti videantur. Dolum hunc in ipsa Augustana Confessione haud dissimulat Jo. Georgius Walchius, Lutheranus licet Theologus: "Ita enim de Ecclesia loquuntur, ut non satis accurate discrimen inter Ecclesiam visibilem atque invisibilem observatum fuisse facile quis credere possit. Sed tamen et hoc dubium ita comparatum est ut illud commode tolli, ac res ipsa secundum sententiam confessorum plana fieri queat."[3] In Confessione fidei quæ Westmonasteriensis audit, invisibilis et visibilis Ecclesiæ discrimen manifesto statuitur; haec constare dicitur ex omnibus per orbem qui veram Religionem profitentur, una cum eorum filiis, cui etiam ministerium, oracula, et instituta divina a Christo tradita affirmantur quem præsentem ea ad electorum salutem efficacia suo spiritu facere docent.[4] Ita etiam Presbyteriani nostrates. Baptistæ ea fere tradunt de in-

(1) Calv. Instit. l. 4. c. 1.

(2) Art. xix. Anglicanorum. Sic etiam Methodistæ iisdem verbis Art. xiii.

(3) Introductio in libros Ecclesiæ Lutheranæ Symbolicos, Jenæ 1732, p. 279.

(4) The visible church of God, which is also Catholic or universal under the Gospel, (not confined to one nation, as before under the law,) consists of all those throughout the world that profess the true religion, together with their children; and is the kingdom of the Lord Jesus Christ, the house and family of God, out of which there is no ordinary possibility of salvation. Unto this Catholic visible church Christ hath given the ministry, oracles and ordinances of God, for the gathering and perfecting of the saints in this life, to the end of the world; and doth by his own presence and spirit, ac-

visibili Ecclesia: sed vago quodam modo de visibili loquuntur, dicentes omnes per orbem, fidem Evangelii profitentes, quin eam erroribus fundamentum subvertentibus, aut vitæ iniquitate perdant, esse vocarique posse "*visibiles sanctos*," ex quibus singuli cætus constituendi sint.[1]

PROPOSITIO.

Ecclesia, de qua in Christi promissionibus agitur, est visibilis; scilicet, cætus fidem profitentium sub rectoribus suam a Christo auctoritatem derivantibus.

Prob. Quum Simon Christum Dei Filium agnovisset, id divinæ revelationi tribuit Christus, eumque petram appellavit, adjungens: "Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam."[2] His etiam promissionem de Petro dandis regni cælestis clavibus ut quæ solveret, vel ligaret in terris, soluta, vel ligata in cœlis haberentur, adjecit. Eo loci sermonem fieri de hominum conventu, non de singulis electis, vel justis soli Deo notis, patet ex voce ipsa, nam εκκλησια quam Matthæi interpres adhibuit, apud Græcos conventum cætumve significat, quapropter "in legitima ecclesia" dissidii causam Ephesinus scriba proposuit absolvendam.[3] Vocis obvia significatio maxime ex sermonis contextu firmatur, quum enim similitudinem ab ædificio supra petram erecto mutuetur Christus, Simone qui divinitus revelatam fidem professus est petra designato, qui super eum ædificandi sunt, lapides veluti vivi, fidem illius instar, professuri merito æstimantur. Ipsi autem Simoni Petro, clavium symbolo, ligandi et solvendi potestas, auctoritas scilicet maxima in Ecclesia promittitur exercenda. De eo igitur cætu visibili agitur, in quo hæc auctoritas exercetur, et quem proinde regit.

Eadem vocis significatio passim occurrit in Novo Testamento, consueverunt quippe fideles cujuslibet loci Ecclesiæ nomine appellari,[4] sed sensu ampliori *meam Ecclesiam* appellat Christus omnes quotquot in eum credituri forent, fidemque divinam professuri, Petro clavium potestatem exercente. Christus de pertinaci homine loquens, jubet ut tandem Ecclesiæ denuntietur: "Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus."[5] Liquet de tribunali quodam hic agi, quod et ipse statim explicat, Apostolos compellans: "Amen, dico vobis: quæ-

cording to his promise, make them effectual thereto." Westminster Confession of Faith ch. 25. § 2. 3. Eadem occurrunt in Confessione fidei a Presbyterianis edita in his provinciis.

(1) Baptist Confession of Faith, ch. 27, "are and may be called visible Saints."

(2) Mat. 16. 17.

(3) Act. 19, 39.—קָהָל quod apud Hebræos colentium Deum cætum significat, a Septuaginta interpretibus εκκλησια redditur. Deut. 9. 10. 18. 16.

(4) "Ecclesia quæ erat Jerosolymis." Act. viii. 1.

(5) Mat. 18. 17.

cumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo." Ecclesiæ igitur nomine eo loci præsules fidelium conventus designantur, qui pertinaces monitionibus flectant, vel a fidelium consortio amoveant. Pro delicti ratione Ecclesiæ *localis*, vel Universalis Antistiti denuntiatio est facienda. Apostolus Ecclesiæ voce pro fidelium cætu etiam utitur: "Attendite vobis," inquit alloquens presbyteros Epheso accersitos, "et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo."[1] Priori Christi testimonio fidelium rectores præsertim intelliguntur: hoc Apostoli loco præcipue fideles: sed utroque visibilis Ecclesia, non ignoti quidam justi.

Sic ad Timotheum scribens Paulus ait: "Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis."[2] Hic plane designatur cætus externus qui veritatem divinam prædicat et tuetur, et in quo versabatur Timotheus præsulis munere fungens.

Ipsa Ecclesiæ notio ex verbis Christi Apostolos alloquentis habetur: "Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt."[3] Apostoli ideo dicuntur lux mundi, quod in Ecclesia, tamquam in civitate in monte altissimo ædificata, luminaria sint, radios suos undequaque emittentia. Ita quidem vaticinati fuerant Hebræorum prophetæ: "In novissimo dierum erit mons domus Domini, præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi."[4]

De Ecclesia scriptores veteres, quos, ob venerandam antiquitatem, Patres vocare consuevimus, ita constanter locuti sunt, ut cætum visibilem, imo omnibus præ-eminentem designarent. S. Clemens Romanus, quem cum honore nominat Paulus, ad Corinthios scribens, ait: "Propter æmulationem atque invidiam, qui Ecclesiæ erant fideles ac justissimæ columnæ, etiam usque ad mortem passi sunt persecutionem."[5] Ecclesia hic pro cætu fidelium manifestò sumitur, columnæ autem Petrus et Paulus, quos laudare pergit, designantur. S. Ignatius passim Ecclesiam pro fidelibus alicujus regionis, Episcopo iis præsidente, usurpat; nonnumquam pro integro fidelium ubique cætu, laudat enim Ephesios cum suo Episcopo "conjunctos sic uti Ecclesia Jesu Christo:" et consortii cum Episcopo in sacrificio necessitatem sic urget: "Nemo erret: nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires

(1) Act. 20. 28.
(2) 1 Tim. 3. 14.
(3) Matt. 5. 14.
(4) Michææ 4. 1.
(5) § 1.
(6) Ep. ad. Ephes. § v.

habet; quanto magis illa quæ Episcopi est et totius Ecclesiæ?"[1] Recenset quoque Hierarchiæ gradus, quibus necessario constat Ecclesia: "Cuncti similiter revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi: et Episcopum, ut eum qui est figura Patris: Presbyteros autem ut consessum Dei, et ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur."[2] Ad Philadelphienses scribit: "Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo. Quotquot autem pœnitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et isti Dei erunt."[3] Ad Smyrnenses scribens fructum Christi mortis laudat: "ex quo fructu nos sumus, per divine beatam passionem ejus; ut elevet signum in sæcula, per resurrectionem sanctis et fidelibus suis, sive in Judæis, sive in Gentibus, in uno corpore Ecclesiæ suæ."[4] "Ubi comparuerit Episcopus ibi et multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia."[5]

In re adeo manifesta tot testimonia superflua videri possunt: cæterum magni est momenti demonstrasse invisibilis Ecclesiæ notionem quatenus a novatoribus exhibetur, Apostolico ævo non innotuisse, sed Ecclesiæ nomine cœtum publicum designatum. Nihil igitur novi tradidit S. Cyprianus, ante medium tertium sæculum, scribens in responsionem Petri Christo interroganti, numquid abire vellent Apostoli: "Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens et ostendens, quia etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica et una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata."[6]

Obj. 1. Apostolus Ecclesiam prædicat a Christo dilectam, non habentem maculam, neque rugam, sed gloriosam.[7] Christus autem non potest diligere peccatorum cœtum, tot flagitiis inquinatum. Ergo Ecclesia quam diligit est justorum et electorum numerus, qui ipsi soli patet.

Resp. Utique a Christo Ecclesia sponsa sua dilecta est, quæ omni caret nævo, ipsa quippe doctrinam sanctam tradit, sanctaque administrat sacramenta. Plurimos tamen habet filios, qui suis monitis haud obtemperantes in varia ruunt flagitia. Hos non amplectitur Christus ea dilectione qua justos: sed eos patienter in corpore suo, quod est Ecclesia, sustinet, subsidia præbens quibus convertantur et salvi fiant, ni velint pertinaces in semita vitiorum perseverare. Diligit Christus Ecclesiam ex bo-

(1) Ep. ad Ephes. § v.
(2) Trall. § 3.
(3) Phil. § 3.
(4) Ad Smyrn. § 1.
(5) Ib. § 8.
(6) S. Cypr. Ep. 69, ad Florent. Pupian.
(7) Ephes. 5, 25.

nitate sua et misericordia, nulla habita operum nostrorum ratione, et baptismo lavat scelera, et pœnitentia vulnera sanat, et suorum ministrorum utitur opera, ut paretur sibi in cœlis Ecclesia gloriosa, nulla suorum membrorum infirmitate deformis. Sic Catholici præsules, inter quos Augustinus, Donatistis responderunt "eandem ipsam unam et sanctam Ecclesiam, nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram."[1]

Obj. 2. Apostolus electorum cœtum nomine Ecclesiæ manifesto designat: "Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis."[2]

Resp. Vocis significatio eo loci satis constat ex iis quæ sequuntur, sicut et quæ præcedunt; nec ideo eodem sensu ubique explicanda est, quum cæteris fere omnibus locis Ecclesiam in terris peregrinantem, quæ justos et peccatores suo gremio complectitur, designet. De triumphante Ecclesia et nos consuevimus loqui, ad eam corda fidelium spe et affectu ut elevemus, nec tamen ideo ambigua evadit vox de Ecclesia quæ in terris est plerumque adhibita.

Obj. 3. Christus de Ecclesia, sub ovilis figura, loquitur, oves autem electos plane intelligit, ait enim: "ego vitam æternam do eis: et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea."[3]

Resp. Objecta verba non eadem occasione prolata sunt qua de ovili loquutus est Christus.[4] Cæterum iis suam potentiam, et benefica erga sibi credentes consilia declarat; respondit scilicet Judæis interrogantibus utrum esset ipse Christus, iisque exprobrat quod ipsi non crederent, adjungens se ovibus suis, scilicet sibi credentibus, vitam æternam largiturum, quas etsi contigerit ex persecutorum furore morte violenta rapi, in æternum non perituras dicit, nec enim ullius potentia eas ab ipso divellere valeret. "Illorum Dominus redarguit temeritatem, qui sibi mortis laqueos tetenderant. Stultissime enim de ejus nece cogitabant, cum non solum in ipsum nihil possent agere, si nollet, verum etiam neminem de suis valerent auferre."[4] Ita S. Cyrillus Alexandrinus. Si placeat de electis intelligere Christum loqui, non repugnamus, nec enim obstat latiori vocis alio in loco significationi: "Qui igitur post perceptam gratiam, de numero ovium Christi pereunt, hi certe in Dei oculis oves non sunt."[4]

Obj. 4. Jer. 31, 33. "Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam." Luc. 17, 20: "Regnum Dei non venit cum observatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est." Joan. 4. "Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate." Hebr. 12, 18: 1 Pet. 2: "Ipsi tamquam lapides vivi

(1) Aug. brev. coll. cum Donatist. 3 die n. 20.
(2) Heb. xii. 22.
(3) Joan. x. 28.
(4) L. vii. in Joan. Ev. c. x.

superædificamini, domus spiritualis." Mat. 13, 44: "Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro."

Resp. Ex nullo objectorum testimoniorum colligi potest Ecclesiam non esse visibilem. Jeremias quidem de Ecclesia non loquitur; sed de testamento novo seu lege, quæ a veteri distinguitur, in lapidibus inscripta, et terroribus maxime inculcata; quum nova lex scripto non fuerit a Christo mandata, sed ore ipsius et Apostolorum promulgata, gratiis uberioribus eam comitantibus, et corda fidelium penetrantibus, ut fide affectuque intimo ei adhærerent. (Vide et Heb. 10, 16.) Christus regni Dei nomine suum intellexit adventum, eum quippe interrogaverant Pharisæi: "quando venit regnum Dei?" (v. 20;) quos, ut abduceret a præjudicata sententia, de terreno Messiæ principatu, monuit, pompam illam quam expectabant Messiam advenientem non comitari, sed eum jam adesse, in cordibus per gratiam regnaturum. Quod autem dixit veros adoratores spiritu et veritate adoraturos verissimum est, nec efficit Ecclesiam invisibilem; omnes enim qui cultum præstant ab Ecclesia præscriptum spiritu et veritate adorant, quatenus victimis sanguineis postpositis, fide edocti verum et sublinem cultum Deo exhibent; ii verò præ cæteris, spiritu et veritate adorant, qui puriori animi affectu externa Religionis Christianæ officia obeunt; quos tamen solos constituere Ecclesiam Christus non innuit. S. Petrus fideles, lapidum vivorum instar, domum spiritualem constituere dicit, comparatione utens ab ædificio desumpta; fideles autem lapides vivi, utpote homines, non saxa, vocantur.[1] Profecto ii omnes quos, absque justorum peccatorumve discrimine alloquebatur eo loci Apostolus, Societatem facile omnibus conspiciendam constituebant. Quod ad aliam comparationem a Christo ipso institutam inter regnum cælorum et latentem thesaurum, liquet gratiam divinam hac similitudine indicari: si tamen ad ipsam Ecclesiam eam referre placeat, recte dicitur *thesaurus* ob maxima quibus dotatur privilegia; *absconditus* autem, eo quod infideles ejus virtutem ignorent, qua tamen detecta, cæterorum omnium detrimento eum sibi, amplectendo fidem, comparant: "quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum."

Obj. 5. Ecclesiæ membra in Scripturis membra Christi, qui caput est super omnem Ecclesiam, dicuntur, ipsi arctissime conjuncta: "ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis."[2] Horret autem animus eam impiorum cum Christo intimam conjunctionem cogitare.

Resp. Utique membra sunt Christi quicumque ad Ecclesiam pertinent, et quodcumque habent fidei, vel vitæ spiritualis principium, ab ipso derivant, quod loco objecto tradit Apostolus. Nec horret animus peccatores membra Christi habere lato quodam sensu, quatenus ad Ecclesiam pertinent, quæ corpus ejus mysticum vocatur; nec enim strictiori sensu ejus membra sunt,

(1) Vide Cornel. a Lapide et Bloomfield in loc.
(2) Eph. 4. 16.

nisi qui Spiritum ejus habent. Ideo sumpsit inde occasionem Apostolus ut fideles a fornicationis vitio deterreret: "Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit."[1]

Obj. 6. Ipsi Catholici animam a corpore Ecclesiæ consueverunt distinguere, justos ad eam pertinere affirmantes, quum peccatores sint in corpore: justorum autem et electorum causa omnia Ecclesiae privilegia data esse nemo negaverit.

Resp. Ea Theologorum distinctio Ecclesiæ visibili non obstat, quum ea tantum significetur peccatores non esse Deo gratos, nec vita frui gratiæ, etsi membra sint Ecclesiæ. Agnoscimus quidem privilegia Ecclesiæ concessa in justorum et electorum salutem maxime dirigi; sed justis et electis tantummodo non sunt concessa: ministerium quippe et magisterium instituit Christus in Ecclesia, cui se adfuturum promisit, ut verbi prædicatione et Sacramentorum dispensatione gloriosam sibi in ævum Ecclesiam compararet.[2]

Obj. 7. Articulus Symboli supponit Ecclesiam non videri, sed credi, "in quam nos esse insitos vere simus persuasi."[3]

Resp. Et videtur et creditur Ecclesia. Videtur societas hominum: creditur divinitus instituta, divina in docendo prædita auctoritate, et ad mundi usque finem permansura.[4] De nostra autem electione silet Symbolum, sicut et de electorum cætu, quamvis hi procul dubio ad Ecclesiam pertineant, quæ alias reti adsimilatur, quo piscium pleno, et ad littus attracto, eliguntur boni, projectis malis.

C. II. DE PERPETUITATE ECCLESIÆ VISIBILIS.

Non adeo repugnant Novatores Ecclesiæ visibili ut eam olim extitisse et etiamnum existere diffiteantur: sed quum ea urgeantur quæstione, ubinam fuerint eorum Sectæ tot sæcula a Christo ad sæculum usque decimum sextum, nec facile possint successionem per sectas alias antiquiores suis derivare, confugiunt ad Ecclesiæ invisibilis figmentum; et audacter affirmant ubique grassante idololatria, et corrupta Ecclesia visibili, latuisse veros Dei famulos, justos et electos, quos sua gratia illustravit suosque fecit Deus, "Sic," inquiebat Calvinus, "anteactis sæculis Dominus hominum ingra-

(1) 1 Cor. vi. 15.

(2) Ephes. 4. 11. et. 5. 25.

(3) Calvin. l. iv. Inst. c. 1. Heidelberg. Ca'ech. etiam Ecclesiam electorum a Deo colligi tradit: "of which I believe I am, and always shall remain a living member."

(4) Vide Pearson on the Creed, art. ix. "This indeed is a proper object of faith, because it is grounded only upon the promise of God."

titudinem ultus est: nam quia veritati suæ obedire noluerant, et lucem suam extinxerant, eos excæcatos sensu; et absurdis mendaciis ludi, et altis tenebris immergi passus est, ut nulla veræ Ecclesiæ facies extaret: interim tamen suos, et dispersos, et delitescentes in mediis erroribus et tenebris ab 'exitio servavit.'[1] Anglicani etiam in suis homiliis orbem Christianum per plura sæcula idololatria obrutum tradunt; sed insigniores eorum scriptores Ecclesiam non posse deficere docent.[2] Presbyteriani, tum in Westmonasteriensi confessione, tum in ea quam in fœderata America adoptarunt, perpetuam Ecclesiæ visibilitatem videntur agnoscere, eam tamen aliquando minus conspicuam se præbere affirmantes.[3] Baptistæ dicunt Christum semper habuisse, semperque habiturum in terris regnum iis constans qui in eum credunt, et professione sui nominis distinguntur.[4] Methodistæ, Anglicanorum articulum retinentes, non satis suam mentem hac de re patefaciunt.[5]

PROPOSITIO.

Ecclesia visibilis nunquam a Christi tempore defecit, numquam defectura est.

Prob. Ex præclaris illis Christi verbis: "super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prevalebunt adversus eam." De Ecclesia visibili sermonem hic fieri jam vidimus, cujus perpetuam durationem verbis clarioribus exprimere vix Christus ipse potuit. Πύλαι ἅδου recte explicantur a Rosenmüeller "tartareæ potestates, consultationes et molimina diabolorum, et hostium Ecclesia. Nam שַׁעַר cui πύλη respondet, notat ejusmodi portam, ubi habetur judicium, vel imperium, aulam principis, dominandi potestatem. * * * * ἅδης autem שְׁאוֹל inferi est

(1) Præf. Inst. ad Regem Galliæ.

(2) "This is that church, which being built upon the foundations of the Apostles, among whom Peter was a rock, or one firm foundation stone, and Jesus Christ himself the chief corner stone; is by their disciples and followers propagated through all generations, unto the end of the world: Christ having promised to be always with it and protect it, that the gates of hell, that is persecution, and even death itself should not be able to prevail against it." Exposition of the Church Catechism, by Samuel Clark.

"When Christ spake first to Peter, he sealed his speech with a powerful promise of perpetuity, saying: 'Thou art Peter, and upon this rock I will build my church, and the gates of hell shall not prevail against it.'" *Pearson on the Creed*, art. 9, p. 515.

"The constant visibility of the church is promised, thus: 'I will be with you always, even to the end of the world,' and 'the gates of hell shall not prevail against the church.'" Analysis of Burnet's Exposition, by Newland, p. 290.

(3) "This Catholic church hath been sometimes more, sometimes less visible. * * * Nevertheless there shall always be a church on earth to worship God according to his will." Westminster Confession, ch. 25. § 4. 5. Citant Mat. xvi. 18.

(4) "Christ always hath had, and ever shall have a kingdom in this world, to the end thereof, of such as believe in him, and make profession of his name." Bapt. Confess. ch. 27. § 3.

(5) Methodist Confession of Faith. art. xiii.

orcus, tartara, tota umbrarum respublica * * * * Facile perspicitur Christum his verbis * * * ecclesiæ suæ polliceri securitatem ab interitu."[1] Ipse Calvinus ea sic explicat: "contra omnem satanæ potentiam invicta stabit Ecclesiæ firmitas."[2]

Accedit specialis Apostolis facta promissio, Christum iis docentibus et baptizantibus semper adfuturum. "Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti * * * * et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi."[3] Ecclesia visibilis ea certe est in qua Apostolicum docendi et baptizandi munus exercetur: Christus autem Apostolis verbis amplissimis se semper adfuturum in illo munere pollicitus est: Ergo Ecclesia in qua illud munus exercetur semper durabit.

Consonant vaticinia, inter quæ illud Danielis: "In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur."[4]

Id vetustis scriptoribus semper fuit persuasum. Unum laudabimus Hieronymum: "Super petram fundata Ecclesia, nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertitur."[5]

Obj. Ecclesia visibilis sœpe defecit: 1° Ada et Eva peccantibus. 2° Tempore diluvii. 3° Israelitico populo cum Aarone vitulum adorante. 4° Tempore Eliæ, qui nonnisi Deo revelante didicit alios præter se superesse veri Dei cultores. 5° Tempore Manassis, quando publicus cultus abolitus est. 6° Tempore Concilii Ariminensis, de quo scribit Hieronymus: "ingemuit totus orbis, et se Arianum esse miratus est."[6]

Resp. Quum de Ecclesia a Christo fundata agatur, quinque priora exempla ad rem non pertinent. Cæterum non constat societatem Dei veri cultorum unquam etiam ante Christum natum penitus defecisse. Quod ad Adæ et Evæ lapsum spectat, a debita Deo obedientia se subduxerunt, amplioris scientiæ vana cupidine; nec tamen fidem cultumque veri numinis abjecerunt. Homines etiam ante diluvium, paucis exceptis, vitiis indulgebant, quin a vero cultu deficerent; nullo enim certo documento ostenditur idolorum cultum diluvium antecessisse. Non omnes Israelitæ adorati vituli scelere obstricti videntur, dicente enim Moyse: "Si quis est Domini, jungatur mihi," "congregati sunt ad eum omnes filii Levi;[7] quos propterea, acerrimos criminis vindices, eidem reatui obnoxios non licet suspicari. Animadvertendum etiam Aaronem nondum Sacerdotio fuisse insignitum;[8] et Moysen tunc verum fuisse Judaici populi caput. Cæterum si quis mordicus contendat omnes prædictos a fide defecisse, ipsam invisibilem Ecclesiam, seu piorum numerum, evertet. Eliæ tempore maxime conspicuus

(1) Rosenmüeller in loc.
(2) Calv. Comm. in Matth, in loc.
(3) Matt. 28, 18.
(4) Dan. 2, 44.
(5) Comm. in c. 4, Isaiæ.
(6) Dial. contra Luciferianos.
(7) Exod. xxxii. 26.
(8) Exod. xl.

fuit Deum colentium cœtus, regnabant quippe Asa et Josaphat piissimi principes in Juda; nec verosimile est Eliam putasse se solum in ipso regno Israelitico jam superesse veri Dei cultorem, sed solum prophetam: "Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus."[1] "Ego remansi propheta Domini solus."[2] Cæterum ignorasse videtur tantum esse servorum Dei in Israelitico regno numerum: quum ipse tunc vagaretur huc illucque, ut vim persecutoris declinaret. Manasse regnante publicus cultus fuit quidem suspensus, idolis in templum inductis; sed plurimi, inter quos Isaias recensetur, impiis regis conatibus restiterunt. Quod de Ariminensi Concilio dicit Hieronymus ab ipso explicatur, dum narrat Patres Ariminenses, Valentis ac Ursacii iteratis declarationibus delusos, formulæ fidei, quæ, *consubstantialis* voce omissa, fidem tamen videbatur satis enunciare, subscripsisse: "Superficies expositionis nihil sacrilegum præferebat: sonabant verba pietatem, et inter tanta mella præconii nemo venenum insertum putabat: non erat cura Episcopis de vocabulo, cum fides esset in tuto."[3] Etsi autem adversariis concederetur 400 et amplius Patres, qui Arimini convenerant, Arianam perfidiam suis subscriptionibus confirmasse; falsò inferretur defecisse e terris visibilem, veramque Ecclesiam; numerantur enim a *Labbeo* mille sedes in Oriente, et 800 in Occidente, quibus 100 a Carolo a S. Paulo adjunguntur, juxta historica illius ætatis monumenta; et constat Ariminensia acta a Liberio Papa, cæterisque per orbem Catholicis Episcopis improbata. Ipsi etiam Ariminenses Patres, detecta Hæreticorum subdolis verbis venenum celantium fraude, statim reclamarunt: "Concurrebant Episcopi (inquit Hieronymus) "qui sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, inquiebant, sensum congruere cum verbis * * * multaque alia flentes asserebant."[4]

Obj. 2. Luc. 18, 8: "Veruntamen, Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?" et Apostolus diem judicii futurum non esse ait, "nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati—ita ut in templo Dei sedeat." 2 Thess. c. 2, v. 3, 4. De Ecclesia etiam dicit S. Joannes: "Mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta." Apoc. 12, 6.

Resp. "Christus fidei raritatem significat, non totalem interitum," ut animadvertit Theophylactus. Discessio autem a S. Hieronymo[5] explicatur defectio a Romano imperio; quod si placeat eo nomine defectionem a fide intelligere, eam magnam futuram, adveniente Antichristo, concedere non gravabimur, quin idcirco Ecclesia desinat esse conspicua, magna filiorum per orbem multitudine. De muliere fugiente in solitudinem, vix aliquid nisi hariolando possumus proferre, quum vaticinia illa adeo sint obscura; cæterum verosimile esse non negamus fideles plurimos in solitudinem se

(1) III. Reg. xix. 14.
(2) III. Reg. xviii. 22.
(3) Dial. contra Lucif.
(4) Ibidem.
(5) Epist. 151, ad Algasiam.

collaturos, ut Antichristum persequentem effugiant: manebunt tamen plurimi quorum aliquos ipse gladio percutiet; qui omnes Ecclesiam visibilem constituent. Certe eo ipso tempore fides vera palam prædicabitur: "dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta." Apoc. 11, 3.

Obj. 3. Scripturæ testimonia quibus perpetua Ecclesia duratio fulcitur, instar tot aliarum promissionum Synagogae, et templo, et Davidi factarum haberi possunt: proindeque conditione aliqua, qua nituntur, deficiente, suum non consequentur effectum.

Resp. Conditio illa frustra statuitur, silente Scriptura, et repugnante omnium sæculorum a Christo nato fide. Certe immane discrimen intercedit inter promissiones quæ Ecclesiam respiciunt, et alias in objectione indicatas; nam sacrificiorum Mosaicorum defectionem, et legis novæ promulgationem Deus alibi prædixerat;[1] quapropter quæ legis et Synagogæ perpetuam durationem polliceri videbantur, necessario debebant de diuturni temporis spatio intelligi: regiam etiam potestatem Davidis posteris promissam includere conditionem fidelitatis Deo servandæ facile quis poterat conjicere, quamvis vaticinium in Christo sublimi ratione adimpletum liceat etiam contemplari. Promissiones autem Ecclesiæ factæ non nituntur alicujus virtute, sed Dei erga hominum genus misericordia; nec ad privatorum utilitatem referuntur, sed ad divinam gloriam hominumque per omnia sæcula salutem, veritatum divinarum prædicatione; nec aliquo alio testimonio arctantur; sed per se amplissima, clarissima omnium sæculorum deinceps fide, rerumque eventu, nulla niti conditione, nullo limite arctari demonstrantur.

C. III. DE ECCLESIÆ UNITATE.

Sunt inter Protestantes plurimi nobiscum concordes in Ecclesiæ visibilis perpetua duratione tuenda, qui tamen eam singulas fere Christianas sectas complecti contendentes, eam dum tuentur destruunt. Totius systematis vitium in eo latet quod eos qui præcipua quaedam fidei dogmata profitentur, et baptismo et eucharistia utuntur, quadam etiam regiminis forma servata, Ecclesiam constituere plerique censeant, et Universalem Ecclesiam his veluti membris, nullo licet inter plerasque communionis existente vinculo, constare. "Ubicumque enim," inquit Calvinus, "Dei verbum sincere prædicari atque audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic *aliquam* esse Dei ecclesiam nullo modo ambigendum est."[2] Principium illud adoptasse visi sunt Anglicani apposita clausula, qua quæ necessario ex Christi instituto ad Sacramentorum pertinent administra-

(1) Dan. ix. Jer. xxxi.
(2) Calvin. Instit. l. iv. c. 1. § 10.

tionem, in Ecclesia exiguntur.[1] Liquet eos pro certo habere singulos homines, ex Scripturis, vel divino certe lumine, nosse valere quae sit Christi doctrina, et legitimus Sacramentorum usus, et hac ratione ad discernendam Ecclesiam adjuvari, quum tamen hoc opus, hic labor sit. Cæterum eorum errorem de illo consensu in quibusdam præcipuis dogmatibus, qui ad unitatem illis sufficere videtur, refellere imprimis oportet, unitatem fidei omnia dogmata complecti demonstrando. Præmonendum duximus eos sæpius vocibus uti specie Catholicis. Sic Calvinus ipse dicit: "Ecclesiam universalem esse collectam ex quibuscumque gentibus multitudinem, quæ intervallis locorum dissita et dispersa, in unam tamen divinæ doctrinæ veritatem consentit, et ejusdem religionis vinculo colligata est."[2] Catechismus Heidelbergensis, qui in Ecclesiis Reformatis, uti dicuntur, adhibetur, dicit Deum colligere ex toto humano genere Ecclesiam ad vitam æternam electam, in vera fide concordem.[3] Sic Pearson dicit Ecclesiam unam esse, quia membra omnia in unam fidem conveniunt.[4] Hæc autem de fundamentalibus dogmatibus intelligunt, nec tamen clare definiunt quæ sint. Exemplum ponit Burneti abbreviator, Christum pro peccatoribus mortuum esse: quod tamen vaga illa ratione Socinianus vix gravaretur fateri.[5] Christum autem sexta hora diei mortuum esse dogma non fundamentale dicit, quia etsi tradatur in Scripturis, posset absque culpa vel salutis dispendio ignorari. Eandem sententiam Presbyterianis, Baptistis, Methodistis, aliisque communem esse ex iis quæ jam recitavimus testimoniis satis colligitur.

PROPOSITIO.

Ecclesiæ Unitas omnem dogmatum varietatem excludit.

Prob. Apostolus ad Ephesios scribens, eos hortatur ut sint "soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides,

(1) "The visible church of Christ is a congregation of faithful men, in the which the pure word of God is preached, and the Sacraments be duly administered according to Christ's ordinance in all those things that of necessity are requisite to the same." Art. xix. "It means no more, than that there are divers churches throughout the world, constituting one general church, united in all the essential articles of the christian faith. * * She impliedly disclaims communion with all those churches which obtrude doctrines striking at the fundamental principles of christianity." White diss. II. of the Catholic church.

(2) Calvin. l. iv. Inst. c. 1. § 9.

(3) "Agreeing in the true faith." p. 7.

(4) "The church is therefore one, though the members be many, because they all agree in one faith. There is one Lord, and one Father, and that faith once delivered to the Saints, which whosoever shall receive, embrace, and profess, must necessarily be accounted one in reference to that profession." Pearson on the Creed, p. 511.

(5) Analysis p. 283.

unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium."[1] De Christo ad Patrem ascendente dicit: "ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris."[2] Fidei igitur unitas, instar Dei unitatis, non admittit divisionem, sed omnem tollit varietatem, ita ut haud amplius circumferamur omni vento doctrinæ, nec simus parvuli fluctuantes. Jam verò liquet hanc constare non posse cum dogmatum quorumcumque discordia. Id colligere est quoque ex eo quod ad Corinthios scribit: "Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia."[3] Hanc sententiarum concordiam, omni evitato schismate, referri ad contentiones de suis in fide magistris liquet ex versiculo sequenti: sed eo vehementius contentiones hujusmodi evitandas censuit Apostolus, quod schismatis et erroris contra fidem periculo non vacarent; uti ex duabus quas scripsit ad Corinthios epistolas perspici potest. Constat igitur sententiarum concordiam et unitatem exigi, quam, Jesu Christi nomine solemniter invocato, inculcat.

Ad Timotheum episcopum scribens, hortatur eum ut bonam militiam militet: "habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare."[4] Altera epistola errorem quo irretitus est Hymenæus designat: "Sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes rssurrectionem jam esse factam, et subverterunt quorumdam fidem."[5] Error igitur respiciebat resurrectionem mortuorum futuram, quam denegarunt Hymenæus aliique, unicam resurrectionem agnoscentes, spiritualem scilicet quæ jam baptismo est facta. Hic error Deum, vel Salvatorem directe non respexit, et proinde vix posset *essentialibus* seu *fundamentalibus* dogmatibus, juxta Protestantium placita, accenseri. Attamen fidei salutisque dispendium attulisse ex Apostoli verbis omnino constat.

De hæreticis omnibus, nullo facto discrimine, scribit Paulus ad Titum episcopum Cretensem: "hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita: sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus." Liquet hæreticum quemque, scilicet, juxta vim vocis, suos sensus anteponentem Ecclesiæ doctrinæ, devitandum esse a præsulibus Ecclesiæ, seu eliminandum, et omni

(1) Eph. iv. 3.
(2) Ib. v. 11. et seq.
(3) I. Cor. 1. 10.
(4) I Tim. 1. 19.
(5) II. Tim. iii. 17.
(6) Tit. III. 10.

communionis jure privandum, utpote pertinacem et perditum hominem. Jam verò si de præcipuis tantum dogmatibus exigeretur omnium consensus, loco sententiarum divortio de rebus aliis relicto, non foret ulla ratio quare sua placita sectantem præsules vitarent, vel Apostolus condemnaret.

2d. *Probatur eadem veritas ex scriptoribus vetustissimis* qui Ecclesiæ unitatem et summam fidei concordiam in omnibus dogmatibus prædicarunt. Irenæus scribens adversus hæreses ait: "Hanc prædicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter hæc prædicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ, sed sicut sol creatura Dei in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, prædicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valde prævalet in sermone, ex iis qui præsunt Ecclesiis, alia quam hæc sunt dicet: nemo enim super magistrum est; neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere ampliat, neque is qui minus, deminorat."[1]

Clemens Alexandrinus unitatem Ecclesiæ alte prædicat. Hæreses refellens dicit: "Ex iis quæ dicta sunt manifestum esse existimo unam esse veram Ecclesiam, eam quæ vere est antiqua, in cujus catalogum referuntur ii qui sunt justi ex proposito. Nam cum unus sit Deus, et unus Dominus, propterea id etiam quod est summe venerabile, et ex eo quod sit unicum laudatur, ut quod sit imitatio principii quod est unum. In unius ergo naturæ sortem coopulatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et essentia ergo et opinione, et principio, et excellentia, solam esse dicimus, antiquam et Catholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei quæ est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento quod est unum diversis temporibus, in quibus Dei voluntate per unum Dominum congregat eos qui sunt jam ordinati, quos prædestinavit Deus, cum eos justos futuros cognovisset ante mundi constitutionem. Cæterum Ecclesiæ quoque eminentia, sicut principium constructionis est ex unitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile vel æquale."[2]

(1) S. Irenæus adv. hær. l. 1. p. iii. c. 53, ed. Col. Agr. 15 6. Illud jam recitavimus dum de propagatione fidei ageretur, p. 104.

(2) Clem. Alex. l. 7. Stromatum p. 539. τη γȣν τȣ ἑνος φυσει συγκληρȣται Εκκλησια η μα, ἡν ȣις πολλας κατατεμνειν βιαζονται αιρεσεις.

Hæc profecto unitas, quæ Dei imitatio est, omnem dogmatum discordiam necessario excludit.

Unum addam Cyprianum, qui diaboli, idololatriæ eversione devicti, depingit astutiam, in libro celeberrimo quod de unitate Ecclesiæ scripsit: "Hæreses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit et decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines; et dum sibi appropinquasse jam lumini, atque evasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursum infundit, ut cum evangelio Christi, et cum observatione ejus, et lege non stantes, christianos se vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos subornat, velut ministros justitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verosimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur."[1] Quum hæreses omnes subvertere fidem, rapere de Ecclesia homines, Cyprianus tradat, unitatem Ecclesiae concordiam omnium memborum in omnibus dogmatibus exigere manifestum est. De mente ejus dubitare non poterit qui totum perlegerit opus, pergit scilicet hæreseon causas et remedia ostendere, et qua ratione Christus unitati Ecclesiæ primatum Petro dando consuluerit. De Episcopatus unitate quum dixisset, subjungit: "Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput est, et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa."[2] Pulchrior vel accuratior imago fidei unitatis dari nequit lumine solis ubique radios suos diffundentis. Sub finem libri dicit: "Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata." Distinctio illa fundamentalium dogmatum ab aliis quæ quis negare posset absque unitatis detrimento plane ignota fuit insigni huic Scriptori.

3. *Probatur ex constanti per omnia sæcula tribunalium Ecclesiæ praxi.* Omnes quotquot adinventæ sunt opiniones Ecclesiæ doctrinæ

(1) S. Cyprian l. de Unit. Eccl. sub initium.
(2) Cyprian. Ibidem.

adversæ nullo facto discrimine, quolibet sæculo damnatæ sunt in Episcoporum conventibus, et earum auctores anathemate percussi, jura omnia sacræ communionis amiserunt. Sic Novatiani quædam peccata ab Ecclesia remitti, et Donatistæ Sacramenta a malis confici posse negantes, extorres ab ejus communione facti sunt. In primo concilio Constantinopolitano decretum est ex hæresi aliqua redeuntes anathematizare debere omnem hæresim quæ non sentit, ut sentit sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia.[1] Jam vero si Ecclesiae unitas cum sententiarum discordia de dogmate aliquo stare posset, injuria homines communionis juribus sunt privati, qui opiniones dogmatibus adversas tueri pergebant. Igitur tota Christiana antiquitas damnanda erit, ut novitio de unitate in essentialibus systemati detur locus.

4. *Probatur ex consectariis contrariæ sententiæ.* Dogmatum discordia Ecclesiam regno in se diviso assimilaret, quod desolationi et ruinæ certæ objiceretur: nam "omne regnum in se ipsum divisum desolabitur:"[2] quum Christus e contra precatus sit patrem ut discipuli in unum fidei vinculo conjuncti unum fierent sicut ipse et pater unum sunt.[3] Incerta necessario rederetur tota revelatio Christiana, nam nulla certa regula fundamentalia a non fundamentalibus discerni possunt.[4] Injuria fieret Deo qui aliqua revelasse diceretur adeo obscure ut certo innotescere non possent, vel minoris momenti quæ quis ignorare vel rejicere absque animæ detrimento facile posset. Tolleretur splendidissimum argumentum quo suam a Patre missionem probari voluit Christus, et infidelium irrisui religio exhiberetur, cujus præcones inter se de dogmatibus revelatis disceptarent. "Non pro eis tantum rogo," inquiebat Christus de Apostolis ad Patrem post ultimam cænam orans, "sed et pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.[5]

Obj. 1. Apostolus errores, qui fundamento superstruuntur, assimilat ligno, stipulæ et fœno, quibus incendio consumptis, vitæ scilicet ærumnis ignis instar, salvi fient homines qui eos foverint. 1 Cor. III. 10. Ergo errores hujusmodi ab Ecclesiæ universalis consortio non divellunt.

(1) ἀναθεματίζοντας πασαν αἱρεσιν μὴ φρονουσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τε θεε καθολικὴ και ἀποστολικὴ ἐκκλησια. Can. vii. col. 812, tom. I.

(2) Luc. xi. 17.

(3) Joan. xvii. 21.

(4) In analysi sæpius citata sic obscure de distinctione illa fit sermo: "There are some articles in religion without which a man cannot be esteemed a true Christian, nor a church a true church. But there are others, which all men are doubtless bound to believe, because they are revealed in Scripture; still they are not of such a nature that the ignorance of them can exclude from salvation." Burnet Analysis, p. 284.

(5) Joan. xvii. 21.

Resp. De erroribus adversus fidem non agitur, sed de vanis hominum circa fidei magistros studiis. Dissensiones quædam Corinthiorum, quorum aliqui Paulum, qui eis fidei notitiam prius ingesserat, alii Apollo, facundia utpote præstantiorem, et Religionis principia enucleatius explicantem, alii Cepham, vel Apostolorum principem, vel discipulum Judæis nimio faventem, laudibus efferebant, occasionem præbuerunt his Apostoli dictis. Se igitur comparat architecto, prima ponenti fundamenta, quæ omnino manere debent: alios ædificantibus, qui vel templum ex marmore aliove lapide eximio, auro argentoque ornatum, vel humilem casam, ligno, stipula, et fœno constantem, extruunt. Quum autem constet Apollo et Cépham eamdem tradidisse doctrinam quam Paulus, non est cur errores aliquos similitudine illa notatos intelligamus. Equidem fundamenti nomine omnia præcepta et dogmata Christi quæ Apostolus Corinthios edocuerat comprehendi liquet.[1] Quæ igitur in his superstruuntur, non possunt erroribus accenseri, quippe quæ divina dogmata relinquunt illæsa. Videtur Apostolus quosdam ex inferioribus præconibus Evangelii perstringere, qui affectabant quandam mundanam sapientiam, et veritates revelatas humano ingenio et arte studebant insinuare, contentionibus et inanibus studiis præbentes occasionem. Pergit idcirco monere: "si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens"—deinceps: "Nemo itaque glorietur in hominibus." Nullum errorem adhuc invectum, sed studia vana, et contentiones de prædicatorum sapientia et facundia, facile colligitur ex tota Epistola. Hæc periculum habent, non tamen certum afferunt interitum, ideoque evadentis ex incendio instar, homo ejusmodi, cum aliquo sui detrimento, salutem poterit consequi.[2] De igne per quem fiat salvus hic disserere non est locus. Qui aliquo errore corruperit doctrinam assimilatur violanti templum Dei, fideles enim in templum Dei sanctum, veluti lapides vivi, eriguntur.[3] Hunc interitus plane manet: "Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos." v. 17.

Obj. 2. Qui post Conc. Hierosolymitanum adhæserunt legalibus errarunt circa fidem; cum iis tamen Apostolus communionem servavit.[4] Ergo

(1) "The sense of Ἰησους Χριστος is, as the best commentators have seen, *the history of Jesus Christ*, comprehending the doctrines and precepts, the promises and threatenings of the Gospel." Bloomfield in loc.

(2) Vide Cornelium a Lapide in locum.

(3) "As the Apostle is speaking of the Christian church, consisting of believers of all nations, of which church Christ is the foundation, it is evident that the materials built on this foundation, called *gold*, *silver*, &c., cannot represent the doctrines but the disciples of Christ: so Jerome, Theodoret, and Œcumenius thought. Besides, in no passage of Scripture is the temple or church of God said to consist of the doctrines, but of the disciples of Christ, who are called living stones, built up a spiritual house, or temple." 1 Pet. ii. 5, 6. Macknight in locum.

(4) Act. xxi.

qui etiam definitis dogmatibus non assentiuntur, possunt intra Ecclesiæ fines contineri.

Resp. Hæretici fuerunt omnes qui Conc. Hierosolymitani decretum pertinaci animo rejecerunt, propugnando ritus Mosaicos necessario gentibus ad fidem conversis servandos, contra ac definierant Apostoli. Cum his Apostolus certe non communicavit; quamvis eorum offensionem sedulo vitaverit, qui Judaica sub lege nati, ritus illos magna religione, utpote licitos, et ad Dei cultum institutos, servabant. Audi Paulum Galatas, quos nonnulli ad servandos ritus Mosaicos adducere conatus fuerat, arguentem: "Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis."[1]

Obj. 3. Sadducæi, alteram vitam et immortalitatem animarum denegantes, errarunt: remanserunt tamen intra Ecclesiam Judaicam; imo ad Summum Pontificatum nonnulli ex eis evecti sunt: ergo et ad Ecclesiam pertinent errantes in dogmatibus non fundamentalibus.

Resp. Argumentum probaret errantes in articulis fundamentalibus, quales certò sunt illi de altera vita, et animarum immortalitate, intra Ecclesiam esse: quod ipse Juriæus non est ausus asserere. Nullam igitur ei inesse vim fateatur oportet. Sadducæi quidem, a Sadoc, trecentis circiter post captivitatem Judaicam annis, orti, intra Synagogam tolerantia quadam gaudebant, quatenus ritus legis servantes publica auctoritate repulsi non sunt; imo sub Syriorum regum, et Romanorum dominatu, nonnemo ex eis ad Pontificatum variis artibus irrepsit: cæterum eorum doctrina nunquam palam prædicata est ex cathedra Mosis. Præterea immane discrimen intercedit inter Judaicam Synagogam, et Christi Ecclesiam: illa enim, etsi præcipuos fidei articulos de Deo existente et remuneratore, et de animarum futuris præmiis et suppliciis traderet, suam tamen præcipuam auctoritatem in ritibus externis servandis exercebat, quos Sadducæi sequebantur, cæterorum Judæorum instar: hæc autem ad docendum fidei veritates constituta *columna veritatis*, necessario tuetur doctrinam, erroremque omnem sua auctoritate profligat.

Obj. 4. Christus et Apostoli fidem in ipsum Christum passim exigebant, de aliis articulis silentes: "ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus."[2]

Resp. Credere in Christum apud sacros scriptores est, eum venerari tamquam magistrum veritatis, et salutis ducem; proindeque omnia ab ipso tradita animi assensu amplecti, prout Apostolis ipse mandavit: "docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis."[3] Hinc etsi Apostoli tria millia Judæorum die Pentecostes baptizarint, aliosque postea sæpius in Ecclesiæ sinum admiserint, quin singulos fidei articulos illis explicuissent, illud tamen intellectus obsequium exigebant, quod omnem veritatem reve-

(1) Gal. v. 2, 4.
(2) Joan. xx. 31.
(3) Matt. xxviii. 20.

latam implicite saltem amplecteretur: "consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam."[1] Sic qui Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem necessario agnoscendam prædicat, non ideo censeri potest singula fidei dogmata parvi habere; quæ maxime adstruit, dum Ecclesiæ divinitus concessa privilegia annuntiat.

Obj. 5. Sectæ Christianæ quæ in rebus non essentialibus discrepant, etsi in errore versentur, implicite tamen omnia quæ Christus tradidit venerantur: Sicut igitur Catholici, errore contra fidem irretiti, hæretici non censentur, nec extra Ecclesiæ gremium, quum implicite omnia Ecclesiæ dogmata venerentur; ita nec sectæ censendæ sunt ab Ecclesia alienæ.

Resp. Idem argumentum probaret Deistam ad Ecclesiam pertinere, quum ipse se paratum profiteatur ad amplectenda omnia quæ Deum habent auctorem; re tamen vera rejicit, dicens ea a Deo non esse profecta. Et quidem manifestum est discrimen inter Sectarum errores, et Catholicorum qui forsan ignorarent aliquod Ecclesiæ decretum: Catholici enim ex animo paratos se habent ad Ecclesiæ definitionem, statim ac innotuerit, amplectendam; hæretici verò, etsi dicant se velle omnia quæ Christus tradidit excipere, nolunt tamen iis assentiri etiam sufficienter promulgatis; sed pergunt denegare ea Christum auctorem habere.

Obj. 6. Sectæ habent, ut plurimum, Baptismum aliaque Sacramenta, iisque gignunt Christo filios.

Resp. Contingit hæreticos Baptismum retinere, sicut et nonnunquam alia Sacramenta, quia Christus Sacramenta ita instituit, ut e fide ministrantium virtus eorum non penderet. Cæterum id commune est etiam iis qui in articulis fundamentalibus, ut ait Juriæus, errant. Errat autem enormiter Burnetus, valorem baptismi ex fide fundamentalium articulorum derivans.[2]

Obj. 7. Constat S. Irenæum, S. Justinum aliosque millenarium Christi regnum docuisse, quod alii rejecerunt. Constat etiam S. Cyprianum et Firmilianum, cum magna Episcoporum turba, baptismum hæreticorum respuisse, quem cæteri Episcopi cum Stephano Pontifice Romano ratum habuerunt. Sic et de aliis plurimis apud Veteres disputabatur, salva tamen unitate, quum in præcipuis dogmatibus convenirent.

Resp. Contigit ut apud Veteres diversæ circumferrentur sententiæ de rebus nonnullis nondum solemniter definitis, quia scilicet non satis omnibus innotuit quæ esset vera de iis traditio apud Ecclesias Apostolicas servata. Cæterum sedulo instituto examine, reque penitus explorata, declaravit Ecclesia quid juxta Apostolicam traditionem esset sentiendum, statimque apud Catholicos omnes cessavit dubitatio. Sic S. Justinus, privata ex sententia, Christum cum sanctis per mille annos in terris regnatu-

(1) II. Cor. x. 4. (2) Analysis, p. 283.

rum censuit, quod tamen omnibus Catholicis non arridere ipse animadvertit.[1] S. Cyprianus Baptismum Hæreticorum improbavit; quin suam sententiam dogmatis Catholici vim voluerit obtinere. Omnes Patres, sicut de S. Cypriano animadvertit S. Augustinus, cessuri procul dubio erant universalis Ecclesiæ auctoritati res illas controversas definienti.

C. IV. DE REGIMINIS UNITATE.

Unitatem fidei omnino exigi ut singulæ Ecclesiæ unam constituant, ex huc usque disputatis liquet. Requiritur insuper regiminis unitas, scilicet ordo ille quem statuit Christus servandus ubique est, ut fideles pastorum regantur auctoritate, et pastores ipsi supremum agnoscant rectorem. Placuit nonnullis nullam regiminis formam a Christo institutam esse, eamque arbitrio fidelium esse permissam, ita ut in singulis locis ea posset adoptari quæ magis congrua videretur, imo varietas admitti posset, cætibus pluribus se suis legibus varie moderantibus.[2] Calvinus non ita sensisse videtur, nam, eo docente, Christus "pastores instituit ac doctores, quorum ore suos doceret (Eph. 4. 11): eos auctoritate instruxit: nihil denique omisit quod ad sanctum fidei consensum et rectum ordinem faceret."[3] Cæterum nihil aliud magnificis his verbis significat, quam omnes debere præconibus Evangelii obaudire: "videmus omnes ad unum cogi in eundem ordinem, ut mansueto et docili spiritu regendos se doctoribus in hunc usum creatis permittant."[4] Anglicani Episcopale regimen tenent, cui fideles singuli sunt subjiciendi, qua autem ratione Episcopi per orbem inter se conjungantur, ut in unum veluti corpus coeant, haud feliciter explicant, charitatis vinculum cum fide dogmatum fundamentalium sufficere arbitrantes: quod tamen aliquando verbis obscurioribus enuntiant.[5] Episcoporum autem institutionem ab Apostolis repetit White:[6] Bingham a Christi ordinatione.[7] Methodistæ nonnulli Episcoporum regimen agnoscunt, quod tamen divinitus institutum vix possunt habere, quum Joannem Wesley, Episcopali charactere plane carentem, Thomam Coke Episcopum primum sectæ ordi-

(1) Justin. Dial. cum Tryphone.

(2) Id colligitur ex Baptistarum confess. ch. 27. § 6, 7.

(3) Calvin. Inst. l. iv. c. 1. § 1.

(4) Ib. § 2.

(5) "All the churches of God are united into one by the unity of discipline and government, by virtue whereof the same Christ ruleth in them all——as therefore there is no church where there is no order, no ministry; so where the same order and ministry is, there is the same church." Pearson on article ix of the Creed, vol. 1, p. 513; ed Ox. 1816.

(6) Dissertation x. of Episcopacy.

(7) Bingham, orig. Eccl.

nasse ipsi referant,[1] et Episcopum ordinari posse a senioribus, præconibus scilicet, saltem tribus numero, tradant, si temporum calamitate contigerit nullum in secta superesse Episcopum.[2] Apud cætum generalem seu collationem, Anglice "*General Conference*," præcipuam constituunt potestatem: ea quippe ex senioribus, qui in annuis collationibus eliguntur, constat, quolibet quadriennio congregatur, ipsosque quos vocant episcopos suæ subditos auctoritati habet. Baptistæ consulunt ut data occasione inter se Ecclesiæ locales societatem ineant, communibusque utantur consiliis, sed omnem auctoritatis notionem abesse jubent. Presbyteriani comitiis generalibus "*General Assembly*" ex tota America fœderata collectis, præconibus et laicis senioribus in id electis, potestatem summam in suæ sectæ negotiis tribuunt. Singulas paræcias apud illos regit præco cum duobus saltem laicis senioribus, qui tribunal constituunt "Sessionem" vocatum; plures sessiones tribunal *Presbyterii* efficiunt, in quo conveniunt præcones omnes qui ad eas pertinent, una cum laico seniore ex qualibet: *synodus* tria saltem presbyteria complectitur, et ex præconibus, et laicis senioribus pari ratione constituitur: *Comitia generalia* fiunt semel in anno, præcone uno ex viginti quatuor cujuslibet presbyterii, et seniore uno pariter coadunatis.[3]

In ditionibus Angliæ rex, vel regina, in omnibus causis tum Ecclesiasticis, tum civilibus, præcipuam habet potestatem juxta articulos Anglicanos;[4] sed Episcopaliani Americani profitentur civilem Magistratum nullam habere auctoritatem in rebus mere spiritualibus.[5] Habetur cætus generalis Episcoporum: "General Convention;" Ministris cum laicis etiam intervenientibus. Omnibus præest Episcopus senior ordinatione, qui tamen nullam in cæteros exercet auctoritatem. Anglicani Episcopum Romanum nullam habere in Angliæ ditionibus jurisdictionem affirmant; sed de eo silent Americani Episcopaliani. Methodistæ nullam exteram jurisdictionem agnoscunt; sed Baptistæ et Presbyteriani in Episcopum Romanum tamquam Antichristum debacchantur.[6]

(1) Doctrines and discipline of the Methodist E. Church, ch. 1. "Preferring the Episcopal mode of church government to any other, he solemnly set apart, by the imposition of his hands and prayer, one of them, viz. Thomas Coke." &c.

(2) Sect. iv. Quest. 2. "If by death, expulsion, or otherwise, there be no bishop remaining in our church, what shall we do? The General Conference shall elect a bishop; and the elders, or any three of them, who shall be appointed by the General Conference for that purpose, shall ordain him according to our form of ordination."

(3) Vide *Form of Government*, ch. viii. prout an. 1820, est ultima vice in fœderatis provinciis statuta.

(4) Art. xxxvii.

(5) Art. xxxvii., prout an. 1801, conventum est.

(6) Vide singulas eorum fidei Confessiones.

PROPOSITIO.

Ecclesia Christi unitatem regiminis necessario postulat, ita ut singulæ Ecclesiæ locales communi quodam regimine debeant inter se connecti.

Probatur *Ex Scripturis.* Christus Judæos alloquens dixit: "Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor."[1] De vocandis ad fidem gentibus liquet eum loqui, easque una cum Judæis Christum agnoscentibus in unum corpus coalescere docet, uno veluti pastore omnes regente. Se quidem jam dixerat bonum pastorem, ipseque procul dubio omnibus præest: sed quum Apostolorum ministerio in gentium conversione usus sit, videtur hic intelligendus de pastore, qui, ipso jam ad cælos reverso, greges in unum colligeret, ipsius vicibus fungens. Constat quidem Ecclesiam hic exhiberi, prout futura erat omni tempore, eamque unum ovile designari: in eo quippe vis tota est posita, ut Ethnici et Judæi unam Societatem corpusque constituerent. Ergo ea semper exigitur unitas, qua quotquot sunt Christifideles, ex quavis natione, in unum coeant corpus, arctissimis sacræ communionis vinculis colligati: id autem contingere nequaquam potest absque communi aliquo regimine.

Paulus ad Ephesios scribens, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, pastores et doctores datos dicit "in ædificationem corporis Christi," et Christifideles ab erroribus et incertis sententiis hac ratione servari; quibus subjungit: "veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate."[2] Ecclesia hic describitur sub corporis imagine, cujus caput est Christus, membra autem inter se ita conjuncta ut corpus compactum et connexum habeatur. Id autem nullatenus foret si nullum esset commune regimen quo conjuncta et consociata tenerentur.

Probatur 2°. *Ex totius antiquitatis sensu.* S. Cyprianus de hæreseon origine et remedio sic loquitur: "Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cælestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: 'Ego tibi dico,' inquit 'quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cælorum; et quæ ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis: et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cælis.' Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: 'Pasce oves meas.' Super illum unum ædificat Eccle-

(1) Joan. x. 16. (2) Ephes. iv. 15.

siam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: 'Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittentur illi, si cujus tenueritis tenebuntur:' tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædiți et honoris, et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, *et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur*, ut Ecclesia *Christi* una monstretur.[1] Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, et dicit: 'Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.' Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, et resistit, *qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia deserit*, in Ecclesia se esse confidit? Quando et beatus Apostolus hoc idem doceat, et sacramentum unitatis ostendat, dicens: 'Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus.' Quam unitatem firmiter tenere, et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est,[2] cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur."[3] "Monet Dominus, et dicit: 'Qui non est mecum, adversus me est; et qui non mecum colligit, spargit.' Qui pacem Christi et concordiam rumpit; adversus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Dicit Dominus: 'Ego et pater unum sumus.' Et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: 'Et hi tres unum sunt.' Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentis cælestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, et voluntatum collidentium divortio separari? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem. Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in Evangelio tunica Domini

(1) Quæ Italicis litteris notavimus in editione Basileana ab Erasmo facta anno, 1521 desiderantur, reperiuntur vero in editione Wirceburgensi an. 1782. Quum codicum ex quibus varietas hæc derivetur non noverimus antiquitatem et auctoritatem, nihil certi proferre valemus: sed contextus sermonis favet lectioni Wirceb.

(2) Mala certe fide hæc interpretatur Calvinus de Christi Episcopatu, quum sermonem fieri de Episcopali regimine manifestum sit: "Cyprianus," inquit "totuis Ecclesiasticæ concordiæ fontem ab unico Christi Episcopatu ducit." Calv. l. iv. Inst. c. 2. § 6.

(3) Lib. de unit, p. 349 edit Wirceb. p. 163 edit. Basil. Verba Italice notata desiderantur in hac editione.

Jesu Christi non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi quis Christum indueret, integra vestis accipitur, et incorrupta atque indivisa tunica possidetur. * * Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit et dividit Ecclesiam Christi * * * * Cum duodecim tribus Israel scinderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit. At vero quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohærens divisa a possidentibus non est. Individua, copulata, connexa, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem. Sacramento vestis et signo declaravit Ecclesiæ unitatem. Quis ergo sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo, et docet dicens: 'Et erit unus grex et unus pastor.' Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores, aut plures greges? Apostolus item Paulus hanc eandem nobis insinuans unitatem, obsecrat et hortatur dicens: 'Obsecro,' inquit, 'vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu et in eadem sententia.' Et iterum dicit: 'Sustinentes invicem in dilectione; satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis.' Stare tu, et vivere putas posse de Ecclesia recedentem, sedes sibi alias, et diversa domicilia condentem?"[1] De Novatiano quærenti Antoniano quam hæresim introduxisset, respondit: "Scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est et qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est." * * * "Qui ergo nec unitatem spiritus nec conjunctionem pacis observat, et se ab Ecclesiæ vinculo, atque a Sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem."[2] Igitur juxta Cypriani sententiam Novatianus extorris ab Ecclesia habendus erat ob unitatis violationem, etsi nullum errorem contra fidem amplexus fuisset.

Hæc ideo tam fuse exscripsimus, ut quæ de Ecclesiæ unitate sæculo tertio jam obtinuerit, ex divinis Scripturis derivata, sententia, pateat. De auctoritate Petro tributa agendum impræsentiarum non est, sed liquet Cyprianum ea ratione a Christo unitati et fidei consultum censuisse.

Probatur 3°. *Ex consectariis contrariæ sententiae.* Si enim nullum sit commune omnium Ecclesiarum regimen, si nulla sit auctoritas qua omnes contineantur, nulla servari poterit fidei concordia: fideles etiam dispersi jacebunt sicut oves non habentes pastorem; et ea omnia sequentur rei Christianæ exitialia quæ ex sententiis discordibus profluere jam vidimus.

Probatur 4°, *ex gravitate criminis schismatis*, quæ ab Ecclesiæ primordiis est agnita. S. Clemens cum Corinthiorum laude commemorat:

(1) Ibid. p. 351, ed. W.

(2) S. Cyprian. Ep. ad Antonian. 52.

"omnis seditio et omnis scissura vobis abominationi erat:" eos autem presbyteris suis repugnantes corripit: "Cur diducimus et distrahimus membra Christi, et contra proprium corpus seditionem facimus?"[1] S. Ignatius ad Philadelphienses scripsit: "Quotquot Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo. Quotquot autem pœnitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et isti Dei erunt; ut secundum Jesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur, regni Dei hæreditatem non consequitur."[2] S. Cyprianus: "Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? an secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur; inexpiabilis et gravis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr non potest qui in Ecclesia Dei non est."[3] Novatianis, Cornelii Episcopi Romani jura, pseudo—Episcopo constituto, violantibus, hæc protulit Cyprianus; Donatistis, pseudo—Episcopo Carthaginiensi adhaerentibus, Augustinus "ipsum separationis immanissimum scelus"[4] exprobravit, illud vocans "sacrilegium schismatis quod omnia scelera supergraditur."[5] Addidit ipse plurimis ex Scriptura allatis: "hæc de Scripturis sanctis proferimus documenta, ut appareat facile non esse quidquam gravius sacrilegio schismatis: quia præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas."[6]

Ad eos qui cœtus publicos negligunt hæc perperam transfert Calvinus: "quoniam autem sacrum unitatis vinculum quantum in se est solvunt, vel abrumpunt, nemo impii hujus divortii pœnam effugit, quin se pestiferis erroribus ac teterrimis deliriis fascinet."[7] Hoc sensu docet "discessionem ab Ecclesia, Dei et Christi abnegationem esse."[8] Anglicani autem schismatis crimen vehementer exaggerant, sui vulneris haud memores.[9]

Obj. Christus nullam regiminis formam instituit, sed dilectione voluit discipulos inter se conjungi, etiam discordes sententiis: "in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem."[10] Omnem vero dominandi cupidinem repressit: "reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic."[11] Idcirco Petrus, nihil sibi usurpans, collegas suos monuit ut non dominarentur, sed forma fierent gregis.[12]

(1) S. Clemens 1 ad Cor. ep. § ii. et xlvi.
(2) S. Ignatius ad Phil. § 3.
(3) S. Cyprian. de Unit. Eccl.
(4) Aug. l. 1. de bapt. contra Donat. c. 14.
(5) Contra ep. Parmen. l. 1. c. 4.
(6) Contra ep. Parm. l. ii. c. xi. § 25.
(7) Calvin. l. 4. Inst. c. 1. § 5. (8) Ib. § 10.
(9) Vide eorum testimonia apud Fletcher Comparative View, ch. v.
(10) Joan. xiii. 35.
(11) Luc. xxii. 25.
(12) 1. Pet. v. 3.

Resp. Verbis maxime perspicuis regimen instituit Christus, præmissa enim potestatis sibi a Patre datæ amplissima declaratione, misit Apostolos, ejusdem potestatis utique participes, ut in unum congregarent omnium gentium homines. "Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra."[1] "Sicut misit me Pater et ego mitto vos."[2] Ecclesiæ sententiam, etiam in causa minori, tanti faciendam jussit, ut qui eam temneret instar Ethnici et publicani foret habendus, ipsam quippe cælitus firmandam pollicitus est: "Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen, dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo."[3] Ubi præsules tanta pollent auctoritate, imperium certe est summum, quamvis a hujus mundi regnis valde dissimile: nam in rebus sacris, quæ ad animæ pertinent salutem, versatur, et conscientias præsertim respicit: ideo monuit Apostolos Christus, et Petrus episcopos, eos ab omni dominatione mundana esse alienos oportere. Abest autem tyrannis, et omnis libido dominandi ab Ecclesiastico regimine, quia juxta Christi leges est gerendum, mansuetudine et animarum salutis studio, quamvis aliquando severius, ut vulnera peccantium sanentur, "secundum potestatem, quam Dominus dedit—in ædificationem, et non in destructionem."[4] Quod autem Christus dilectione suos discipulos distinguendos voluit, pertinet ad perfectos; sed charitatis vincula omnino abrumpit qui potestati ab eo constitutæ resistens a fratrum se divellit consortio: quapropter Augustinus ait: "hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: Schismatici autem dissensionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus."[5]

Obj. 2. Apostolis potestas concessa est ad fundandam Ecclesiam, sed ad alios non transiit, quum Scripturis, veluti legum codice, divinitus exaratis res omnes juxta eas essent componendæ.

Resp. Quæ Apostolis dicta sunt ad eos qui eorum muneribus per omnes gentes, et ad finem usque mundi functuri essent, pertinere, ex Christi pollicitatione se semper adfuturum edocemur. Nec auctoritate qua regatur minus Ecclesia indiguit, Apostolis vita functis, quam iis inter vivos. Christus igitur omnia summa sapientia constituit, ut Ecclesia semper inferorum impetui resistere possit, in unitate sua firmiter consistens. Si Scripturæ Novi Testamenti veluti codex legum habeantur, opus est judicibus et officialibus qui eas exequantur. Cæterum eam formam non præseferunt, sed occasione data exaratæ sunt, et regimen a Christo constitutum testantur. Alios præter Apostolos ad regendam Ecclesiam habuisse potestatem, constat ex iis quæ Paulus ad Presbyteros Epheso arcessitos dixit: "Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo."[5] Novi-

(1) Mat. xxviii. 18.
(2) Joan. xx. 21.
(3) Mat. xviii. 17.
(4) 1 Cor. xiii. 10.
(5) Aug. l. de fide et symbolo c. 65.
(6) Act. xx. 28. ποιμαίνειν

mus vocem pastoris officium designare, quod tamen includit gubernandi potestatem, et Christo ipsi alias tribuitur, rectori utique supremo.

Obj. 3. Singuli Episcopi ex Christi instituto, suos pascunt greges, quin ullo auctoritatis ligamine inter se teneantur: sed ex fraterno affectu, et Ecclesiasticæ utilitatis studio societatem ineunt, communionisque jura sibi invicem largiuntur. Ita Cyprianus, qui singulorum Episcoporum libertatem vindicavit a Stephani arbitrio, et soli Deo rationem de suis Ecclesiis reddendam contendit.

Resp. Ex Christi instituto unum est ovile, et proinde summa aliqua auctoritate omnes in unum conveniant necesse est. Non hominum permisit arbitrio rem ex qua et fidei integritas, et Christianæ reipublicæ salus omnino pendet, sed ipse unitatem statuit, prout pulcherrime exposuit Cyprianus. Quod autem Episcoporum in suis diæcesibus administrationem liberam esse contenderit, soli Deo reddenda ratione, pertinet ad ea quæ nulla divina lege determinantur, nec supremo aliquo Ecclesiæ judicio. Quæ enim leguntur in scriptis de baptismi iteratione, optime intelliguntur ex iis, quæ, pacato animo, protulit, dum de pace et venia mæchis danda scripsit: "Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mæchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen a coepiscoporum suorum cellegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo et perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit et dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus."[1]

Obj. 4. Nonnisi secundo Ecclesiæ sæculo Episcopi inter se societatem inierunt, Amphyctiones imitati, qui fœderatis urbibus Græciæ consulebant. Hinc urbium præcipuarum maxime habita est ratio.[2]

Resp. Gratis fingitur hæc Ecclesiasticæ communionis origo, quæ potius ex Christi voluntate, ut omnes unum forent, est repetenda. Non urbium dignitas Episcopis tribuit auctoritatem majorem, sed summo consilio Dei contigit ut qui major constitutus fuit inter Apostolos, in urbe imperii principe consideret, cælestis reipublicæ, civili longe præstantioris, posturus fundamenta.

Obj. 5. Ecclesiæ quæ caput tenent Christum instar tot familiarum vel civitatum in uno regno se habent.

Resp. Familiæ vel civitates in unum corpus non coalescunt, nisi suprema quadam, quam agnoscunt omnes, auctoritate. Ita in Ecclesia necessario agnoscenda est summa quædam potestas qua singulæ diæceses in unam rempublicam Christianam coalescant. Non sufficit ut Christum se tenere

(1) Ep. 52. p. 127. Ed. Wir.

(2) Vide Mosheimium. hist. Eccl. Sæc. 2. par. 2.

profiteantur, nam Ecclesia est visibilis societas cujus unitas in terris exhiberi debet, ut homines ea præcipue ratione divinam ejus originem percipiant: "Ego in eis, et tu in me," inquit Christus Patrem deprecans, "ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti."[1]

C. V. DE UNITATIS CENTRO.

Ut Ecclesiæ unitati, tum quoad fidem, tum quoad regimen, consuleret Christus, Petrum speciali donavit auctoritate, uti ex his quæ jam diximus colligere est. Eam ad Episcopos Romanæ urbis, qui Petri sunt successoras, descendisse agnoscunt quotquot Catholici sunt: vehementer negant Græci, Protestantes, omnesque sectæ. Sunt inter Protestantes, præsertim Anglicanos, qui Petro primatum tribuunt, quod ex fervidiori indole, vel ob ætatem magis provectam, vel alia aliqua ex causa, primas sustinuerit partes in Apostolorum cætu, quin tamen ullam in cæteros habuerit auctoritatem. Eum "Apostolorum principem" Caveus designat.[2] Primatus honoris dicitur hæc qualiscumque primi inter pares præeminentia; primatus autem jurisdictionis ad potestatem regiminis refertur. Hunc tributum fuisse Petro statim probabimus.

PROPOSITIO.

B. Petrus a Christo Domino unitatis centrum constitutus est; supremam scilicet in terris accepit regendi Ecclesiam potestatem, seu primatum jurisdictionis; quo unitati fidei et regiminis consuleretur.

Prob. 1. Ex Scripturis. Matt. xvi. 18. Quum Simon Christo interroganti quid Apostoli de eo sentirent, respondisset eum esse Christum Filium Dei vivi, Christus eum magno elogio ornavit, beatumque ob revelationem de tanto dogmate ei divinitus factam prædicavit: "Et ego dico tibi, quia tu es Petrus,[3] et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et Tibi dabo claves regni cælorum,

(1) Joan. xvii. 23.

(2) Cave in Historia Litteraria Sæc. Ap. Art. *S. Petrus.*

"In the enumeration of these twelve Apostles, all the Evangelists constantly place St. Peter in the front; and St. Matthew expressly tells us, that he was *the first*, that is, he was the first that was called to be an Apostle: his age, also, and the gravity of his person, more particularly qualifying him for a primacy of order amongst the rest of the Apostles, as that without which no society of men can be managed or maintained." Cave, life of St. Peter, p. 18. Philadelphia edition. Constat tamen Andream Petro priorem Christum invenisse; proinde Petrum primum designatum a Christo, temporis haud habita ratione. Vide Joan. 1. 40. 41.

(3) כֵּיפָא utroque loco.

et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis." Simon, igitur, mutato nomine, Petrus seu petra designatus est, et super hanc petram Ecclesia est ædificata. Habuit, idcirco, eam ad Ecclesiam relationem, quam habet petra ad ædificium in ea erectum, quod sustinet tanta firmitate, ut irruentibus imbribus, vel fluctibus, non cadat. Est præcipuus in Ecclesia, a Christo constitutus, in cæterorum firmitatem, unitatem ipsius Ecclesiæ et vim sua a Christo derivata sustentans fortitudine. Accepit regni cælestis claves quibus summa potestas sub rege supremo indicatur. Sic Eliacim clavem domus David in humero laturus dicitur, quod summo functurus esset Pontificatu,[1] et Christus principatum in humero habiturus, quo claves ferebantur, dicitur.[2] Ipse etiam claves mortis et inferni habet, potestatem scilicet summam.[3] Quæ sequuntur de ligandi et solvendi potestate, explicant supremam illam clavium auctoritatem, si enim habeatur ratio modi apud veteres ligandi funibus vectes, seu seras portarum, seu funes ipsos solvendi ut panderentur portæ, Ecclesiam claudendi et aperiendi facultas summa denotatur; si autem Rabbinorum loquendi modus, qui *solvere* dicunt legis enodare difficultates, *ligare* eas inter ambages proponere, attendatur, summum docendi munus cum cælesti afflatu traditur: si placeat solvendi metaphora, veniam, ligandi verò prohibitionem intelligere, etiam summa erit dispensandi, et præcipiendi auctoritas: si ad ligandos pertinaces censuris, prout in xviii. capite, referatur, et ad humilium vincula relaxanda, regiminis potestas cum pœnarum irrogandarum arbitrio significatur: si denique ad peccatorum ligamina placeat verba referre, erit remittendi ea et retinendi libera facultas. Quacumque igitur ratione explicentur Christi verba, auctoritas iis designatur, quam singularem esse et supremam liquet ex eo quod uni speciatim, in fidei et confessionis præmium tribuitur, cum clavium etiam adsignatione, quæ culmen quoddam honoris et potestatis designabant.

Luc. xxii. 31. In cœna ultima orta est contentio inter Apostolos quis eorum major esset, quam sedavit Christus, eis humilitatem suo exemplo insinuans, fastumque et dominandi libidinem, quæ regibus principibusque civilibus inest, a suis procul esse jubens. Regnum quidem se illis testamento veluti legare dixit, prout sibi Pater tradiderat, misit quippe eos sicut a Patre fuerat missus. Tunc Simonem alloquens, magno cum animi affectu, ait: "Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem oravi pro TE, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos." In illo, igitur, regno, quod Apostolis omnibus committebat,[4] Petrus primus futurus erat, cui fratres

(1) Isaiæ xii. 22.

(2) Is. ix. 6.

(3) Apoc. i. 18. Vide etiam Apoc. iii. 7.

(4) De regno in terris esse sermonem Beza agnoscit ex ipsa dictorum occasione, nempe de primatu contentione. Vide Synopsim Criticorum in loc.

confirmandi cura incumbebat, speciali pro illo fusa ad Patrem Christi oratione, ne fides ipsius deficeret.

Joannis xxi. 15. Christus post resurrectionem Petro, Thomæ, Jacobo, Joanni, aliisque duobus discipulis, se exhibuit, et post prandium interrogavit Petrum hac ratione: "Simon, Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas." Specialis dilectionis professio exigitur, ut specialis præ cæteris pascendi gregem Christi cura tradatur: agnorum et ovium discrimen fit, ut omnium cura ei noscatur tradita, fidelium, et eorum qui eos Christo genuerunt. Pascendi datur mandatum, voce etiam variata, βοσκω quippe pabulum præbere, ποιμαινω omnia complectitur pastoris munia. Ter repetitur, ut de munere tanta cum emphasi et solemnitate dato nullus sit locus dubitandi. Petro, non aliis, etiamsi alii adessent, hæc sunt dicta, ut singulare ejus munus et privilegium pateret. Qui se bonum pastorem gregis prædicaverat, aliasque oves, gentes scilicet, se adducturum enuntiaverat, ut unum ovile sub uno foret pastore, quamvis ipse se nonnisi ad oves Israeliticas missum diceret, satis ostendit Petrum illum unum pastorem a se constitutum, qui gentes et Judæos, in unam congregatos Ecclesiam, ipsius vices obiens pasceret et regeret.

Ex Actis Apostolorum liquet Petrum ubique primas egisse partes. Proposuit electionem alicujus qui locum Judæ morte vacantem in Apostolico collegio impleret:[1] ad populum primus fecit verba, tribus millibus ejus concione ad fidem adductis.[2] In concilio Hierosolymitano dissidentes, sententia dicta, composuit, audito enim eo, "tacuit omnis multitudo" eorum qui prius acrius disceptaverant.[3]

Addere possemus eum in catalogo Apostolorum semper primum recenseri, imo designari primum a Matthæo[4] et a cæteris sæpius distingui: "Dicite discipulis ejus et Petro."[5] "Stans Petrus cum undecim."[6] "Petrus et Apostoli dixerunt."[7]

Scripturarum de Petri primatu testimoniis liceat vetustorum Scriptorum qui rem Christianam illustrarunt adjungere sententias, hi enim et Scripturas diligenti indagine scrutati sunt, et perspectam habuerunt Ecclesiae formam et regimen, prout a Christo fuerat constituta. In re hujusmodi quæ oculis veluti objiciebatur, ex totius orbis usu inde derivato, haud facile falli poterant. Utemur autem imprimis eorum qui Græce scripserunt auc-

(1) Act. i.
(2) Act. ii.
(3) Act. xv.
(4) Mat. c. x.
(5) Marc. xvi.
(6) Act. ii.
(7) Act. v.

toritate, hi enim a nimio affectu erga Petri cathedram, quæ ejus jura sibi vindicabat, immunes manifestò habendi sunt.

Origenes: "Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et supra ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis ab eo, nisi charitatis, exigitur."[1] S. Basilius: "Beatus ille Petrus, omnibus discipulis prælatus, cui soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves regni cælorum concreditæ sunt."[2] S. Cyrillus Alex: "Præ aliis emicat ille cæterorum caput, ac princeps, et ait: Tu es Christus filius Dei vivi."[3] S. Epiphanius: "Petrum discipulorum suorum principem elegit."[4] S. Chrys. "Post gravem illum lapsum, iterum eum evehit: Ecclesiæ præfecturam ei per universum mumdum tradidit."[5]

Concinunt Latini: S. Optatus Milevit. "Bono unitatis B. Petrus * * et præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cælorum communicandas cæteris solus accepit."[6] S. Hieronymus "Inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio."[7] S. Aug. "Cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam."[8] S. Leo M. "De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus."[9] S. Gregorius M. "Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod beatissimo omnium Apostolorum principi Petro dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est."[10]

Suadet Ratio Theologica aliquem ex Apostolis aliis præesse debuisse. Ecclesiam unam esse voluit Christus, quapropter regni, ovilis, corporis, domus metaphoris sæpius ipsa designatur: rector sit igitur necesse est, pastor, caput, fundamentum.

Equidem, uti ipse animadvertit Cave, nullus hominum numerus posset in unum convenire, nisi unus aliis præsit, quod in qualibet regiminis forma, etiam in hac nostra republica videre est: necesse igitur fuit Christum aliquem ex Apostolis cæteris præficere, præsertim quum ipsa fidelium multitudo per orbem in unum congreganda foret. Præfectum autem hunc et ducem potestate præcipua, ac auctoritate in alios præstare oportebat, nec

(1) Origen. in c. 6 Ep. ad Rom.
(2) Proœmium de judicio Dei.
(3) S. Cyr. l. xii. in Joan.
(4) Epiph. hær. 51.
(5) Chrys. hom. v. de pœnit.
(6) Opt. Mil. l. 1. contra Parmen.
(7) Hier. l. 1. ad Jovin. c. 14.
(8) Aug. tract. 124 in Joan.
(9) S. Leo. serm. 3 de assumpt. sua ad Pontif.
(10) Greg. l. 4. Epist. 32.

enim sola honoris præcedentia ad tantam multitudinem coadunandam sufficeret, quum ob studia varia facile alioquin discinderentur.

Obj. Christus petra est Ecclesiæ, sicut ex figura quæ apud Judæos præcessit liquet: "Petra autem erat Christus." 1 Cor. x. Et quidem petram a Petro S. Evangelista accurate distinguit.

Resp. In verbis de quibus agitur Simon dictus est petra, relativus quippe articulus manifesto designat eam de qua statim locutus fuerat Christus: "Tu es Petrus, et super hanc petram;" et nulla sinit ratio rectæ interpretationis, ut quæ præcedunt et sequuntur ad Petrum referantur, et mediæ illæ voces de alio explicentur, quum nullum sit mutationis indicium. Testimonium autem Pauli nihil habet cum Christi verbis commune, Apostolus quippe figuram Christi fontis salutis præcessisse docuit in petra ex qua, Mose percutiente virga, eruperunt aquæ. Christus loquitur de petra supra quam ipse Ecclesiæ ædificium esset extructurus. Quod autem petra a Petro in Latina versione, sicut et πετρα a Πετρος in Græco textu, distinguatur, contigit ex eo quod masculina terminatio magis homini conveniret, præsertim juxta Græcorum usum, feminina verò vox vim nominis et metaphoræ accuratius exhiberet.[1] Lingua Syro Chaldaica, qua usus est Christus, nullum omnino discrimini præbet locum, uti agnovit ipse Beza: "Dominus Syriace loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit cepha, quemadmodum vernaculum nomen *Pierre* tam de proprio, quam de appellativo dicitur."[2] Consonant Syriaca Arabica et Chaldaica versiones.

Obj. 2°. Augustinus quum eam aliquando vocem de Petro interpretatus esset, suam melius edoctus retractandam duxit sententiam.[3]

Resp. Hæsit quidem anceps, et arbitrio legentis rem permisit: "Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector."[4] Illa mentis dubietas ex Græco textu orta est, non enim Syriacam calluit linguam, ideoque non valuit sibi de duplici voce reddere rationem. Cæterum non dubitavit de ipso primatu, quem potius amplissimis agnovit verbis, et communem esse interpretationem petræ de Petro testatus est, cui et ipse alias adhæret: "Solus inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum."[5] Hanc explicationem admittunt omnes fere alicujus notæ interpretes, etiam inter Protestantes, ita ut vix ullus discrimen inter petram et Petrum amplius statuat, uti adnotat

(1) Calvinus ait: "idem, fateor, apud Græcos significat Petrus et Petra, nisi quod prius nomen Atticum est, alterum vero communis linguæ." Comment in loc. Matt. Adjungit tamen consulto mutatum genus a Matthæo, ut diversum aliquid exprimeret: et hariolando dicit: "nec dubito, quin tale discrimen notaverit Christus sua lingua."

(2) Beza in locum.

(3) L. 1 retract. c. xxi.

(4) Ibid.

(5) Aug. Serm 29 de Sanctis.

Bloomfield,[1] Rosenmüller, Gerard, Marsh, aliisque innumeris concinentibus. Veteres omnes in ea mire conveniunt. Origenes: "Petrus, super quem Christi Ecclesia, contra quam inferorum portæ non prævalebunt, ædificata est, unam Epistolam omnium asseveratione approbatam reliquit:[2] S. Gregorius Naz. "Vides, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat."[3] S. Chrysostomus "Dominus ait: Tu es Petrus, et super te ædificabo Ecclesiam meam."[4] Tertullianus: "Latuit aliquid Petrum, ædificandae Ecclesiae petram dictum; claves regni cælorum consecutum, et solvendi et alligandi in cælis et in terris potestatem.[5] S. Ambrosius: "Petrus petra dicitur."[6]

Obj. 3. Si ad Petrum referatur petra, intelligenda est fides Petri de Christo Filio Dei, potius quam homo ipse: sic plurimi Patres eam explicuerunt.

Resp. Petra debet necessario referri ad Petrum ipsum, non enim ipsius fides dicta est petra, sed ipse: "Tu es Petrus, et super hanc petram * * tibi dabo claves," &c. Qui autem inter Patres fidem Petri hoc loco designari docuerunt, de ipso fidem profitente intelligendi sunt, uti facile eorum testimonia perpendenti erit manifestum. Extulerunt quidem Hilarius aliiq: contra Arianos fidem de Christo Deo, quæ tantum nomen et munus profitenti meruit: "O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret! O beatus cæli janitor!" C. xvi. in Matth.

Obj. 4. Petrus privilegium fundandi Ecclesiam adeptus est, nam Judæorum tria millia concione ad fidem primus adduxit, et gentibus aperuit ostium. Ergo hac ratione petra dictus est.

Resp. Non fundamentum quodlibet, sed petra dictus est, quae firmitatem et perpetuitatem indicat, non rerum initium. Verba quidem adeo magnifica Petro dicta non patiuntur interpretationem de sola ante alios annuntiatione Evangelii: qua ratione fundatoris et Architecti potius quam fundamenti similitudinem gereret. 1 Cor. iii. 8.

Obj. 5. Christus fundamentum est Ecclesiæ: "Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus." 1 Cor. iii. 2. Apostoli autem omnes secundario et pariter: "Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum." Eph. ii. 20. Apoc. xxi. 14.

Resp. Christus est fundamentum quod ponunt Evangelii præcones, salutem per eum prædicantes, qui idcirco architecti gerunt figuram. Sed ipse apud Matthæum architectum se exhibet, fundamentumque ponit, Pe-

(1) In loc.
(2) Apud Euseb. l. 6 hist. c. 19.
(3) Orat. 26.
(4) Hom. 51. in Mat.
(5) L. de præs. c. 21.
(6) Serm. 47.

trum fidem confitentem, et erigit ædificium nulla vi subruendum. S. Paulus dicit quidem fideles superædificari super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, quia scilicet eorum mysteriorum notitia imbuti erant, quæ prædicarunt Apostoli, prædixerunt verò Vates Hebræorum. Evangelica igitur prædicatio vaticiniis conformis fideles instruxit, ut ipsi tamquam lapides vivi in templum sanctum Domino exurgerent. Cæterum hæc fundamenti ratio longe differt ab illa quam Christus tribuit Simoni, cum petram designando, saxum veluti immobile in quo ædificium innixum nullo posset turbine concuti, nec enim inferorum portæ contra Ecclesiam prævalebunt. Præterea cum petræ metaphora clavium regni symbolum connectitur, quo auctoritas, jurisdictioque summa notatur: sed in objecto ad Ephesios loco nihil hujusmodi occurrit. Id etiam de Apocalypseos testimonio est animadvertendum, agitur scilicet de Jerusalem, sancta civitate, "et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni." Ideo autem nomina Apostolorum fundamentis cælestis civitatis insculpta dicuntur, quod præcipui sint inter Christi electos, eorumque opera plurimi ad salutem pervenerint. Igitur diversa omnino est ratio loquendi, et vis metaphoræ ex contextu Christi ad Petrum verborum, ad summam quamdam auctoritatem designandam determinatur. Verba illa, quæ soli Petro sunt dicta, non possunt aliis accommodari quum specialem indicent potestatem aliis non concessam.

Obj. 6. Claves regni cælorum designant scientiam Scripturarum, fidemq. mysteriorum, qua patet ad cælos aditus. Sic Origenes aliique eas intellexerunt.

Resp. Metaphora illa plane designat regni potestatem et arbitrium, uti liquet ex iis quæ adduximus locis parallelis. Nec Origenes alias explicuit Christi verba, nam de iis non agit, dum clariores quosdam Scripturæ textus obscuriorum veluti claves exhibet; ex Judæi cujusdam sententia, in præfatione suæ ad Psalmos Commentationis.

Obj. 7. Quæ de ligandi et solvendi potestate adjunxit Christus, Apostolis omnibus postea dixit.[1] Ergo nulla specialis potestas Petro est concessa: nam de aliis etiam dicta intelligenda sunt quæ præcesserunt: "Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur: et tibi dabo claves." S. Ambros.[2]

Resp. Petro soli leguntur dicta: "Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum;" quibus verbis ipse præ cæteris fundamentum, quo semper ædificium sustentatur, et claviger, qui regnum summo jure administrat, declaratus est. Ipsa ratio eum alloquendi, eique promittendi potestatem ligandi et solvendi, cæteris simul postea promissam, ostendit ei peculiari et ampliori ratione competere; singulariter scilicet eam obtinuit auctoritatem, quæ Collegio Apostolico est data. Quod autem S. Ambrosius de cæteris explicet quæ Petro soli de clavibus dandis sunt dicta, intelligendum est lato quodam sensu, de Apos-

(1) Mat. xviii. (2) In Ps. xxxviii.

tolica scilicet auctoritate ipsis etiam tradita, quamvis aliis verbis, et capite illis constituto, ut schismatis tolleretur occasio. Profecto Ambrosius alias dicit: "Primatum non accepit Andreas, sed Petrus."[1]

Obj. 8. Verba illa Mat. xvi. dicta sunt Petro, personam gerenti totius collegii Apostolici et Ecclesiæ. Sic affirmant Patres, inter quos Augustinus. "Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit."[2]

Resp. Ex Evangelista patet Petro soli dicta esse Christi verba, eumque specialiter beatum prædicatum ob revelationem sibi a Patre cœlesti factam. Patres qui eum Ecclesiæ gessisse personam dicunt, "propter Apostolatus sui primatum," uti Augustinus supra nos docuit, id sustinuisse muneris eum intelligunt, et ad omnium utilitatem et salutem potestatem adeo amplam accepisse.

Obj. 9. Verba Christi in cœna tantum innuunt Petrum post negationem debere suum lapsum reparare, alios in fide confirmando: "et tu aliquando conversus confirma fratres tuos." Nihil hic de suprema potestate, quam veteres patres nequaquam hic subodoraverunt, Chrysostomus enim, ut alios sileamus, de Petri negatione eo loci agi tradidit.

Resp. "Intelligentia dictorum ex causis desumenda est dicendi." De primatu fuerat inter Apostolos contentio: regnum se tradere dixit Christus, sed omnem fastum mundanum, et ambitionem, et dominandi libidinem procul esse jussit.[3] Dum igitur Petrum de dæmonis in omnes Apostolos furore monet, et de oratione pro ipso specialiter fusa, facit certiorem, ipsique confirmandi fratres officium injungit, æquum est ut id de munere quod ad aliorum regimen pertinet intelligamus. Pulchre S. Leo: "Specialis cura Petri a Domino suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur: et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur. * * * Gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Jesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu confirma fratres tuos."[4] Quod nonnulli Patres lapsum Petri innui putarent, ex verbis illis quæ præcedunt: "tu aliquando conversus," factum est: sed Hebraismum latere docti homines, inter quos Grotius, animadverterunt, repetitionem scilicet actus Hebræi convertendi verbo designant: "Deus tu conversus vivificabis nos."[5] Rectius igitur vertitur: "Tu quoque olim vicissim fratres confirma." (Grotius.) Cæterum illa Patrum quorumdam interpretatio nequaquam pug-

(1) S. Amb. in c. xii. Ep. II. ad Cor.
(2) Aug. tract. L. in Joan.
(3) Vide Criticor. Sac. Syn. Bezam laudantem.
(4) Serm. III. de Assumpt. sua ad Pontif.
(5) Ps. 84–7. Vide criticos sacros in loc.

nat cum illa quam ex S. Leone dedimus, nam et pro fide Petri oravit Christus ne penitus deficeret, quo pacto contigit ut post negationem crimen pœnitentia diluerit, eique jussit ut confirmaret fratres, quod esset deinceps eorum caput et Pastor, vices sui Domini in terris gerens: "Quid ergo incongruum," rogat Augustinus, "si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiae; sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est rector illius Synagogæ?"[1]

Obj. 10. Joannis xxi. capite, ovium et agnorum cura Petro commissa post amoris professionem ter factam, tantum indicat pastorale munus, cæteris Apostolis commune, ei tradi. Ideo autem discrimen factum videtur ovium ab agnis, quod infirmorum in fide et fortium sit cura suscipienda. Amoris autem specialis præ cæteris professio exacta est, quod triplicem negationem hac ratione oporteret diluere, prout intellexerunt Patres.

Resp. Speciale munus, ampliusque Petro tradi liquet ex speciali dilectione quæ exigebatur, ex ter repetito mandato, variata voce pascendi, et regendi, instar pastoris, et ex agnorum oviumque facto discrimine. "Dicit ei Jesus, pasce oves meas. Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit, igitur, Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres: regit subditos, regit et Prælatos. Omnium, igitur, pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est." Ita S. Eucherius Lugdun.[2]

Obj. 11. Cura Judæorum, ad quos specialiter missus est Christus, Petro illis verbis est commissa, quapropter Paulus gentes sibi æquo jure, ac Judæos Petro, dicit concreditas.[3]

Resp. Nullo discrimine omnes oves Christi Petro commissas liquet, uti jure optimo animadvertit S. Bernardus. "Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil."[4] Quod autem Paulus Judæos Petro concreditos dicat, ipsi gentes, intelligendum necessario est de muneris Apostolici præcipuo exercitio, constat enim Petrum Cornelium aliosque ex gentibus in Ecclesiam excepisse,[5] et Paulum etiam concivibus suis annuntiasse aliquando Evangelium.

Obj. 12. Apostoli leguntur misisse Samariam Petrum et Joannem:[6] inferiorum autem non est præsulem suum mittere. Petrus rationem de exceptis in Ecclesiam gentibus cætui fratrum reddidit,[7] quod vix decuisset eorum rectorem. Alloquitur autem sacerdotes seu Episcopos, ipse Compresbyter.[8]

Resp. Vox *mittendi* quandam latitudinem patitur, dicimur enim mittere,

(1) l. 22 contra Faustum c. 65.
(2) Serm. in Vig. SS. Ap. Petri et Pauli.
(3) Gal. ii. 7.
(4) l. II. de consider. c. 8.
(5) Act. x. xv. 7.
(6) Act. viii. 14.
(7) Act. xi.
(8) I Petr. c. v.

quem precibus, vel consilio, ad eundum urgemus et inducimus. Igitur ex vocis ambiguitate validum haberi non potest argumentum, quum plurima suppetant haud dubia superioris potestatis documenta: nam in omnibus rebus gestis ad fundandam Ecclesiam conspicuum se exhibuit, tamquam cæterorum dux et princeps.[1] Quod autem de sua agendi ratione responderit Judæorum querelis, ex benignitate, et eorum salutis studio contigit, nec enim eos se superiores, nec jus eum conveniendi in iis agnovit. Ex eadem animi mansuetudine factum est, ut se Compresbyterum diceret, eo ipso loco quo tamquam iis præpositus eos sui monebat muneris, pascendi sibi commissum gregem, suo docens exemplo quod et præcepit, ab omni dominandi in portionem dominicæ hæreditatis quæ iis contigerit, alienos esse debere Ecclesiæ pastores. Dignitatem principis Apostolorum in ea Epistola miratus est Grotius.

Obj. 13. Paulus refert se Antiochiæ palam restitisse Petro, utpote reprehensione digno in sua se gerendi erga gentes ratione,[2] eum post Jacobum nominat,[3] et post fratres Domini.[4]

Resp. De Petro iis locis agi non constat:[5] ne autem videamur studio

(1) Apostolorum concessioni, cujus nullum in Scripturis vestigium, id tribuit Calvinus: "Videmus Apostolos hoc fere Petro detulisse, ut in cœtu verba faceret, et quodammodo præiret, referendo, hortando, monendo." l. iv. Inst. c. 6. § 5.

(2) Gal. ii. 11.

(3) Ibid. v. 9.

(4) 1 Cor. ix. 5.

(5) Cepham a Petro distinguendum, et illum fuisse ex septuaginta discipulorum numero docuit Clemens Alex. in libro hypotyposeon quem memorat Eusebius, l. 1. c. 12. Fuerunt omni sæculo quibus hæc arrideret distinctio, sed plerisque idem visus est. Haud diffitemur nos in paucorum opinionem propendere, quod nulla videatur ratio mutati nominis in eadem epistola; quum enim Græco vocabulo semel designatus sit, nescimus cur Syriace postea appellatur. Præterea aut ante Concilium, uti censet Hales, post Basnage, aut post Concilium, uti plerisque visum est, contigit Cephæ increpatio. Si ante Concilium publice redarguisset Paulus Petrum Antiochiæ de legalium affectata observantia, cum gentium injuria, res videretur adeo celebris, ut nullus foret amplius controversiæ de rituum Mosaicorum gentibus imponendorum necessitate locus, nec facile relata fuisset ad ipsum Petrum, Hierosolyma reversum, et inter Judæos, sententiam suam prolaturum: nec verosimile est Petrum nihil de re adeo gravi in Concilio innuere voluisse, ut quas ob rationes mutasset sententiam, et agendi rationem, exponeret. Si post Concilium, judicium tum Hierosolymis, tum Antiochiæ, statim innotuit, et quid censuerit Petrus omnibus erat exploratum. Nulla igitur fuit ratio cur dissimularet: Judæi quippe et Gentes norant jam quid in concilio egerat. Cave tamen cum plerisque anno post Concilium eum a Paulo reprehensum putant. Tota agendi ratio Petri erga Judæos, quos de exceptis gentibus ad fidem jam edocuerat, divina visione declarata, vehementerque in Concilio postea redarguit quod vellent jugum haud ferendum iis imponere, nobis persuadet eum a Cepha illo dissimulatore esse distinguendum. De tota re dicendum putamus, quod animadvertit Bloomfield ut ostendat post Concilium Petrum in tantam dissimulationem haud incurrisse: "Nothing but the most undeniable evidence could induce us to suppose what would otherwise subject the noble-minded and straight forward Apostle to the charge of the most glaring inconsistency of conduct

studio primatus vindicandi, a recepta discedere opinione, esto ipsum esse Cepham cui restitit Paulus: monitio vel increpatio alteri facta non est semper argumentum superioris vel paris auctoritatis, licet enim et superiorem a veritatis via aberrantem, vel minus caute se gerentem monere, ne suo exemplo aliis sit offensioni. Hinc scribit S. Augustinus, "Petrus quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit."[1] In versione Alexandrina, uti Grotius adnotat, Cephas Jacobum v. 9. præcedit. Locus autem honoratior in objecto testimonio ad Corinthios tertius videtur. Præclarum primatus indicium præbet Paulus se ad videndum Petrum iter Hierosolymitanum suscepisse referendo, et per quindecim dies apud eum moratum.[2]

Obj. 14. S. Cyprianus: "Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio præditi, et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur."[3] Ergo Petrus mera honoris prærogativa gaudebat.

Resp. Non id sequitur ex Sancti doctoris verbis, nam totus est ut unitatem Ecclesiæ statuat, cui Christum consuluisse dicit primatum Petro dando: ei autem consultum non fuisset solo honore, et gradu præcipuo, nam homines nonnisi auctoritatis exercitio in unum corpus coalescere possunt. Ideo autem affirmat cæteros Apostolos pares fuisse honore et potestate, quod Apostolicum munus omnibus foret commune, nec Petrus ad altiorem Apostolico gradum fuisset evectus, sed in Apostolatus culmine constitutus ut unitas servaretur. Dedit Christus Petro potestatem quam aliis deinceps communicavit, ut intelligeretur illi singulari modo impertita, quamvis aliis etiam foret exercenda, salvo tamen ipsius jure præcipuo ad unitatis conservationem. Quæ igitur omnibus data est, in solidum omnibus est exercenda ut idem Christus in omnibus regat suum gregem, omnesque oves in unum congreget ac pascat. Extra unitatem, juxta Cyprianum, nullum valet potestatis illius exercitium: ideoque tantopere effert illam Ecclesiæ dotem: "Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una, super Petrum Domini voce fundata."[4]

with his own doctrines." Bloomfield in Act. xv. ii. Vide Feller dict in Cephas, qui citat Harduinum, Kerkherdere *Conatus novus de Cepha reprehenso*, Lovanii an. 1713, Molkenbuhr scripturo-critica dissertatio: Quod Cephas, quem Paulus Gal. 11. redarguit, non sit Petrus Apostolus. Monasterii Westphal. 1803 edit. 11. Binterim, art. Pabst. p. 19. drit. band. Addam Clementem Romanum ad Corinthios scribentem, memorare Paulum ad eos de seipso, et Cepha, et Apollo scripsisse, quin eum Petrum esse significet, quem alias nominat. Confer § v. and xlvii. Videtur Cephas fuisse discipulus paulo elatior, qui Corinthi, ubi non constat Petrum fuisse unquam, dissidiis præbuit occasionem, sicut et Antiochiæ. Hæc quæ nobis videntur sapientiorum relinquimus judicio, libertate in re dubia usi.

(1) Ep. 82 ad Hier. 22.

(2) Gal. 1. 18.

(3) l. de unit. Eccl.

(4) Ep. xl.

Obj. 15. S. Ambrosius. "Nec Paulus inferior Petro,"[1] et "Hic, ubi audivit, 'vos autem quid me dicitis?' statim loci non immemor sui, primatum egit, primatum confessionis utique, non honoris, primatum fidei, non ordinis."[2]

Resp. Primo loco de merito virtutis agit S. Ambrosius. "Separate, inquit, mihi, Paulum et Barnabam. Videtis jubentis imperium, spectate merita servientium. * * * Itaque Sancti Spiritus electus imperio, quod ei ad omne redundabat insigne meritorum, non fuit tanto indignus collegio. Una enim gratia fulgebat in his quos Spiritus unus elegerat. Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, et hic sapiens architectus sciens vestigia credentium fundare populorum. Nec Paulus, inquam, indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus, et nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem." Liquet de meritis esse sermonem, Petri autem servari privilegium, quod primus sit, et fundamentum Ecclesiæ. Alio in loco S. Ambrosius animadvertit quod dum variæ enarrarentur de Christo opiniones, tacuerit Petrus, quem idcirco sic alloquitur: "Taces ergo, Simon, et respondentibus aliis adhuc taces, cum ipse sis primus * * * Hic ergo qui ante reticebat, ut doceret nos quod impiorum nec verbum debeamus iterare: hic, inquam, ubi audivit: 'vos autem quem me esse dicitis?' statim loci non immemor sui, primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris, primatum fidei, non ordinis; hoc est dicere: Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes sunt, debeo compensare quod tacui, debet prodesse quod silui." Non, igitur, eo loci agit Ambrosius de primatu quem Petrus assecutus est, ad pastorale totius gregis munus post resurrectionem evectus: sed laudat studium et fervorem animi cum fide eximia, qua primus jam Apostolorum, quamvis non adhuc cum tanta potestate, sui muneris partes sustinuit, non ambiendo honorem, vel gradus dignitatem asserendo, sed omnes præcedendo fidei de Christo Deo professione.

Obj. 16. Apostoli a Spiritu Sancto edocti non indiguerunt capite, seu principe, quo regerentur.

Resp. Regimen Ecclesiæ Apostolorum causa non est institutum; sed ut, doctrinæ integritati, et Ecclesiæ ipsius unitati consuleretur. Speciale illud Spiritus Sancti lumen, una cum plenitudine potestatis ubique terrarum exercenda, Apostolis concessum, singulis per orbem sui muneris exercitium facilius reddebat, sed non ideo capitis regimen erat superfluum, præsertim quum alii ad Episcopatum evecti essent, qui duce rectoreque indigebant. Illud porro regimen ab initio statui oportebat, quod per omnia perduraret sæcula, ideoque princeps erat constituendus.

Obj. 17. Petrus primus inter pares ex animi fervore extitit, quin speciali aliqua auctoritate fungeretur, nisi ex tacito saltem cæterorum consensu. Ita Calvinus.

(1) l. ii. de Spir. S. c. ult. (2) l. de Incarn, c. iv.

Resp. Verba Christi eum petram qua nitebatur Ecclesia, pastorem ovium, et agnorum, præsulem cujus esset confirmare fratres demonstrant. Ergo non ad animi indolem, nec ad aliorum consensum referenda est ea quam exercuit authoritas. Jure plane divino, ex Christi Domini concessione, primatum habuit.

C. VI. DE SEDE ROMANA.

Statuto primatu Petro a Christo collato, de Sede cui eum veluti alligavit agendum est. Eum Romanam fundasse Ecclesiam, ibique martyrium subiisse magno consensu veteres omnes testantur, adeo ut Cave, Anglicanus licet, id fateatur. "Petrum Romæ fuisse, sedesque in ea aliquandiu tenuisse, cum toto antiquorum cætu intrepide affirmamus."[1] "Laxiori quidem sensu (ita loquitur vir eruditus, suæ sectæ studens) Romanum Episcopum dici posse, quatenus hujus Ecclesiæ fundamenta posuit, eamque martyrio suo illustrem reddidit, mecum, opinor, fatebuntur omnes tam veteres quam recentiores."[2] Ipse Calvinus propter Scriptorum consensum Petrum Romæ mortuum esse haud negavit.[3] Cæterum sunt qui, post Marsilium Patavinum a. 1327 damnatum, adventum Petri Romam in dubium vocare non vereantur. Attamen ut verbis Cave utamur, "testes damus omni exceptione majores, ex ultima antiquitate petitos; Ignatium Antiochiæ Episcopum, S. Petri discipulum, certe in sede Antiochena successorem, in epistola ad Romanos, Papiam Hierapolitanum, S. Joannis Evangelistæ, saltem Presbyteri, auditorem apud Euseb. l. 2. cap. 15, p. 53. Irenæum Lugdunensem, virum Apostolicorum temporum, S. Polycarpi discipulum, adv. hær. l. 3. c. 1 p. 229 c. 3 p. 23. Dionysium Corinthium apud Euseb. l. 2. c. 15 Tertullianum de præscrip. c. 36 p. 215. de Bapt. c. 4. p. 215. Scorpiac. c. ult. p. 500. Cajum Presbyterum Romanum, magni nominis virum Ecclesiasticum ap. Euseb. l. 2. Origenem t. iii. in Gen. ap. Euseb. l. 3. c. 1.

Petrum Episcopum fuisse Romanum longe plures ex Acatholicis negant, sed verbis plerumque ludere videntur, pugnare enim dicunt cum Apostolico munere urbis unius solicitudinem. Cæterum nemo est qui Petrum censeat Apostolico muneri renuntiasse, vel ejus neglexisse officia ut diœcesis unius limitibus se contineret: liquet tamen eum Cathedram Episcopalem Romæ fundasse, quam eo defuncto Linus occupavit. S. Cyprianus idcirco sæpius vocat Sedem Romanam Petri cathedram. Sic de Schismaticis querens dum ad Cornelium scribit, ait: "Navigare audent ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est."[4] S. Op-

(1) Sæc. Apost. S. Petrus.
(2) Ib. § xi.
(3) l. iv. Inst. c. vi. p. xv.
(4) Ep. 55. ad Cornelium.

tatus Milev.: "Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse constitutam, in qua sederit omnium Apostolorum caput."[1] S. Aug. "Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit?[2] Leves omnino sunt difficultates quas rei tot tantisque documentis probatæ objiciunt. Omnes ad *negativum* argumentum reducuntur, quod scilicet de Petri Romam adventu siluerit S. Lucas, et quod S. Paulus ad Romanos scribens eum non salutet, et ex urbe ad alios scribens, nullam ipsius facit mentionem. Quoties *positiva* ut aiunt, suppetunt testimonia, illud argumentandi genus parum valet, nam Lucas non omnia suscepit narranda, sed res præcipuas quæ a fundata Ecclesia usque ad Saulis conversionem evenerunt, et plura deinceps quæ ipsum conversum respiciunt. Quum Petrus sæpius Roma abesset, universo gregi prospiciens, mirum non est eum in Pauli epistolis haud salutatum, vel haud salutantem induci: ut interim sileamus de plurimis aliis rationibus ob quas eae omitterentur salutationes.

Chronologia quidem non adeo innotescit, ut tempus adventus Petri, vel spatium per quod Romæ sedit, accurate definiamus: quod contigit vel ex eo quod itineribus aliquando susceptis, reditus potius quam adventus ab aliquo Scriptore referatur, vel ex aliis tot capitibus quibus sæpius turbatur temporum ratio. Cæterum nulla prorsus inde nascitur causa dubitandi de Apostoli Romam itinere, "ubi Petrum fuisse," uti adnotat Grotius, "nemo verus Christianus dubitavit."[3] S. Hieronymus dicit: "Petrus Romam venit anno Claudii secundo —— ibique viginti quinque annis Cathedram tenuit usque ad ultimum Neronis annum."[4] Paulus Orosius: "Exordio regni Claudii Petrus Apostolus Romam venit."[5]

PROPOSITIO.

Episcopus Romanus, tamquam Petri successor, jure divino habet primatum jurisdictionis, estque centrum unitatis.

Probatur Ex totius antiquitatis testimonio et fide.

S. Irenæus, hæreticis occultam quandam dogmatum quæ propugnabant jactantibus traditionem, nullo idoneo probatam documento, vel teste, publicam fidem et traditionem Ecclesiarum quas Apostoli fundarunt, opposuit;[6] "Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire, et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt

(1) L. 2 contra Parmenianum.
(2) L. 2 contra litteras Petiliani Donat. c. 51.
(3) Comm. in 1 Petri ep.
(4) Hier. l. de viris illustr. in Petro.
(5) l. vii. hist. c. h.
(6) l. iii. adv. hær. c. 3.

quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii trædentes, quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio. Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit: succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco[1] Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos Apostolos, et contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, et traditionem ante oculos haberet. Non solus enim, adhuc multi supererant tunc ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia, potentissimas[2] litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab Apostolis receperat traditionem. * * * Huic autem Clementi successit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit, ac deinceps Hyginus; post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione et successione ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, et veritatis præconiatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate."

Pretiosum hoc vetustæ fidei monumentum lectoribus exhibemus ut mens sanctissimi scriptoris prorsus pateat. Quod ad rem nostram nunc pertinet, Romanam Ecclesiam ab Apostolis Petro et Paulo fundatam plane asserit Irenæus, et Episcoporum seriem ad suum usque tempus deducit, et Eleutherium duodecimo loco ab Apostolis statuit. Jam verò quod utrumque

(1) Decst ab, uti liquet ex textu Græco relato ab Eusebio l. 5, hist. c. 6.

(2) ικανωτάτην γραφην epistolam occasioni maxime idoneam.

nominet Apostolum non officit, in comperto quippe est utrumque in fundanda illa Ecclesia laborasse, quapropter et episcopi ejus dicti sunt ab Epiphanio:[1] quod si urgeatur, quam habuerunt potestas in eorum successore agnoscenda erit. Cæterum Petrum speciali titulo Episcopum illius Ecclesiæ fuisse tota agnovit antiquitas Christiana, quapropter "locus Petri,"[2] "propria sedes,"[3] "cathedra Petri,"[4] "sedes Roma Petri"[5] passim celebratur. Quum igitur Petro primatus sit concessus ad fidei et regiminis unitatem tuendam, Episcopus Romanus qui ejus tenet locum, eodem gaudeat necesse est. Id tradit aperte Irenæus Ecclesiæ Romanæ potentiorem principalitatem tribuens; quod enim eam de urbis civili præeminentia explicare velint Protestantes, vim manifestam textui infert, quum de Ecclesiæ privilegiis, haud de urbis principatu disserat, et rationem adjungat quæ civili principatui non potest ullatenus congruere. Ridendos se præbent qui fideles Romam adire debere, tamquam imperii sedem, contendentes, argumentum Irenæi inde derivari putant quod traditio omnium undequaque hac ratione innotuerit: quum pateat vim totam argumenti respicere traditionem ab Apostolis per Episcopos pervenientem, quam in Romana Ecclesia, cum qua omnes undequaque Ecclesiae necessario *conveniebant*, servari integram, et ab omnibus agnitam, demonstrat. Qui *convenire* pro itinere Romam peragendo accipiunt, vehementer falluntur, nec enim ob urbis amplitudinem, vel ob Ecclesiæ ipsius dignitatem, unquam necesse fuit ut fideles undequaque Romam irent, nec Irenæus ad urbem eundum dicit, sed *ad Ecclesiam convenire*,[6] interprete Latino Hellenismum servante, quo intima conjunctio et consensio fidei significatur. Qui vocem "undique" ad Ecclesias in urbis veluti circuitu positas restringere volunt, haud attendunt voces amplissimas ab Irenæo adhiberi: "omnem Ecclesiam" "hoc est, eos qui sunt undique fideles."[7] Rem illustrat adducto exemplo Clementis qui Corinthiorum fidem reparare studuit, Ecclesiæ Romanæ traditione. Quamvis autem Irenæus auctoritatem hujus Ecclesiæ urgere non videatur,

(1) Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πετρος καί Παῦλος οἱ Αποστολοι αὐτοῖ καὶ Επίσκοποι, ἔιτα λινος, Adv. Carpocrat. hær. 27. n. 5.

(2) S. Cypr. ep ad Antonian.

(3) S. Petrus Chrys. l. adv. Eutych.

(4) S. Hier. ad Damasum.

(5) S. Prosper in carm. de ingratis.

(6) Verosimile est sic scriptum in textu, qui jam non extat: γαρ προς την ἐκκλησιαν ταυτην δια τὸ ὑπερτερον πρωτεῖον δει πασαν ἐκκλησιαν συμβαινειν τουτο ἐστι τους παντοθεν οντας πιστευοντας. Salmasius fatetur Irenæum significare necesse esse "convenire et concordare in rebus fidei cum Ecclesia Romana." De primatu Pap. c. 5. p. 65 ed Lugd. Bat. 1645.

(7) Queritur White "ubique" a Catholicis substitutum ut vocis ampliaretur significatio, sed voces amplissimæ eam jam determinant. In codices igitur referenda est varietas. Quæ de conveniendi sensu dicit, ex contextu refelluntur, totus enim est Irenæus ut hæreticos traditionis concordia obruat. White Diss. 2. on the Catholic church, p. 227.

tamquam judicio summo omnem controversiam dirimente, scribebat quippe contra hæreticos qui eam non facile excepturi erant, traditionis vim inde ostendit, quod quum in Sede Romana Apostolica successio plane fuerit servata, et quum omnes per orbem fideles consentientes haberet, quippe ad quam omnes propter eximiam potestatem fide accedere, et communione conjungi necesse habuerunt, ea quam prædicat traditio certissimum præbuit universalis traditionis ab Apostolis derivatæ argumentum. Igitur duplici ratione rem conficit illustris ille scriptor, Episcoporum ab Apostolis serie non interrupta, et concordi per orbem Ecclesiarum cum Romana, membrorum cum capite, consensione, innixus, quia, ut sæpius tradit "Ecclesia universa unam et eandem fidem in toto orbe habet."[1]

Tertullianus, Montanista jam factus, queritur veluti irridendo de venia ab Episcopo Romano mœchis pœnitentibus solemni promissa edicto: "Audio esse edictum propositum, et quidem peremptorium: Pontifex maximus quod est Episcopus Episcoporum edicit: Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto."[2] Inde liquet Romanum Episcopum summam sibi vindicasse jam eo tempore potestatem, videtur enim Episcopum se Episcoporum enuntiasse, quem titulum Tertullianus, in invidiam ut adducat, Pontificis maximi, apud Ethnicos usurpati significationem præseferre interpretatur, consueta scilicet illi scribendi ratione, quam vocant ὑστερον πρότερον verboram invertitur ordo.

S. Hieronymus: "Ego Beatitudini Vestræ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio."[3] Agnoscit igitur Damasum potestatis supremæ Petro commissæ hæredem, adeo ut si quis ejus communionem declinaret, instar hominis extra arcam, periturus foret.

S. Augustinus: "In Romana Ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus."[4] Et: "Me apud Cæsaream presente venerunt, quo nos injuncta nobis a Venerabili Papa Zosimo Apostolicæ sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas traxerat."[5]

Theodoretus: "Habet enim sanctissima illa sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum multis nominibus."[6]

S. Athanasius in Ep. ad Felicem Papam: "Ob id vos, prædecessores que vestros, Apostolicos videlicet præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis."

"S. Leo M. "Ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis, et

(1) τῆς οὔσης ἐκκλησιας πάσης μίαν καὶ τὴν αὐτὴν πίστιν ἐχεσης ἐις πάντα τον κοσμον l. 1. c. 4.
(2) Tertull. l. 1 de Pudicitia.
(3) Epist ad Damas.
(4) Aug. ep. 43, alias 162 ad Glorium.
(5) Ep. 190 alias, 157 ad Optatum.
(6) Ep. 116 ad Renatum Presb. Rom.

regia, per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena."[1]

S. Prosper, in Carm. de ingratis:

> "Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
> Religione tenet."

Prob. 3. *Ex Conciliis Œcumenicis*, in quibus et primatus jura exercebantur, et prædicabantur. Conc. Nic. I. can. vi., prout in Chalcedonensi, Act. xvi., nemine contradicente lectus est: "Ecclesia Romana semper habuit primatum." Conc. Sardicense, quod veluti appendix Nicæni solet haberi, in Epist. Synodica ad Julium Pont. Rom.: "Hoc optimum et valde congruentissimum esse videbatur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini sacerdotes." In Ephesino an. 431, Act. III. Philippus, Cælestini legatus, dixit nemine reclamante: "Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet." In Chalcedonensi an. 451, Paschasinus Legatus dixit: "Bmi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, qui est caput omnium Ecclesiarum,[2] præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus *(Alex. Patriarcha)* non sedeat in concilio." Lucentius, Vicarius Sedis Apostolicæ, dixit: "Judicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, et synodum ausus est facere sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod numquam factum est, nec fieri licuit."[3]

Ipsum Concilium passim vocat Leonem universalis Ecclesiæ pontificem, et ad ipsum scribens ait. "Rogamus, igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat."

Liquet pleraque vel omnia Concilia Œcumenica a Pontificibus Romanis fuisse convocata, vel rogatu eorum, vel prævio eorum assensu, uti ex testimonio supra recitato Lucentii necessario fiebat. Ejus auctoritas certo requirebatur ut Ecclesiasticis decretis robur esset; ideo objicit Socrates Antiocheno Arianorum conciliabulo quod ea deesset. "Nec Julius Romæ

(1) Serm. 1. de Nat. Ap.

(2) Act. 1. c. 68. tom. II. Col. Hard. κεφαλῆς ὑπάρχοντος πασῶν τῶν ἐκκλησιων.

(3) τῆς ἰδίας κρίσεως λόγον ἀποδοτω προσωπον γὰρ ἤρπασε του κρίνειν ὅπερ οὐκ ἐκέκτητο; καὶ σύνοδον ἐτόλμησε ποιῆσαι ἐπιτροπῆς δίχα του ἀποσολικου θρόνου, ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν, οὐδὲ ἐξον γενέσθαι. Ib.

Episcopus adfuit, neque quemquam qui ejus locum suppleret, eo misit: cum utique Ecclesiasticus canon jubeat, non oportere absque Romani Episcopi sententia decreta Ecclesiis sancire."[1] Eis præfuisse pontifices saltem per legatos, qui, etsi aliquando simplices forent sacerdotes, vel inferioris ordinis, ante patriarchas Antiochenum et Alexandrinuum subscripserunt, ex actis constat. Confirmatio autem decretorum quæsita est, et tributa vel denegata, prout e re Ecclesiæ esse videbatur. Hæc certe sunt primatus splendidissima documenta.

Prob. 4. *Ex perpetuo Primatus exercitio ubique per totam Ecclesiam.* S. Clemens I. scripsit ad Corinthios potentissimas litteras, testante Irenæo, ut eos ad unitatem revocaret, sibi quippe præpositos vi dejecerant et expulerant: quamvis autem nomine Romanæ Ecclesiæ scriptæ sint, liquet Clementem nomine Ecclesiæ, tamquam Episcopum ex Cleri sui consilio, scribere, sua tamen auctoritate, nam Ecclesia censebatur in Episcopo esse. Eam tamen prædicare non libuit, sed, pro benignitate et suavitate Evangelii, animos ad concordiam variis adducere rationibus. Cæterum quum adhuc Joannes Apostolus esset in vivis, nulla occurrit ratio, cur Clemens Episcopus Romanus ad Corinthios scriberet; præter omnium Ecclesiarum, quæ ei incumbebat, solicitudinem. S. Victor Sæculo II. concilium Episcoporum Palestinæ convocare Theophilo Cæsariensi Episcopo præcepit, de Paschatis tempore, et minatus est ab Ecclesia abscindere Polycraten Ephesinum, aliosque Episcopos eo quo Judæi die pascha celebrantes. Quod si Irenæo aliisque durius agere visus sit, potestas tamen quam in longinquas Ecclesias exercebat, non fuit in dubium revocata. Vide res gestas apud Eusebium hist. Eccl. Sæculo III. S. Stephanus Episcopos Africanos, et Asiaticos, iterum baptizare volentes eos qui ab hæreticis baptismum susceperant, anathematis intentatis minis, ab ea agendi ratione abstinere jussit. Restiterunt quidem Cyprianus, aliique Episcopi, eo quod arbitrio suo Pontifex videretur agere, sed victrix mansit veritatis et auctoritatis causa.

Causæ fidei semper ad Episcopos Romanos consueverunt deferri. Sic Origenes errorum incusatus fidei professionem Romam misit.[2] Dionysius Alexandrinus patriarcha in suspicionem adductus, sed judicio Pontificis absolutus est. Hostes ejus "Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum præsulem accusaverunt."[3] Nestorius verò a Coelestino damnatus, nisi intra decem dies errorem abjiceret, anathemate percussus est ab Œcumenico Ephesino Concilio, vi pontificiæ sententiæ.[4]

(1) l. 2. hist. Eccl. c. 5.
(2) Euseb. hist. vi. 14. 36.
(3) S. Athan. de sent. Dionys. Alex. et de Synodo Nicæna.
(4) Conc. Col. Hard. t. I. col. 1462.

Præsules principum Ecclesiarum, Antiochenæ scilicet et Alexandrinæ, coram Episcopo Romano judicabantur, absolvendi vel damnandi pro causæ merito. Sic Athanasius a Julio est absolutus, in irritum missis quæ contra eum decreverant Conciliabula Arianorum, etsi patriarcha Antiochenus ex eorum parte staret.[1] De Antiocheno Episcopo Joanne affirmavit Juvenalis Hierosolymitanus in Conc. Ephesino eum debere accurrere ad Apostolicam sedem magnæ Romæ, "præsertim cum apud illam sedem Antiochenæ ipsi sedi, ex Apostolico ordine et traditione, mos sit dirigi, et apud ipsam judicari."[2] Dioscorum Alexandrinum sua auctoritate vetuit Leo ne Synodum Chalcedonensem ingrederetur.[3]

Damnati a Synodis in quacumque orbis parte veniam a Pontifice consecuti sunt, cujus sententia est rata habita a Conciliis ipsis, etiam quando Pontificem deceptum putabant. Paulus Cpolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, Lucius Adrianopolitanus, a Julio absoluti sunt,[4] Eustathius Sebastenus a Liberio; refert autem S. Basilius Eustathium in Synodo Tyana exceptum, quod Pontificis litteris esset munitus, quamvis eum Pontifici illusisse existimarent Patres."[5]

Prob. 4. *Ex Constitutione ipsius Ecclesiæ.* Ecclesia prout a Christo constituta, est instar domus in petra extructæ, corporis cum capite, ovilis sub pastore: ergo semper extat fundamentum, caput, pastor, rector. Nullus autem alius Episcopus verosimili aliqua ratione primatum sibi vindicare potest, præter Romanum, Petri successorem. Ergo ille censendus est primas Ecclesiæ.

Ex ipsa serie Pontificum, mirabili prorsus ac manifesta Dei providentia per tot sæcula servata, argumentum habetur haud exigui momenti ipsam esse petram quam non vincunt inferorum portæ, uti animadvertit Augustinus. Quemadmodum igitur Christianam Religionem divinam esse ex mirabili ejus conservatione per tot sæcula argumentamur: ita, et Pontificiam potestatem divinitus concessam et servatam licet pari ratione argumentari.

Obj. 1. Victor nullam sibi in Polycraten Ephesinum, vel alios Asiæ Episcopos vindicavit potestatem; sed jure quo unusquisque fruebatur, communionis fraternæ consortium aliis ex causa denegandi, usus est: quod tamen temere factum censuit Irenæus, acriter idcirco in eum invectus, idque caruisse effectu liquet ex historia, nec enim a communione Ecclesiæ habiti sunt Episcopi Asiatici extorres.

Resp. Ex historia Eusebii, et epistola Irenæi, patet Victorem summo

(1) Vide Epist. Julii ad Orientales.

(2) Conc. Eph. act. iv.

(3) Conc. Chalc. Act. 1.

(4) Socrat. l. II. hist. c. xi. Sozomen l. iii. hist. Eccl. c. vii. Vide etiam Athanas. Ap. 2. p. 397.

(5) S. Bas. ep. 74.

veluti jure Asiaticos abscindere voluisse ab Ecclesiæ universalis communione. Eusebius rem sic refert: "His rebus adductus Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias cum aliis finitimis, tamquam alterius fidei et opinionis,[1] simul omnes a communi unitate Ecclesiæ amputare conatur, et in eos per literas graviter invehitur: atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem, prorsus a communione secludendos edicit." * * * "Verum ista cæteris omnibus parum placebant Episcopis. Illum, igitur, contra magnopere adhortabantur, ut pacis, concordiæ, et charitatis erga proximos diligentem curam haberet. Quorum verba, utpote Victorem acrius et acerbius coarguentia, adhuc extant. Inter quos Irenæus, quamquam per literas scriptas ex persona fratrum in Gallia, quibus præerat, tradit mysterium resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc monet, videlicet ne tam multas Ecclesias omnino, propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatæ observationem, a corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputet."[2] Liquet potestatem abscindendi Ecclesias Orientales a corpore universæ Ecclesiæ sibi tribui a Victore, nec ab aliis in quaestionem vocatam, quamvis plures cum ipso in paschatis observatione concordes, rem haud putarent urgendam cum tanto unitatis ac pacis dispendio. Precibus Irenæi aliorumq: motus stetisse intra minas censetur a pluribus.[3] Hac de causa Asiatici non habebantur a communione alieni. Si alicui videantur reapse anathemate percussi, Victorem mitius deinceps sensisse dicendum est, et censuram amovisse: constat quippe preces Irenæi non fuisse irritas.

Obj. 2. Cyprianus Episcopos omnes eadem omnino auctoritate in Ecclesia gaudere docet: "Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur."[4]

Resp. Ex contextu sermonis, et scopo totius operis liquet de pari Episcoporum auctoritate non agi, sed de unitate et concordia Episcopatus et Ecclesiæ: præcesserant quippe verba hæc: "quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus." Ideo igitur in solidum pars Episcopalis auctoritatis ab unoquoque Episcopo teneri dicitur, quia omnibus Episcopis idem statuitur auctoritatis exercendæ finis ut "plebs una in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata" exhibeatur. Si hac occasione jura paria et independentia Episcoporum affirmasset, et solo animi affectu rectores Ecclesiarum conjungendos, profectò unitatem Ecclesiæ et Episcopatus non demonstrasset, sed plane evertisset; nec enim qui homines noverit facile sibi persuadebit tot per orbem, summa quadam in suis regendis diæcesibus potestate fruentium,

(1) ὡς ἑτεροδοξούσας minus recte sentientes.

(2) Euseb. l. v. hist. c. 24.

(3) Nicephor. l. 4 hist. Eccl. c. 38. Vide Alex. Natal. tom. v. hist. Eccl. Sæc. 2 diss. v. Art. 3. Ita etiam novissime censuit J. B. Palma in præl. hist. Eccl. Romæ editis.

(4) l. de unit. p. 350, ed. Wirc.

concordiam servari posse, omni auctoritate superiori rejecta. Quum hæc unitas adeo sacrosancta Cypriano visa sit, ut Novatianos eam violantes, hac præsertim ratione ab omni jure et privilegio Christi Ecclesiæ alienos esse vehementer urgeat, eo præsertim aureo libello de Ecclesiæ unitate, omni prorsus verosimilitudine ea verborum illius interpretatio destituitur qua ad independentiam Episcoporum, et paria jura adstruenda detorquentur. Ut quid verba Christi ad Petrum de fundanda in illo Ecclesia, et de eo pastore constituendo recitavit, nisi ut unitatem, ab uno incipientem, ostenderet, quæ nulla foret nisi eximia quadam et singulari ratione potestas omnibus communis uni fuisset tributa? Profecto in Romana Cathedra unitatis illud principium semper vigens manifesto agnovit, eam vocans, "Petri cathedram atque ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est."[1]

Obj. 3. Cyprianus, Firmilianus, aliique Africani et Asiatici, Stephano fortiter restiterunt: ergo primas Ecclesiæ non agnoscebatur: ea enim in eum scripserunt quæ nullatenus cum obsequio summo præsuli debito queunt conciliari. "Neque quisquam nostrum," inquit Cyprianus, "Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit."[2]

Resp. Contingit facile subditos rectori repugnare, auctoritate in quæstionem haud vocata, sed temere adhibitam querentes: nec mirum si parum reverenter de imperante sibi in hujusmodi rerum adjunctis loquantur. Sancti etiam homines fidei studio incensi, modum in veritate tuenda facile excedunt, vel si in aliquem inciderint errorem, eum æstu nimio propugnant. Igitur de scriptis Cypriano hac in re tributis, dicere licet cum S. Augustino: "Jam illa quæ in Stephanum irritatus effudit retractare nolo."[3] Cæterum non id penitus prætereundum quod sanctus hic doctor adnotat censeo: "Quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub ejus nomine a præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum."[4] * * * "illud concilium, vel illa scripta, si vere ipsius sunt, et non, sicut aliqui putant, sub ejus nomine conscripta atque conficta."[5] Error autem de baptismo haud inverosimiliter Cypriano tribuitur, quidquid sit de scriptorum authentia et integritate, quam plerique etiam agnoscunt: quum enim unitatis violatione omnia amitti passim doceat, et extra unitatem nihil valere, baptismum ab hæreticis administratum omni carere virtute pronum erat sequi. Ea vero quæ de libertate et arbitrio uniuscujusque Episcopi in Ecclesiæ regimine, nonnisi a Christo judicandi, in actis concilii continentur, vix cohærent cum ipsius Cypriani sententia, alias enuntiata, qua Episcopum Novatianis studentem loco dejiciendum a Summo Pontifice urget: "Di-

(1) Ep. LV. ad Cornel. p. 153, ed. Wirc.
(2) In actis Conc. Carth.
(3) S. Aug. l. v. contra Donat. c. 25.
(4) Ep. xciii. ad Vincent. Rog.
(5) Ep. cviii.

rigantur a te," scribit ad Stephanum, "litteræ in provinciam, et ad plebem Arelate consistentem; quibus, abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, et vulneratus contemnitur, colligatur."[1] Tota historia Ecclesiæ et omnia prorsus sacræ antiquitatis monumenta ostendunt Episcopos judicari posse, vel a Collegarum cætu, vel ab Episcopo Episcoporum. Quæ objiciuntur verba ad Episcopos in Concilio congregatos plane referuntur, ex quibus nemo potuit Episcopum aliorum se prædicare; sed dicta sunt forsan ut Stephanus vellicaretur, qui eo titulo more majorum ornabatur: liquet scilicet jam temporibus Tertulliani eum usurpatum et tributum Episcopo Romano. Eum datum ipsi Petro pastoralis muneris ratione ex Arnobio, Gallico 5i sæculi scriptore constat.[2] Igitur objecta verba vel ad incerta nulloque Ecclesiæ decreto definita, referenda sunt, inter quæ recensebat Cyprianus quæstionem de baptismo ab hæreticis collato, vel ad sensum consonum iis quæ ipse alias tradidit, quæque universi patres docuerunt, sunt reducenda.

Obj. 4. Hieronymus dicit: "Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Cpoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, ejusdem meriti est, et ejusdem Sacerdotii."[3]

Resp. Hieronymus objecto in loco Episcopalem dignitatem contra diaconorum Romanæ Ecclesiæ supercilium vindicat, docetque Episcopum urbis amplioris vel minoris eodem præstare Sacerdotio, et proinde a diaconis sibi gradu inferioribus esse honorifice tractandum. Ex Romanæ Ecclesiæ celsitudine occasio diaconis est orta Episcopos, eam negotiorum causa adeuntes, minus reverenter habendi: qua de re merito questus est sanctus ille doctor. Cæterum quamvis omnem fastum Romani culminis abesse voluerit, dignitatem et auctoritatem cathedræ Petri verbis extulit amplissimis. Sic Damasum alloquens ait: "Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: supra illam petram ædificatam Ecclesiam scio. * * Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est."[4]

Obj. 5. Universalis Episcopi nomen tamquam impium rejecit et reprobavit S. Gregorius M. Joanne Jejunatore Cpolitano Patriarcha, illud assumente: quod tamen Phocæ imperatoris auctoritate deinceps est Episcopo Romano tributum.

Resp. Ideo reprobavit Pontifex titulum illum, quod eum patriarcha Cpolitanus usurparet ambitiose, et cum Collegarum per orbem injuria, Episcopus scilicet illius Sedis, ex urbe Sede imperii, amplitudinem quandam sibi studebat comparare, et titulo decorari petiit, quem nemo præter Romanum Episcopum potuit ullatenus sibi vindicare. Eo nomine patres

(1) Ep. 67.
(2) Arnobius in finem. Ps. cxxxviii.
(3) Epist. ad Evagrium.
(4) Ep. ad Damasum.

Chalcedonenses hunc sæpius appellaverant, nemo tamen ex Gregorii decessoribus eo usus est, "ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur."[1] Diu ante Phocæ tempora, qui septimo floruit sæculo, Valentinianus III. an. 455, primatum Romanæ Sedis agnovit: "igitur sedis Apostolicæ primatum B. Petri meritum, qui est princeps sacerdotalis coronæ, et Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi firmavit auctoritas."[2] Cypriani tempore Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Romanus Pontifex designabatur, qua ratione et universalis ejus auctoritas agnoscebatur, et Collegarum integer manebat honor.

Obj. 6. Conc. Chalc. can. xxviii. "Antiquae Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia contulerunt." Æqualia privilegia novæ Romæ Episcopo, pari de causa recensentur tributa. Ex Conciliorum, igitur, concessione, ob urbis majestatem, honor præcipuus Romano Episcopo, prout postea Cpolitano, tributus est.

Resp. Canon ille de juribus patriarchalibus, potius quam de primatu videtur agere, ut ipse *Dupin* censet.[3] Cæterum reprobatus est a Summo Pontifice et a tota occidentali Ecclesia, eo "quod secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit."[4] Nil mirum si præsules Cpolitani Episcopi ambitioni nimis faventes, urbis majestatem in sui subsidium vocaverint, quamvis haud ignorarint Romani Episcopi primatum ex Christi institutione derivari. Leonem profecto agnoscunt constitutum esse omnibus interpretem vocis Petri Apostoli; et queruntur Dioscorum furore quodam in Apostolicam suam Sanctitatem, cui vineæ cura a Salvatore est commissa, ferri.[5] Ante primum Concilium Œcumenicum desierat Roma caput esse imperii, Cpolim scilicet regiam urbem fecerat Constantinus: quapropter privilegia in illo Concilio vel in Sardicensi tributa, non poterant urbis niti majestate. Equidem Nicæni Patres agnoverunt Ecclesiam Romanam semper habuisse primatum, nec aliquid novi decreverunt, sed ut jura Alexandrini patriarchæ contra Meletium Lycopolitanum ejusque asseclas tuerentur, antiquas servandas esse consuetudines censuerunt, ut Ægypti, Libyæ, et Pentapolis Alexandrinus episcopus plenam haberet potestatem, "quoniam etiam episcopo Romano id consuetum est."[6] Quisquis sit horum verborum sensus, liquet satis nec privilegia iis Romano Episcopo concedi, nec limites suæ auctoritatis exercitio apponi. Sardicenses ipsi patres privilegia Sedis Romanæ agnoverunt, potius quam tribuerunt; quod enim de judicibus ab Episcopo Romano in provinciis longinquis designandis, decre-

(1) S. Greg M. l. iv. Ep. xxxviii. ad Joannem Cpol.
(2) Constit *Novella* 100. Vide etiam Justinian. Nov. 151.
(3) De ant. disc. diss. iv.
(4) S. Leo in Ep. de ea re.
(5) Conc. Hard. t. ii. c. 656.
(6) 6 Can. Nic. conc. Hard. p. 432.

tum est, ad judiciorum firmitatem, Metropolitis novum concedendi ablata facultate, est directum, ut Episcopus judicio semel damnatus novos judices appellare non posset, nisi ex Summi Pontificis venia. De ipso Pontifice appellando nihil est decretum, quo jus illud crearetur; sed vetitum est, ne, appellatione pendente, novus in Sedem Episcopi depositi inferretur præsul, Ariani quippe Gregorium in locum Athanasii, qui Romam se contulerat, ingesserant.[1]

Obj. 7. Milevitani II. seu Carthaginensis an. 418 can. xxii. Concilii Patres trans mare appellari vetuerunt, restiteruntque Zosimo appellationes excipiendi sibi usurpanti potestatem, qui tamen nullo divino jure, sed ex Canonum concessione eam vindicabat.

Resp. De Clericorum appellationibus Patres censuerunt eas non facile excipiendas, ne delinquentibus pœnas declinandi foret occasio: Episcopi autem a quavis mundi parte libere appellabant, ut ex exemplis adductis, aliisque documentis certissimis constat. Quod Zosimus Canonum auctoritatem allegaverit, ad jus suum vindicandum, factum est ex æquitate et benignitate Ecclesiastici regiminis; nec enim decet summo veluti jure, ac arbitrio agere, sed prout Ecclesiæ utilitas potulat: quod maxime constat ex iis quæ, consiliis inter se collatis, Ecclesiæ præsules decreverunt. Tota illa de appellationibus controversia implicata quodammodo est facta ex nominis ambiguitate, Nicæni quippe audiebant in Ecclesia Romana Canones Sardicenses, utpote Nicæno concilio veluti adjecti, quos tamen in Nicæno codice non repererunt Milevitani patres, juris exercitio ideo reluctantes. Cæterum præclara præstiterunt Africani præsules indicia summæ quam in Episcopo Romano in causis fidei agnoverunt auctoritatis, "a divinis Scripturis derivatæ.[2] Ipsam appellationes excipiendi potestatem, summo veluti jure, non negarunt, sed enixe deprecati sunt ne exerceretur cum justitiæ et Ecclesiasticæ utilitatis periculo. Ideo scripsit Synodus Carthag. an. 425 ad S. Cælestinum: "Impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis; nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere. * * * Ne in sua provincia a communione suspensi, a tua Sanctitate præpropere, vel indebite videantur communioni restitui." Illud autem appellationes excipiendi jus plene agnitum est a Patribus Sardicensibus,[3] uti jure allegabat Zosimus. Celeberrimi etiam Episcopi ab omni orbis Christiani parte illius exercitium imploraruntSic Chrysostomus Innocentium I. appellavit, ut injuria a Synodo damnatus absolveretur: "Scribite, precor, et auctoritate vestra decernite hujusmodi inique gesta, nobis absentibus, et judicium non declinantibus,

(1) Vide Acta Concilii, et etiam "Del Concilio di Sardica Dissertazione Polemico-Canonica, Roma, 1783.

(2) Vide Conc. Carthag. an. 410. Ep. 175 olim. 90 Tom. II. op. Aug. p. 617. et Conc. Milev. ep. 176. olim 92. p. 620.

(3) Can. vii.

nullius esse roboris."[1] Ita etiam Theodoretus, Cyri Episcopus, a Dioscoro depositus, appellavit Leonem: "Oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut rectum ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat."[2]

Obj. 8. Ex Catholicorum confessione Christus non alligavit primatum sedi Romanæ; sed casu veluti ei adnexus est, Petro Romam adveniente, post plurima itinera, et Antiochenam jam occupatam cathedram.

Resp. Quid Christus Petro præceperit hac de re nescimus, in Scripturis quippe non referuntur omnia quæ per quadraginta dies Apostolis post resurrectionem apparens, et cum eis de regno Dei loquens, ipsis tradiderit documenta. Cæterum de re tanta, de sede scilicet imperii Christiani, Petrum a Christo edoctum, vel saltem a Spiritu Sancto illustratum, non est inverosimile. Quidquid sit, quum Christus Petrum pastorem ovilis constituerit, quod munus, sicut ipsum ovile, perpetuum esse voluit, qui Petro successit pastor eodem jure factus est: ideoque episcopus Romanus, utpote Petri successor, jure divino pastor est et rector totius Ecclesiæ. Quamvis igitur Petrum suo veluti arbitrio sedem Romæ tandem fixisse existimare quis velit, et inde episcopi Romani præ cæteris primatus derivetur, ipse primatus divinitus institutus in illa Sede jam inhæret.

Obj. 9. Pleraque quæ primatus jura censentur in primis Ecclesiæ sæculis non exercebantur ab Episcopo Romano: Episcoporum quippe electiones a fidelibus et Clero fiebant: Episcoporum judicia in conciliis habebantur: alia a Metropolitis vel patriarchis, Ecclesiastico jure, peragebantur: quæ omnia, divino veluti jure, sibi competere Episcopus Romanus jam affirmat. Sensim igitur sine sensu hæc sibi decessores sui usurparunt, decretalium falsarum ope.

Resp. De ipso primatu quum agatur, singula quæ ei tribuuntur jura vindicare non est opus: si enim ostenderimus Episcopum Romanum potentiori principalitate ab initio esse functum, adeo ut dissitarum Ecclesiarum haberet solicitudinem, eas ad concordiam studeret reducere, earumque consuetudines corrigere, etiam anathematis intentatis minis, decretis Synodorum in irritum missis, jam constat eum primatem esse, summa indutum auctoritate. Exercitium autem juris quod ei competit, ex rerum, locorum, temporumque adjunctis plurimum pendet, quapropter nil mirum si urgente persecutione, vel florentibus sedibus Alexandrina et Antiochena, non ea amplitudine explicata fuerit potestas Pontificia, qua postea. Quæ objiciuntur ad disciplinam quæ variari potest pertinent: in iis tamen sæpius eminuit Episcopi Romani auctoritas etiam temporibus vetustissimis. Pseudo—Isidorianis decretalibus litteris omnino abjectis, ea manent Primatus jura quæ defendimus, nulla ratione labefactanda.

De Pontificia potestate constat eam omnia complecti quæ ad unitatem fidei et regiminis in Ecclesia servandam requiruntur. Igitur nihil potest Pontifex adversus veritatem, sed pro veritate; ejus tamen est alios fidei

(1) Ep. 1. ad. Innoc. (2) Ep. ad Leon.

devotione vincere quantum loci auctoritate superat;[1] et pro fide semel sanctis tradita viriliter contendere, et in ea fratres confirmare. Est quidem depositi divini summus custos, in ipsa arcis summitate fidei integritati invigilans, et devios a veritatis semita procul ab Ecclesia abesse jubens. Per eum fidei consensus maxime exhibetur; qui enim per orbem sunt Ecclesiarum præsules eum doctorem omnium Christianorum agnoscentes, ex Cathedra Petri loquentem quæ per Episcoporum successionem ab Apostolis usque pervenerunt, audiunt reverenter, ipsique fidem et traditionem vetustam in suis Ecclesiis et universo mundo vigentem testantes, concinunt; adeo ut una sit vox fidei per omnes Ecclesiæ partes. Symbola tamquam fidei tesseras custodire, explicare, et statuere inter præcipua Pontificis munera est,[2] et dogmata jam definita ab omni hæreticorum conatu tueri, sicut etiam novas edere definitiones contra insurgentes errores, consulta prius Ecclesiæ universalis, et Romanæ Sedis traditione. De vi autem et auctoritate Pontificiarum definitionum postea dicemus.

Ad unitatem regiminis pertinet ut pastor supremus pastores singulis gregis portionibus curet præficiendos, qui oves Christi scientia salutari, et sacramentis divinitus datis nutriant: id enim officium ejus plane exigit. Qua autem ratione in pastoribus designandis procedendum sit, ad disciplinam pertinet quæ pro temporum locorumque diversitate varietatem patitur: quam fusius explicandi occurret postea opportuna aliqua occasio. Id autem impræsentiarum animadvertendum duximus, vacante aliqua Ecclesia, ovium derelictarum curam nulli alii præter quam totius ovilis pastori, ex natura veluti rei, et vi sui muneris competere: quapropter jus ejus in pastore præficiendo est omnino agnoscendum. Cæterum pro æquitate Ecclesiastici regiminis et suavitate, illud exercendum est, ea ratione quæ, omnibus locorum temporumque adjunctis perpensis, videatur ad Ecclesiæ decorem et animarum salutem magis profutura. Apud nos commendantur ab Episcopis totius provinciæ tres quos idoneos judicaverint Sacerdotes, ex quibus, si ita Pontifici videatur, unum ad diæceseos regimen eligat.

Supremi Pastoris est etiam Pastores singulos sui officii monere, quod a Sancto Petro in sua epistola præstitum vidimus: eosque si id implere neglexerint, vel contra illud deliquerint, Ecclesiasticis mulctare pœnis, imo ab officio amovere, quando id necessarium visum fuerit, juxta Canonicas sanctiones.

Pastorale cum sit regimen, mansuetum et benignum sit necesse est: idcirco leges Ecclesiæ dici consueverunt *Canones*, Græco vocabulo, regulæ scilicet agendi, quibus tamen conscientia coram Deo vere ligatur. Communibus legibus, quatenus locorum varietas patitur, universam regi Ecclesiam oportet: ideoque Pontificis est curare ut disciplina, præsertim

(1) Vincent. Lerin. Comm. c. vii.

(2) "Videamus quid didicerit, (*Ecclesia Romana*) quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit." Tertull. de præs. hær. n. 36. p. 245. ed. Lutetiæ, 1641.

quæ ad cultum solemnem attinet, servetur eadem ubique, saltem ubi cultus substantia ex rituum varietate periclitari posset. Canones autem jam per orbem vigentes sunt executioni diligenter demandandi, dispensatione tamen quando oportuerit concessa, vel contraria consuetudine, quæ bonis moribus haud adversetur, nec facile tolli possit, aliquando tolerata. In Hierarchia tuenda, et in Canonum urgenda executione, magna pars potestatis Pontificiæ versatur. Sicut autem plerique a Pontificibus prodierunt, vel certe a Conciliis, Pontifice probante, ita valet novas ferre leges quæ universam spectant et obligant Ecclesiam. Hæc tamen potestas in rebus ad salutem spectantibus versatur, non enim regnum Christi, cujus obit vices, est hujus mundi.

In Concilio Florentino, Græcis et Latinis consentientibus, Pontificis auctoritas definitione sequenti explicata est: "Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum et in Sacris Canonibus continetur."[1]

COROLLARIA.

Ex huc usque disputatis liquet Ecclesiam a Christo fundatam esse societatem hominum, divinam quam tradidit doctrinam profitentium, sub rectore supremo in terris, ejus vices obeunte: quæ per omnes rerum vices ad finem usque mundi duratura est, fidei summa concordia, et communi quodam regimine conjuncta. Juvat igitur quædam ponere quæ inde sequuntur principia, ad quæ, veluti tesseras, omnis Ecclesia quæ pro Christiana haberi vult, est revocanda.

I. Ecclesia vera semper visibilis est, adeoque semper indicari potest quænam ex omnibus hominum societatibus sit, ita ut a cæteris omnino distinguatur.

II. Quum societates Christiano nomine gloriantes inter se distinguantur doctrinæ diversitate, et regiminis forma; Ecclesia Christi ita debet esse visibilis ut certò cognosci possit quænam fides, et quænam regiminis forma in illa necessario vigere debeat.

III. Ex eo autem quod Ecclesia perpetua sit, seu indefectibilis, sequitur quamlibet Ecclesiam, seu societatem Christianam, quæ aliquo tempore a Christi et Apostolorum ætate non extitit, vel aliquo tempore visibilitate, unitate, aliisque essentialibus Ecclesiæ proprietatibus non sit gavisa, veram Christi Ecclesiam non esse.

Peremptorium igitur est argumentum contra novitias omnes sectas, eas ante Lutheri, Calvini, Wesleyi, Foxi, vel alius cujuscumque auctoris sui tempora non extitisse.

(1) Conc. Flor. Sess. 6. defin. fidei.

Unitas fidei, quam Ecclesiæ Christi necessariam proprietatem esse demonstravimus, exigit:

I. Ut prædicatio, traditio, fides eadem ubique sit, adeo ut, juxta pulcherrimam Irenæi notionem, Ecclesia idem habeat os in universo mundo. Symbola igitur fidei nihil discrepans exhibeant, definitiones solemnes doctrinæ ab omnibus ejus membris agnoscantur, et documenta cætera quæ publicam Ecclesiæ doctrinam ex auctoritate proponunt, concordent necesse est. Cultus etiam et Sacramenta eadem ubique terrarum, quod ad eorum substantiam attinet, obtineant oportet.

II. Unitatis fidei principium in Ecclesia esse debet, quo scilicet uni fidei servandæ semper consuli possit, et omnis dogmatum varietas tolli, seu potius impediri.

III. Ubi aliqua dogmatum reperitur discrepantia, fidei unitas deest, et Christi Ecclesiæ proprietas desideratur, in alterutra vel utraque parte discorde.

IV. Ubi principium quo unitas fidei servari semper possit non habetur, essentialis Christi Ecclesiæ proprietas deficit: ideoque societas hujusmodi ad Christi Ecclesiam non pertinet.

V. Consensus in quibusdam vel omnibus dogmatibus non sufficit ad fidei unitatem, quandocumque non habetur unitatis principium, ex quo profluat, et quo semper servari possit.

VI. Ignorantia qua nonnulli laborare possint quorumdam dogmatum, subsidiorum ad plenam fidei notitiam defectu, non obstat fidei unitati, quotiescumque unitatis principium fovetur, quo omnia dogmata generatim plena fide excipiuntur.

VII. Quamvis ex causis specialibus hujusmodi ignorantia contingere possit absque culpa, existimari non potest absque Dei injuria eum certa et clara dogmatum omnium indicia haud dedisse revelando, et publicæ et concordi eorum promulgationi consuluisse, præsertim fidei unitatis principium statuendo.

Ex regiminis unius necessitate sequitur:

I. Omnes partes Ecclesiæ Christi necessariò debere esse vinculo quodam sacro inter se colligatas.

II. Regiminis unitas necessariò exigit supremam quandam auctoritatem qua omnes teneantur.

III. Quandocumque rejicitur illa suprema auctoritas, vel resistitur potestati ab ea mananti, violatur unitas, sacri imperii juribus conculcatis.

IV. Quum Ecclesia a Christo sit fundata, potestas illa suprema, omnisque alia quæ in Ecclesia regenda exercetur, ad illum necessariò est referenda.

V. Cætus hominum qui sponte veluti sua coadunantur, non vi regiminis divinitus instituti, "humana Ecclesia," potius quam Christi Ecclesia dicendus est.

VI. Quæ Ecclesiæ nullum commune regimen agnoscunt, nullam supremam qua omnes teneantur auctoritatem, ad Christi Ecclesiam non pertinent.

VII. Quæ Ecclesiæ, seu potius hominum Christianos se profitentium conventus, nullo sacro vinculo communionis et consortii conjunctos se exhibent, non possunt omnes esse Christi Ecclesia, quæ una tantum est suarum partium intima inter se conjunctione insignis.

Quod ad articulos quos vocant fundamentales, vel essentiales, pertinet, liquet:

I. Eam articulorum fidei distinctionem penitus carere Scripturarum auctoritate, quum nullibi in Scripturis tradatur: quæ contra testantur gentes suscipientes circumcisionem ex falsa ejus necessitatis persuasione, contra Apostolicam doctrinam, omnino excidere ex gratia Christi: negantes resurrectionem corporum futuram fidei naufragos esse; et hæreticum quemque ab Ecclesia esse alienum.

II. Ignota fuit illa distinctio prioribus sæculis, Ecclesia enim Novatianos ob schisma, et denegatam remittendi graviora peccata potestatem, Donatistas schismatis etiam reos, et Sacramentorum valorem ex ministrorum meritis pendere contendentes, Pelagianos gratiæ necessitatem impugnantes, e sinu suo penitus abjecit.

III. Inanis est et incerta, nulla enim regula adsignari poterit qua fundamentales articuli a non fundamentalibus distinguantur, quapropter Ecclesiæ limites pro uniuscujusque arbitrio extendentur, vel arctabuntur, Socinianis Christum Deum denegantibus, *Amicis*, seu Quakeris, baptismo carentibus, aliisque sectis hujusmodi, Ecclesiæ accensitis; vel iis exclusis una cum omnibus sectis quæ ordinatione carent, vel quæ immersione non utuntur, quas inter Ecclesiæ essentiales proprietates nonnulli recensent. Visibilis propterea desinet esse Ecclesia, cujus limites vel partes, nemo adsignare poterit: erunt enim qui Catholicos, utpote idololatras, ab ea excludent, et inter sectas hærebit facile animus.

IV. Omnem fidei regulam omnemque Ecclesiæ auctoritatem, subvertit hæc distinctio, nec enim nosse quis poterit quænam Ecclesiæ sit audienda, vel ad quod tribunal deferendæ sint controversiæ de doctrina, vel querelæ de fratrum injuriis: quapropter frustra jussisset Christus: "dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus."[1]

V. Ecclesia ex tot sectis discrepantibus constans, non foret "columna et firmamentum veritatis," qualis Christi Ecclesia ab Apostolo describitur; nam veritatem ab ea certo addiscere quis non posset, quum quaenam foret Ecclesia non sciret.

(1) Matt. xviii.

C. VII. QUÆ ECCLESIA SIT UNA.

PROPOSITIO.

In Ecclesia per orbem diffusa, quae caput et centrum agnoscit Episcopum Romanum, est fidei et regiminis unitas.

Probatur. Fidei unitas maxime liquet ex Symbolis, ex solemnibus definitionibus, ex cultu publico, et Sacramentorum administratione, et ex principio agnito quo unitas semper valeat servari. Jam verò eadem symbola ubique per Ecclesiam recitantur: *Apostolicum* privatim a singulis fidelibus quotidiano usu frequentatur, publice in Baptismi administratione, et in collatione ordinum: *Nicæno-Constantinopolitanum*, vetus scilicet symbolum explicatius, prout in Nicæno et Constantinopolitano Conciliis auctum est, ut Arianæ et Macedonianæ hæresibus iretur obviam, recitatur inter Missarum solemnia: *Athanasianum*, quod sub nomine Athanasii circumfertur, inter preces quas Clerici Deo quotidie persolvunt, reperitur, in Dominicis diebus, quando de Dominica fit officium, recitandum. Formula autem quæ Pii IV. auctoritate, juxta ea quæ in Tridentino Concilio definita erant, edita est, ubique excipitur, et solemni juramento firmatur, quoties aliqui ad Ecclesiasticas dignitates evehuntur, vel plerisque in locis quando ab hæreticorum castris ad Ecclesiam acceditur.

Ubique idem est solemnis cultus, Sacrificii scilicet sacrosancti, quod *Missam* vocamus, incruenta oblatio. Eadem ministrantur ubique terrarum Sacramenta, nam abluuntur infantes vel adulti baptismo, muniuntur fideles chrismate, reficiuntur Eucharistia; sanantur pœnitentia vulnera animæ, morientibus mystica unctione subsidia ad ultimum agonem præbentur: qui sacra munera obeunt, solemni manuum impositione auctoritatem recipiunt: et qui conjugium inire cupiunt, sacro ligantur vinculo.

Fidei definitiones ab omnibus agnoscuntur, et summo consensu vindicantur, ita ut dogmata Tridentinis Patribus ante tria fere sæcula probata omnium Catholicorum per orbem summa consensione celebrentur.

Fidei unitatis principium tenetur, scilicet Ecclesiæ per præsulum collegium docentis auctoritas: agnoscunt quippe omnes controversias, si quæ forsan excitatæ fuerint, sopiendas esse et supremo judicio dirimendas ab Episcoporum collegio, sive congregentur in unum, præsidente sibi Episcopo Romano, sive in suis sedibus maneant, et suis subscriptionibus et assensu solemnes quas ipse ediderit fidei definitiones complectantur.

Unitas fidei igitur habetur, imo fovetur principium quo semper habeatur. Habetur etiam unitas regiminis, nam fideles Episcopis, Episcopi Romano Pontifici subjiciuntur, juribus quibusdam specialibus, juxta Ecclesiasticas quasdam sanctiones, Metropolitis in Episcopos suæ provinciæ, Patriarchis in suæ ditionis præsules tributis. Pulcherrimus quidem elucet in his ordo, quo Episcopatus ipse unus et indivisus probatur.

Merito Irenæus Romanam Ecclesiam designavit ex cujus traditione, omnium per orbem Ecclesiarum concordia firmata, doctrina divina dignosceretur.[1] Pulchre etiam Cyprianus Romam euntes monuit, ut hujus Cathedræ principalis communionem magno studio foverent: "Scimus nos hortatos eos esse ut Ecclesiæ Catholicæ radicem et matricem agnoscerent ac tenerent.[2] Certiorem fecit Antonianum se jam ad Cornelium episcopum Romanum, cui sese opposuerat Novatianus, litteras misisse: "ut deposita omni solicitudine jam sciret te secum, hoc est, cum Catholica Ecclesia, communicare."[3] Hujus Ecclesiæ communionem indicium etiam habuit consortii omnium Episcoporum Catholicorum Ambrosius, qui Satiri fratris commendat fidem, qua in longinqua regione Episcopum ignotum inveniens: "percontatus ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Ecclesia Romana conveniret."[4] Hac ratione etiam Optatus Milevitanus unitatem et communionem Catholicam probat, recensitis enim Pontificibus a Petro usque ad Siricium, eum totius orbis Catholici centrum prædicat: "Ergo Cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus * * * Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat."[5]

Obj. De ipso unitatis principio disceptatur apud Catholicos, nonnullis Pontificiam inerrantiam propugnantibus, aliis Conciliorum Œcumenicorum infallibilem auctoritatem, aliis Pontificem cum Concilio, aliis Pontificem cum Episcopis per orbem dispersis. De Conciliis etiam disputatur quænam sint Œcumenica, Gallis Constantiense et Basileense tuentibus, Italis Lateranense V. et Tridentinum. Innumeræ lites agitantur de gratia et de prædestinatione, de Probabilismo, et de singulis fere Ethices principiis, Ordinibus Religiosis plerumque systematum quorumdam patrocinium suscipientibus, et pro aris, focisque pugnantibus contra se invicem. Hinc Thomistæ, Augustiniani Molinistæ, Scotistæ et aliæ Sectæ in sinu Ecclesiæ Romanæ foventur.

Resp. Summa est omnium Catholicorum concordia in fidei articulis, et dogmatibus omnibus, et in ipso unitatis principio: omnes quippe agnoscunt definitiones jam a Concilio Tridentino, aliisque Conciliis Œcumenicis latas, vel a Pontificibus, et ab Ecclesia receptas. Agnoscunt insuper judicium Conciliorum Œcumenicorum, Pontificis munitum confirmatione, supremum esse cui nemo in re fidei absque hæreseos nota reluctari valeat: eamdemque vim solemni Pontificis definitioni ab Episcoporum collegio, vel in Concilio, vel in suis sedibus excepto inesse, omnes eodem consensu

(1) Supra p. 163.
(2) Cyprian. Corn. ep. 44. p. 164. ed. Bas. 45 p. 104 ed. Wirc.
(3) Ep. 52 ad Anton. p. 116. ed. W.
(4) De obitu fratris p. 24, t. 3. ed. Bas.
(5) S. Optati opera ed. Dupin 1700. p. 28.

fatentur: quacumque scilicet ratione doctrina Episcopalis cœtus innotescat, solemni definitione, quæ a collegio Episcoporum agnoscatur, pro supremo Ecclesiæ docentis judicio habetur. Hoc est certum quo semper servari possit unitas principium, quidquid sit de auctoritate definitionis Concilii ante Pontificis confirmationem, vel Pontificii decreti ante Episcoporum consensum. Fatemur moveri his de rebus quæstiones, quæ tamen unitatis periculum non afferunt, agnito ab omnibus judicio supremo in Pontificis cum Episcoporum collegio consensu. Quum Apostolus dicat: "oportet et hæreses esse"[1] Deo quippe famulorum suorum fidem ex aliorum inconstantia, et seducendi dolo eximiam exhibente, forsan licebit et nobis suspicari molestas has Theologorum contentiones suam secum afferre utilitatem: quum enim Pontificio judicio auctoritate infallibili vindicata, hæc ad privatas sententias transferrent nonnulli, veluti fides totius orbis Christiani ex unius hominis arbitrio et nutu penderet; alii tantam vim definitioni Pontificiæ inesse negabant, nisi Episcopi per orbem vetustam fidem ea explicari et proponi agnoscerent. Conveniunt omnes nil nisi ex constanti omnium sæculorum a Christo fide et traditione qualibet Ecclesiæ definitione credendum proponi posse: fatentur omnes Pontificibus et Conciliis Œcumenicis jus esse fidei definitionibus errores antiquis illis dogmatibus adversos proscribendi: et supremum auctoritatis gradum illis judiciis tribuunt capite cum membris consentiente. Tota igitur lis respicit judicii adjuncta, potius quam ipsum tribunal: convenit enim inter Catholicos Pontifici et Concilio jus esse judicandi, sed quæritur quæ judicium supremum et irreformabile demonstrent. Quod pertinet ad œcumenicam quorumdam Conciliorum auctoritatem, salva fide et unitatis principio, ea moveri potest quæstio, quamdiu res non constat, ex solemni Ecclesiæ ipsius declaratione, vel communi totius Ecclesiæ sensu. Quum Constantiense Concilium schismatis tempore fuerit habitum, tribus simul sibi auctoritatem Pontificiam vindicantibus, et plura in eo gesta sint contra Conciliorum morem, pro ea quæ urgebat rerum necessitate, nonnulla ejus decreta quibus ipsam quam pro schismate terminando auctoritatem exercebat, affirmavit, in quaestionem venerunt, utrum scilicet *Conciliariter* lata sint, et extra casum schismatis vim obtinere, ex mente ipsorum patrum, debeant: quæ omnia salva fide et unitate disceptari poterunt: sed solemnes definitiones quibus grassantes Wickleffi, Hussi, et Hieronymi a Praga errores sunt proscripti, Pontificis Martini V. munitæ confirmatione, ab omnibus Catholicis summo consensu excipiuntur. Basilcensis Conciliabuli retractare res gestas non libet, satis enim constat eas Œcumenico Concilio non esse tribuendas. Lateranense V. Concilium ob parvum Præsulum numerum, et ob Gallorum Episcoporum absentiam, dubiæ auctoritatis nonnullis videtur: sed quæ de Pontificia super Concilia Œcumenica auctoritate tradidit, formam fidei definitionis non habent, ideoque de fidei summa res non est. Tridentinae definitiones

(1) 1 Cor. xi. 19.

a Gallis, æque ac cæteris per orbem Catholicis, summa veneratione, et plena fide excipiuntur, quamvis legibus aliquibus de disciplina nonnulli obstiterint, privilegiis regum vel gentis suæ innixi. Quæ inter Theologos excitatae sunt quæstiones de gratia et de prædestinatione, salvis dogmatibus agitantur, omnes enim liberum hominis arbitrium et gratiæ ad supernaturales actus necessitatem fatentur, etsi in utroque dogmate conciliando diversas ineant rationes: omnes etiam damnatorum supplicia ob eorum peccata decerni tenent, quamvis in scrutandis et explicandis Dei consiliis de electis laborent, sunt enim viæ ejus investigabiles. In Ethices principiis operam egregiam posuerunt Theologi, ut quas morum regulas tradidit Christus, et Apostoli eum secuti, singulis fere hominum actibus applicent, qui quum infinita varietate distinguantur, ob adjunctorum diversitatem, mirum non est opiniones variari: quod absque fidei detrimento contingit, nec enim de dogmate aliquo divinitus revelato, et ab Ecclesia solemni judicio proposito agitur, sed de principiis rationis lumine innixis, vel ex revelatione ratiocinando deductis. Cæterum in eo etiam eminet auctoritatis principium, quod si bonis moribus aliquid tradatur adversum, Ecclesia illud damnet, cujus voci omnes ejus filii obaudiunt. De Probabilismo, vel aliis systematibus non vacat hic agere, quum fide in tuto posita, unitatem Ecclesiæ vindicaverimus. Nomina autem diversa quibus Theologorum Scholæ distinguuntur, doctorem aliquem quem felicius putant dogmata explicuisse vel vindicasse notant, non dogmatum ipsorum varietatem.

C. VIII. DE UNITATIS DEFECTU.

Fidei concordiam et totius reipublicæ Christianæ communionem servandam absque eo quod Christus statuit unitatis centro sperare non licet: ex sectarum enim per tria sæcula experientia, ut de antiquioribus sileamus, res fit explorata.[1] Ipse jactatæ reformationis dux frustra tentavit sententiarum licentiæ aliquos apponere limites, postquam Ecclesiæ, et Summi Pontificis rejecerat unitatem: imo sibi non constitit, sed occasione data paradoxa nova proposuit, extrema cum primis minime cohærentia. Ipsa fidei Symbola sæpe sæpius mutata sunt, uti accurate retulit Bossuetius in Protestanticarum variationum historia, et nuperrime J. A. Moehler in opere de Symbolica. "Accidit tibi," exprobravit olim S. Hilarius Constantio Arianorum fautori, "quod imperitis ædificatoribus, qua sua semper displicent, accidere solet, ut semper destruas, quod semper ædifices."[2] Quo

(1) Id fatetur Grotius Vot. pro pace.
(2) S. Hil. l. contra Constant. § 23. p. 27. ed. Wircemburg.

infelici successu sæpesæpius tentarint sectæ Lutheranorum et Reformatorum societatem inter se inire, et qua arte verbis ambiguis usi sint, ut sententiarum celarent divortium, ex laudatis auctoribus discere quis poterit.

PROPOSITIO.

Principium quo fidei unitas servari possit omnino deest Protestantium sectis.

Probatur. Deest omnino tribunal aliquod quo controversiæ certo ac supremo judicio dirimantur. Anglicani quidem dicunt Ecclesiam in fidei controversiis habere auctoritatem,[1] quam tamen non audent explicare, sed potius evertunt: addunt scilicet ei non licere aliquid contra Dei verbum scriptum decernere, vel unum Scripturæ testimonium ita explicare ut alteri repugnet, vel aliquid præter scripturam tamquam ad salutem necessarium proponere credendum. Quis autem certo judicabit Ecclesiam ea quam habere dicitur in fidei controversiis auctoritate non esse abusam? cujus erit dignoscere utrum ejus decreta repugnent scripturis? utrum male explicuerit textum aliquem, conciliandorum duorum testimoniorum specie repugnantium haud feliciter inita ratione? utrum aliquid credendum proposuerit, tamquam ad Salutem necessarium, quod scripto verbo non continetur? singulorum sit hoc judicium necesse est, quapropter illa Ecclesiae auctoritas vacillat et ruit, privato judicio substernenda.

Presbyteriani in comitiis suis generalibus agnoscunt potestatem judiciariam in doctrinæ controversiis, sed eam contendunt esse meré declaratoriam, adeo ut sanctæ scripturæ sint unica regula fidei et morum.[2] Destruunt manifesto quod ædificant, dum errorem subesse posse hujusmodi judiciis haud gravantur fateri. Deest igitur unitatis principium, nullum enim est tribunal quo doctrina certo dijudicari valeat.

De Ecclesiæ potestate in controversiis fidei silent Methodistæ, verba articulorum Anglicanorum alioquin plerumque exscribentes.

Baptistæ supremum controversiarum judicem nullum alium agnoscunt præter scripturam a Spiritu traditam.[3]

Liquet igitur apud Sectas nullum esse tribunal quo fidei unitas servari possit, quum summa judicia incerta ab ipsis agnoscantur, et erroris periculo obnoxia.

Symbola seu Confessiones fidei non possunt esse certa ratio fidei servandi unitatem, nam et errorem iis inesse posse necessarió ex Sectarum

(1) Art. xx.

(2) Form of Government of the Presbyterian Church in America, as amended in 1821, ch. 1. § 7.

(3) "The supreme judge—in whose sentence we are to rest, can be no other but the Holy Scripture delivered by the Spirit." ch. 1. § 10.

omnium principiis sequitur. Ipsi qui eis subscribunt sæpissime fassi sunt animi assensum non tribui, sed legi regni, seu Sectæ obtemperari.[1]

Reliquum est ut Scriptura sit ratiò unitatem fidei servandi. Atenim Scriptura, per se muta, non potest inservire, nisi quatenus intelligitur, legentium autem sententiæ infinita varietate distinguuntur, adeo ut in rebus summi momenti, quæ ad Trinitatis mysterium, Christi divinam naturam, æterna impiorum supplicia, et singulas veritates revelatas spectant, hæreant homines et in varias abeant sententias, etiam ingenio qui præstant, litterarum studiis florent, et veritatis amore duci videntur. Ergo in Scriptura principium unitatis poni nequit. Nullum idcirco habent unitatis principium sectæ Protestanticæ sed immedicabili laborant vitio divisionis. De sæculorum præteritorum dissidiis Lutheranum Theologum præstat audire.

"Ea est Ecclesiæ, quam vocant, reformatæ ratio ac conditio" inquit Walchius, "ut membra quæ ipsum corpus constituant, haud apte inter se cohæreant. Nam quamvis idem reformatorum nomen sectantur; tantum tamen abest, ut et in una eademque doctrina consentiant; ut per dissidia, contentiones, controversias, discrepantesque de religionis capitibus sententias in diversas divisi sint sectas."[2] De Lutheranis ipsis symbolis disserens, fatetur, imo contendit dogma "de vera, reali, substantiali præsentia corporis et sanguinis Jesu Christi in sacra cæna: de orali manducatione et bibitione, deque indignorum participatione" fuisse in Augustana confessione expressum, his verbis: "de cœna sacra docent, quod corpus et sanguis Christi vere adsint et distribuantur vescentibus in cœna Domini, et improbant secus docentes." Queritur idcirco de Melanchtone, qui sua auctoritate voces ambiguas substituit: "quod vere exhibeantur."[3] Hoc tamen dogma plerisque Lutheranis nullatenus arridet.

Juvat exemplis ostendere nec symbola nec fidei confessiones sectis ad unitatem servandam prodesse. Quod ad *Symbola* pertinet, narrat White ex occasione Episcopi primi Protestantici instituendi in Episcopalianorum nostratum utilitatem, post libertatem Americanam statutam, difficultatem quaerentibus ab Anglicanis ordinationem Episcopalem objectam, quod Americani articulum de descensu Christi ad inferos expungere velle noscerentur: nec tamen ipsis Anglicanis persuasum Christum reapse ad spiritus in carcere

(1) "They who contend that nothing less can justify subscription to the thirty-nine articles, than the actual belief of each and every separate proposition contained in them, must suppose that the legislature expected the consent of ten thousand men, and that in perpetual succession, not to one controverted proposition, but to many hundreds. It is difficult to conceive how this could be expected by any, who observed the incurable diversity of human opinion upon all subjects short of demonstration." Paley's Philosophy, book 3. p. 1. ch. 2.

(2) Introductio in libros Eccl. Luth. symbolicos Ienæ an. 1732, p. 46, et seq. Longam symbolorum seriem texit.

(3) p. 186. 187. Vide alia in re Burneti analysim in Art. xvii ubi discordantes sententiæ quibus in Ecclesia Anglicana favetur exhibentur p. 262. 263.

detentos descendisse, uti Apostolus Petrus tradit: voluisse tamen articulum retineri ad pestilentem quamdam hæresim, quam non designat, excludendam.[1] Attamen in tertio articulo inter triginta novem doctrinæ Anglicanæ, quem retinent nostrates, plane affirmatur credendum Christum non tantum mortuum et sepultum, sed ad inferos descendisse, et octavo articulo affirmatur omnia quæ symbolis continentur Scripturis certissime probari: desensus autem Christi ad inferos, White testante, videtur ab utrisque vel penitus rejectus, vel in quæstione positus. Cæterum inter eos convenit articulum retinendum esse: sed in rituali Americano, quod vocant communis orationis librum, inserta est Rubrica, qua plena omnibus Ecclesiis facta est facultas voces illas prorsus omittendi, vel alias substituendi, scilicet eum ad locum Spirituum defunctorum descendisse.[2]

Equidem non tantum omnia quæ Apostolico symbolo continentur, sed quæ Nicæno et Athanasiano, probari posse certissima Scripturarum auctoritate tradiderunt in suis fidei articulis Anglicani: a quibus recesserunt manifestissime Episcopaliani nostrates, omni Athanasiani Symboli omissa mentione: tamquam ipsi non censeant quæ eo continentur Scripturarum auctoritate probari posse.[3]

Ex Paley audivimus quæ opinionum licentia obtineat apud eos qui articulis Anglicanis subscribunt. Recentissime vero luculentum datum est argumentum confessionem Presbyterianam nullam vim apud sectam obtinere; in ipsis enim comitiis generalibus, singulis fere annis sententiæ contrariæ obtinuerunt, alterna fere vice *scholæ novæ*, quæ a confessionis principiis longissime discedit, vel scholæ *veteri* Calvinianæ faventes. Quum autem commentationes in epistolam ad Romanos a Barnesio, Philadelphiæ ante paucos annos edita, hæreseos fuissent insimulatæ, ipseque ex Synodi auctoritate a munere prædicandi suspensus, comitia Generalia Pittsburgi anno 1836 eum absolverunt: anno verò sequenti comitia Generalia Philadelphiæ habita, omnes novæ Scholæ fautores et Ecclesias in quibus eæ circumferebantur opiniones a consortio suo absciderunt, qua ratione sexcenti fere præcones simul abscissi dicuntur. Hæc sane ostendunt confessionem nullatenus idoneam fidei unitati perpetuo servandæ. De sectariis omnibus semper dici potest cum Tertulliano: "mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ

(1) Lecture ii. on the Apostles creed, p. 33.

(2) Evening Prayer, Rubric.

(3) "The three Creeds, the Nicene Creed, Athanasius's Creed, and that which is commonly called the Apostles' Creed, ought thoroughly to be received and believed: for they may be proved by most certain warrants of holy Scripture." Article viii. Oxford edition, 1835.

"The Nicene Creed, and that which is commonly called the Apostles' Creed, ought thoroughly to be received and believed: for they may be proved by most certain warrants of holy Scripture." Phil. edition 1833, with approbation of Bp. White, Oct., 1832.

accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare."[1]

In cultu et Sacramentis nulla est vis unitatis servandæ: nam ea vindicatur cuilibet Ecclesiæ in ritibus statuendis licentia, quæ novitatibus inducendis est maxime idonea.[2] Re quidem vera Episcopaliani nostrates in baptismi administratione omittunt singillatim interrogare de Symboli articulis, utrum scilicet credat baptizandus in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum, et cætera: substituta interrogatione generali: utrum teneat omnes articulos fidei Christianæ prout in Symbolo Apostolico continentur.[3] Quamvis hæc mutatio parvi momenti possit cuiquam videri, ex industria facta quum sit, periculum præsefert ne sensim sine sensu a pluribus fidei dogmatibus recedendi quæratur occasio. Quod verò ad rem magis facit, in visitatione ægrotorum olim apud Anglicanos præscriptum est ut minister ægrotum hortaretur ad specialem peccatorum confessionem peragendam, eique confesso absolutionem auctoritate sibi a Christo commissa impertiretur:[4] quam absolvendi potestatem Ecclesiæ denegare esset, teste Pearsonio, hæresis Novatiani.[5] Jam verò omnem mentionem confessionis, et absolutionis, Rituale Americanum prorsus omittit.

Quum Methodistæ Episcopalianos imitentur, Baptistæ verò et Presbyteriani nullam fere habeant formam cultus, sed pleraque præconum permittant arbitrio, qui orationes fundere, legere scripturas, hymnos canere, et conciones facere pro occasione debent, liquet fidei unitatem in cultu et sacramentorum administratione nullum apud sectas habere præsidium.

Nullum est principium apud Sectas quo in regimine servari possit unitas, vel foveri sacra cum Christi fidelibus per orbem communio: nam nulla est communis auctoritas qua teneantur. Comitia Generalia in America nullo auctoritatis ligamine cum Calvinianis Scotis, Anglis, Genevensibus conjunguntur; sed sola imitatione regiminis, et doctrinæ similitudine, plurimis capitibus, quæ odium paritura forent, mutatis,[6] se fratres exhibent.

(1) Tert. l. de præscr. c. 42.

(2) Art. xxxiv.

(3) Public baptism of infants.

(4) Visitation of the sick. "Here shall the sick person be moved to make a special confession of his sins. * * * After which confession the Priest shall absolve him: 'Our Lord Jesus Christ, who hath left power to his Church to absolve all sinners who truly repent and believe in him, of his great mercy forgive thee thy offences. And by his authority, committed to me, I absolve thee from all thy sins.'" Oxford ed. 1835.

(5) Expos. art. ix. p. 557.

(6) "The civil magistrate * * hath authority, and it is his duty to take order * * that all blasphemies and heresies be suppressed, all corruptions and abuses in worship and discipline prevented or reformed." Westminster Confession, ch. xxiii. § 4. Amer

Ipsa comitia non valent unitatem in sua provincia servare, quum auctoritatem nullam sacram habere agnoscantur, et oscillatione quadam in varias ferantur partes. Episcopaliani nullo communi vinculo tenentur, Anglicani enim regem vel reginam in omnibus causis civilibus et Ecclesiasticis, intra suam ditionem, suprema auctoritate pollere fatentur,[1] quod ex Dei ordinatione repetiit rex in solemni sua declaratione articulis præfixa:[2] Nostrates autem conventione generali res suas moderantur, in singulis diœcesibus cœtu quodam statuto, quo et Episcoporum arctetur potestas. Adeo autem carent communionis sacro vinculo, ut nonnisi humanitate quadam conjungi cum Anglicanis dici possint, cujus exercitium leges Anglicanæ coercent, vetantes ne exterus quis episcopus in suis Ecclesiis concionetur. Anglicani porro cleri comitia, quæ Convocationem vocant, nequeunt haberi absque venia regia, qualem etiam sanctionem ejus decreta exigunt ut valeant.

Obj. In Symbolis Protestanticis est summa consensio de præcipuis fidei dogmatibus: quæ varietatem exhibent ad liberas sententias referri possunt, ea ratione qua apud Catholicos plurima singulorum permittuntur arbitrio.

Resp. Quæ sint præcipua illa dogmata Protestantes numquam perspicuò docuerunt, nec regulam qua discernantur tradiderunt.[3] Profecto quæ ad Dei cultum pertinent, et ad Sacramentorum virtutem, rebus magni prorsus momenti sunt accensenda: in his tamen mira reperitur sententiarum discordia. Si omnia in quibus inter se collidunt sectæ liberæ disputationi permissa habeantur, vix aliquid manebit ex Christi doctrina et institutis quod certum et exploratum sit, ipseque plurima tradidisse et statuisse, nulla prorsus utilitate, aut fructu, videbitur. Libertas opinionum qua gaudent Catholici intra eos limites consistit, ultra quos revelatio solemniter promulgata non est progressa.

Obj. 2. Fides qua præcipua dogmata amplectuntur Protestantes universi, et charitas, qua, nulla habita sententiarum discordium ratione, se invicem tamquam fratres amplectuntur, eos unum corpus in Christo constituunt.

Resp. Longe abest a Scripturis sanctis et antiquitatis Christianæ sensu hæc fidei notio: immerito enim Hymenæus ob denegatam resurrectionem corporum circa fidem naufragus habitus est a Paulo, et Novatiani ob potes-

cani satis habent pro temporum conditione dicere: "as nursing fathers, it is the duty of civil magistrates to protect the church of our common Lord, without giving the preference to any denomination of Christians above the rest."

(1) Art. xxxvii.

(2) "Supreme Governor of the Church within these our dominions."

(3) "To tolerate exclusively opinions which do not relate to the fundamentals of salvation, or militate against them, must make way for intricate and endless disputes and difficulties, about what are, and what are not the fundamentals of salvation." Note on the history of events preceding the Synod of Dort, by Thomas Scott, p. 58, ed. Utica, 1831.

tatem Ecclesiæ in graviorum delictorum remissione denegatam, hæretici sunt declarati, et Pelagiani ob errores de naturæ integritate et viribus anathemate percussi sunt, si vaga illa dogmatum quorumdam agnitio fidei nomen mereatur. Charitas autem quæ jactatur non potest unitatem quæ deest supplere: nec enim ex amicis appellationibus, sed ex Christi instituto Ecclesiæ natura et unitas pendet. Cæterum quantum ab initio inter se pugnaverint sectæ, et quo odio se invicem adhuc prosequantur satis notum est. Lutherani Colloquium an. 1557 Vormatiæ, et an. 1568 Altenburgi, insanabile vulnus discordiæ, quo nova secta laborabat, frustra sanare tentarunt. Calviniani, Dordracena Synodo habita, in sectas Gomaristarum et Arminianorum scissi sunt, illis hos etiam ad mortem nonnumquam persequentibus. Nostris etiam temporibus vidimus scissam sectam, jurgio vehementiori, et contumeliis in foliis in se invicem latis.

C. IX. DE ECCLESIÆ SANCTITATE.

Veram Christi Ecclesiam, quam unam fide et regimine esse probavimus, sanctam quoque esse vix ullus negaverit: sed sanctitatis qua fulgere debeat notionem non omnes eadem ratione explicant. Invisibilem Ecclesiam sanctis constare dicunt Protestantes; visibilem verò peccatores plurimos complecti apud omnes est in confesso. Hanc a sancta doctrina deflectere posse et magnas reipsa corruptiones fovisse asserunt, et recensitis Catholicorum flagitiis Ecclesiam ipsam omni vitiorum genere exhibent inquinatam. Nobis verò persuasum est Ecclesiam necessariò sanctam doctrinam tradere, sancta ministrare sacramenta, sanctosque plurimos suo fovere sinu. Inter hos qui primi propagarunt apud varias gentes fidem sanctitate eminuerunt.

PROPOSITIO I.

Ecclesia Christi Sancta est ratione Fundatoris sui, eorumque quorum usus est opera præcipua in ea propaganda; doctrina etiam et sacramentis, necnon et sanctorum progénie.

Probatur. Vera Christi Ecclesia necessario debet ad eum et Apostolos suam referre originem, doctrinam quam tradiderunt promulgare, ritus quos in salutis humanæ subsidia instituit ille, peregerunt hi, persolvere: qua ratione quum verbum ejus fructu non careat, sanctæ progeniei mater fœcunda sit necesse est. Merito idcirco Ecclesia sanctitatis elogio in Scripturis ornatur. Apostolus, ad Ephesios scribens, hortatur maritos ut uxores diligant, "sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. Ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut

rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.[1] "Etsi cum Augustino hæc ad Ecclesiam gloriosam referre placeat, Ecclesia quæ in terris est sancta agnoscenda est, quum verbo fidei, et aquæ lavacro mundentur ejus membra, ut sanctorum consortio in cælis digni evadant. Sed in re manifesta non est immorandum.

PROPOSITIO II.

Ecclesia, cujus centrum est Sedes Romana, sancta est ea omni ratione qua Christi Ecclesia sancta prædicatur.

Probatur. Ad Christum et Apostolos originem suam indubiis documentis refert, uti postea videbimus. Id unum hic animadvertemus nullam aliam ejus originem felici successu unquam fuisse ab ingeniosissimis et infensissimis hostibus adsignatam. Præterea qui fidem per varias orbis plagas propagarunt, vel eam vindicarunt, omni virtutum genere effulserunt; post sæculum quippe Apostolicum Irenæus in Galliis, Justinus in oriente suam posuerunt operam in fide tuenda. Sæculo tertio emicuerunt Cyprianus in Africa, qui fidem scriptis et vita ornavit, Gregorius Neocæsareensis in Ponto, qui plurimos ad fidem adduxit. Quarto sæculo fidei defensores sanctitate illustres fuerunt Athanasius, Ambrosius, Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ephrem, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, plurimique alii. Quinto sæculo præclaros vetustæ fidei vindices nacta est Ecclesia Augustinum, Cyrillum Alexandrinum, Hieronymum, Joannem Chrysostomum, Leonem M. aliosque: quo etiam sæculo Patricius Roma missus Hibernos ad Evangelii lumen, prædicatione et vitæ sanctitate, pertraxit: Remigius Clodoveum regem cum Francis baptizavit. Sexto sæculo eminuerunt Fulgentius, Gregorius Turonensis, et Gregorius M., quo cæptis aspirante, Augustinus fidem apud Anglos propagavit. Posterioribus sæculis Bonifacius apud Germanos, aliique plurimi per provincias septemtrionales Evangelium cum fructu uberrimo prædicarunt. Quanto studio Beda, sæculo octavo, Bernardus sæculo undecimo, et Thomas Aquinas sæculo decimo tertio Catholicam propugnaverint fidem, notum satis est; nec de eorum eximia sanctitate minus constat. Ad tempora nobis propinquiora ut deveniamus, Franciscus Xaverius in Japonia et aliis partibus Indiarum Orientalium, Ludovicus Bertrandus in America Meridionali, aliique in plurimis regionibus sanctitate, laboribus Apostolicis, et gentium conversione, illustres extiterunt. Magnum quidem divinæ originis et auctoritatis Ecclesiæ argumentum inde derivatur, quod viri eximia virtute insignes totis viribus, et felici laborum successu in ea propaganda laborarint; et singula ejus dogmata promulgarint, imo magna doctrinæ copia vindicarint.

Ipsa doctrina quam Ecclesia Romana tradit, cæteræque per orbem Ecclesiæ, quæ eam matrem et magistram vocant, sanctissima profecto est. Christi quidem præcepta et ad perfectionem monita indesinenter inculcat,

(1) Eph. v. 25.

suosque filios ad altiora quæque virtutum exercitia, sanctorum propositis exemplis, invitat et urget. Omne damnat vitium, ipsaque cordis arcana veluti rimatur, singulos quosque animi affectus ab omni peccati labe servare studens, vel mundare. Nihil nos posse efficere in rebus salutis, absque divinæ gratiæ prævio motu, nihil etiam cogitare quod ad vitam æternam conducat, docens, Deo Salvatorique nostro suum servat honorem, simul autem hominum sub gratia vindicans arbitrii libertatem, eosque mercedis amplissimæ spe, et Dei dilectione, ad omne opus bonum instruens, et impellens.

Sancta sunt Sacramenta quæ Ecclesia suis filiis offert, quæque summam bonitatem, potentiam, et misericordiam Sponsi sui commendant. Baptismo abluitur sordes noxæ primariæ, homine in Dei filium adoptato, ut cupiditates gratiæ auxilio domare discat, et Deo vivat, regni cælestis futurus hæres. Roboratur confirmatione, et Deo inserviendi renovato proposito quæ ad lavacrum pollicitus est, iterum spondet se servaturum, Spiritus Sancti adjuvandus donis. In Eucharistia pane cælesti reficimur, imo carne Christi vescimur, et ejus sanguinem bibimus, modo prorsus ineffabili, sed vero, quo Christus in nobis est, et nos in Christo, vita in ipso fruentes, sicut ipse in Patre vivit. Intima hæc animarum cum Servatore nostro conjunctio divina prorsus est, qua et infinita ipsius erga homines dilectio exhibetur, et natura sublevatur humana. Pœnitentia peccata condonantur, ea tamen conditione ut ea toto corde detestemur, firmo etiam animi proposito concepto in posterum haud peccandi. Extrema morientium unctione subvenitur periclitantibus, ut divinitus adjuti in agone cum hoste non succumbant, sed in Christo triumphum reportent. Ordinibus sacris homines divinis muneribus destinantur, quibus nonnisi magna animi puritate, et cælesti auxilio se futuros idoneos edocentur. Matrimonio nubentium fides sancitur, Deo vetante solvi quod ipse sacro vinculo nectit, et præcipiente ut in omnibus honor decusque tanti mysterii servetur, omni immunditie a toro procul habita. Hæc omnia sanctitatem spirant, et cælestem produnt originem.

Ecclesiæ etiam matri sobole sancta lætari dedit Deus, omni quidem sæculo, virtutibus quippe Apostolico ævo effulserunt plurimi ubique, adeo ut sanctorum appellatione ob vitæ integritatem, æque ac disciplinæ professionem, digni habiti sint. Plurimi castimoniam coluerunt integram, cæteraque Evangelica consilia secuti sunt a primordiis Ecclesiæ, Ascetæ, a virtutum exercitio dicti. Secesserunt in solitudinem, Baptistam imitati, sæculo quarto ineunte, Paulus, Antonius, aliique numero pene infinito, cælestium rerum contemplationi vacaturi. Virginum cœnobia in Oriente primum erecta, Ambrosii opera in Occidente quoque animas quamplurimas Sponso Christo exhibuerunt castas.

S. Benedicto auctore lætata est Occidentalis Ecclesia monasteriis passim ædificatis, in quibus labore manuum sese sustentabant monachi, scripturarum lectioni, litterarum studiis, divinis laudibus concinendis, aliisque pietatis exercitiis etiam incumbentes. Sæculis etiam mediis, Bernardi

aliorumque sanctorum virorum opera, refloruit Monachorum disciplina magno cum rei Christianæ profectu, diffuso undequaque bono Christi odore. Quot autem in omni vitæ conditione omni virtutum decore, quolibet sæculo, etiam grassantibus vitiis, ornati Ecclesiam illustrarint, nemo dicere poterit; humilitas quippe in solio reges servos Christi sæpe exhibuit; animi mundities inter aulæ delicias visa est, et omne bonorum operum genus a plurimis exercebatur. Sæculo decimo sexto eximia prorsus virtutum exempla a Carolo Borromæo, Francisco Salesio, Philippo Neri, Vincentio a Paula, aliisque innumeris sunt data. Nostro autem tempore præclaro fulgent lumine plurimi ex omni gente et conditione. Liceat igitur quæ olim Manichæis dixit Augustinus, repetere: "Quam multi autem in nostra communione veraciter faciunt ista sublimiora præcepta Evangelica, de quorum specie fallitis imperitos. Quam multi homines utriusque sexus ab omni concubitu puri atque integri; quam multi experti, et postea continentes! Quam multi rerum suarum distributores et relictores! Quam multi jejuniis vel crebris, vel quotidianis, vel etiam incredibiliter continuatis, corpus servituti subjicientes! Quam multæ fraternæ congregationes nihil habentes proprium, sed omnia communia, et hæc nonnisi ad victum et tegumentum necessaria; unam animam et cor unum in Deum, caritatis igne conflantes![1]

Obj. 1. Sancta non est Ecclesiæ Catholicæ doctrina; fovet enim scelera, veniam confitenti sua peccata promittendo, eamque in ipso vitæ exitu scelestissimis quibuslibet impertiendo. Juramentorum, aliarumque omnium obligationum vinculum pro Sacerdotum lubito relaxari sinit. Omnia fere Ethices principia Theologorum disputationi permittit; qui pro suo arbitrio ea exponentes, fædissimis flagitiis non semel patrocinati sunt.[2]

Resp. Nemini pollicetur Catholica Ecclesia veniam ob solam peccatorum confessionem, sed exigit omnino ut cor a peccato abstrahatur, et Dei legi adhæreat: pœnitenti autem impertitur, Dei nomine, veniam, sive valetudine gaudeat, sive vita periclitetur, Deo per prophetam dicente: "impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua."[3] Sacerdotum arbitrio minime permittit juramenta aliasve obligationes solvere in quibus de aliorum juribus agitur, sed ea omnia sancte servanda docet: quæ autem obligationes Deum respiciunt, non pro lubito sacerdotum, sed prout postulat pœnitentium salus, a præsulibus Ecclesiæ, tamquam divinæ voluntatis interpretibus et Dei Ministris, nonnunquam relaxantur, aut in alias commutantur, iis scilicet in rerum adjunctis in quibus divinæ bonitati consonum videtur ut juramenti temere forsan præstiti haud exigatur impletio. Principia Ethices sanctissima tradit Ecclesia, eaque a petulantia ingeniorum et cupiditatibus humanis illæsa studet servare; quapropter

(1) Aug. contra Faustum l. v. c. 9.

(2) Infelix ad castra Protestantica redux ex operibus B. Alphonsi de Liguori plura undequaque collegit, et detorsit, ut sanctissimum virum vitiorum patronum exhiberet.

(3) Ezech xxxiii. 12.

damnatæ sunt sæpius a Summis Pontificibus propositiones nimia lenitate, aut rigore nimio peccantes. Quæ singuli Theologi tradiderunt toti Ecclesiæ non sunt adscribenda. Id tamen animadvertendum Jansenistarum fraude effectum, ut plures ad Sanctam Sedem deferrentur propositiones damnandæ, quas nullus ex Theologis revera propugnarat; uti in Hist. Eccl. Berault Bercastle videre licet.

Obj. 2. In ipso jure Canonico flagitia sanciuntur. Sic in Decreto Gratiani, ex Epist. V. Clementis Romani ad Jacobum Fratrem Domini, dicitur: "omnia amicorum communia esse debere; in omnibus autem sunt sine dubio et conjuges;" Et Tolet I. Conc. can. 17 recitatur: "Cæterum is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur."

Resp. Verba illa: "in omnibus autem," &c. desunt in epistola manuscripta servata in Bibliotheca Vaticana; ipsaque epistola genuina non est. Ex constanti quidem Ecclesiae fide liquet eam ab hujusmodi uxorum communione abhorrere, quam in Nicolaitis vehementer reprobavit. Concilium Toletanum concubinam vocat mulierem maritali affectu adscitam, quæ tamen sine tabularum dotalium solemnitate ducta est. De hujusmodi uxoribus inferioris gradus consuli possunt Justinianus Novella 18. c. 5, et S. Augustin. l. de bono conjugali.

Obj. 3. "Non juramenta, sed potius perjuria dicenda sunt quæ contra utilitatem Ecclesiasticam attentantur." Ita tradit Jus Canonicum.[1] Illud autem principium omnem evertit morum disciplinam. Sic Conc. Constantiense imperatorem Sigismundum haud teneri promissione quam in salvoconductu dederat, declaravit, fides quippe in promissis hæretico homini servanda non erat: "nec aliqua sibi fides aut promissio de jure naturali divino vel humano, fuerit in præjudicium catholicæ fidei observanda."[2]

Resp. Casus quem respicit objectum juris principium est juramenti sede vacante a Canonicis communi veluti consilio præstiti, quo Episcopi futuri juribus præjudicium inferebatur. Hujusmodi juramenta in Ecclesiæ damnum cessura, reprobat merito Pontifex, et valere negat. Illud autem commune est omnibus Ethicæ sanioris patronis, quod juramenta et promissiones de rebus illicitis vi careant.[3] Salvus conductus ab imperatore Sigismundo Huss datus est, ut iter tuto facere posset, et se judicio sistere, et regredi, absque sui discrimine, si felix foret causæ exitus: "salva semper justitia,"[4] uti Patres Constantienses citando Hieronymum a Praga animadvertunt. Nihil igitur contra fidem datam actum est, nec aliud affirmatum, quam salvum conductum, generalibus terminis conceptum, juxta notissima juris principia esse interpretandum. Quod autem illis temporibus capitis pœna hæreseos convictis illata sit, pravis contra publicam quic-

(1) *Cum contingat*, de jurejurando.
(2) Sess. xviii. col. 454.
(3) Vide Paley's Moral and Political Philosophy, ch. v. *Promises* ch. xvi. *Oaths.*
(4) Cit. Conc. Const. Sess. vi. col. 281.

tem principiis quæ heretici plerique, et Huss in primis propugnarunt, et machinationibus turbisque quæ sectis fere omnibus communes fuerunt, tribuendum censemus. Profecto Synodus potestatem suam intra judicium de hæreseos crimine, et censuras Ecclesiasticas contineri declaravit, eum sæculari potestati dum traderet: "Hæc Sancta Synodus Constantiensis Joannem Hus, attento quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid gerere valeat, judicio sæculari relinquere, et ipsum curiæ sæculari relinquendum fore decernit."[1]

Obj. 4. Ipsum principium persecutionis, cui aperte patrocinantur Ecclesiæ præsules, doctrinam haud sanctam, sed sanguinolentam probat. Inquisitionis tribunal a Summis Pontificibus erectum illud manifestum facit. Conc. Lateranense etiam ferro igneque delendos hæreticos docet.

Resp. Nullum persecutionis principium tradit Ecclesia, sed præsules ejus mitius severiusve censuerunt, pro indolis suæ varietate, vel temporum conditione, vel aliis rerum adjunctis. Augustinus mitissime cum Donatistis agendum censuit, donec Circumcellionibus in Sacerdotes grassantibus eorum furorem legibus coercitum viderit, et nonnullos pœnæ timore ad bonam frugem redactos. S. Leo M. professus est Ecclesiam Sacerdotali judicio contentam cruentas refugere ultiones, quamvis ex severis principum edictis referri aliquando fructum ei fuerit persuasum. Historia magistra edocemur turbas motusque civiles semper præcessisse legum severitati; ideoque ad eas hanc meritò referimus. Ipsa Inquisitio quæ ex parvis initiis ad tribunal formidandum excrevit, Albigensium tumultus in causa habuit; et in singulas nationes inducta est, quando publicæ quieti periculum ex hæreticorum vel apostatarum molimine imminere videbatur. Qui missi sunt a Pontifice fidei quæsitores in Gallias, in Episcoporum subsidium sunt destinati, ut latentes errores detegerent: pertinaces quidem, tamquam publicæ tranquillitatis hostes, brachio sæculari tradituri. Sed tribunal in Hispaniis erectum est ex Ferdinandi regis voluntate, ut apostatas regno insidiantes plecteret, Pontificia opera in eum finem præstita, ut Ecclesiasticorum judicum sententia quæ hæresis foret decerneretur:[2] hac ex parte Ecclesiæ universalis doctrina in normam judiciorum assumpta, privilegio etiam a rege concesso ut semel et iterum rei absolvi possent, levi injuncta pœna, veniæ potestate tertia vice tantum denegata. Mitigabatur igitur, quatenus Ecclesiastici viri interveniebant, legum rigor, et judicii æquitati consulebatur, nec sententia ferebatur in eos qui a majoribus hæresim hauserant, sed in apostatas a Catholica fide, qui quæ olim sancte spoponderant, cum ordinis et pacis publicæ dispendio violabant. Lateranense decretum in comitiis veluti generalibus reipublicæ Europæ latum censendum est, quippe reges per legatos, principesque cum præsulibus

(1) Conc. Const. Sess. xv. col. 410.

(2) Vide Ferraris, Bibliotheca Verb. *Inquisitio*, Bergier Dictionnaire de Theologie Inquisition, Lettres sur l' Inquisition, par le Comte Le Maistre: haud tamen Anglicam versionem.

interveniebant, ut inermibus consuleretur, juxta naturalis legis principium, quo vis vi est repellenda. In ipso mansuetudo Ecclesiastica manifesto discernitur, et discrimen inter eos qui solo hæreseos crimine, aliosque qui facinoribus plurimis sese pœnis severioribus dignos reddiderant, statuitur: "Sicut ait beatus Leo, licet ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones: catholicorum tamen principum constitutionibus adjuvatur, ut sæpe quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium." Pergit deinde hæreticos variis in locis et eorum fautores anathemati subjicere, et subjungit: "De Brabantionibus et Aragonensibus, Navariis, Bascolis, Coterellis et Triaverdinis, qui tantam in Christianos immanitatem exercent, ut nec ecclesiis, nec monasteriis deferant, non viduis et pupillis, non senibus et pueris, nec cuilibet parcant ætati, aut sexui, sed more paganorum omnia perdant, et vastent: similiter constituimus. * * * Cunctisque fidelibus, in remissionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus viriliter se opponant, et contra eos armis populum Christianum tueantur."[1]

Igitur populi Christiani contra violentos homines protectio, potius quam furor quidam persequendi illo decreto sanciebatur. Illud quidem celebratissimum semper fuit in Ecclesia principium nemini ad fidem vim esse inferendam, quod de iis qui nullo se obligarant vinculo Religionis primò affirmatum, ad alios etiam ex æquitate extendebatur, qui majorum suorum erroribus imbuti, quod ex baptismo contraxerant munus fidei Catholicæ profitendæ ignorabant. Ethnicis quidem id objecit Tertullianus ut persecutionis injustitiam ostenderet: "humani juris et naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere: nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi."[2] Judæis idcirco ad fidem suscipiendam vim illatam tempore Sisebuti regis Hispaniarum improbavit Concilium Toletanum IV., an. 633: "De Judæis autem hoc præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ * * * Ergo non vi, sed libera arbitrii voluntate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi."[3] Idem de Donatistis tradidit Augustinus: "Neque me id agere ut ad communionem Catholicam quisquam cogatur invitus, sed ut omnibus errantibus aperta veritas declaretur."[4] Ipsos in Catholicos saevientes civili auctoritate comprimendos quidem censuit, mitiori quam foverat sententia deposita, sed capitali eorum supplicio vehementius restitit, ad proconsulem Africæ scribens: "Unum solum est quod in tua justitia pertimescimus, ne forte quoniam quidquid mali contra Christianam societatem ab hominibus impiis ingra-

(1) Conc. Lat. iii. sub Alex. iii. an. 1179. § xxvii. col. 1683.
(2) Ad Scapulam, in initio, p. 85, ed. Lutetiæ.
(3) Conc. Tol. iv. can. 57, col. 590, tom. III., col. Hard.
(4) Ep. 34.

tisque committitur, profecto gravius est et atrocius, quam si in alios talia committantur, tu quoque pro immanitate facinorum, ac non potius pro lenitatis Christianæ consideratione censes coercendum: quod te per Jesum Christum ne facias obsecramus." * * * "Unde ex occasione terribilium judicum ac legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari."[1] Eadem charitatis viscera omnibus Ecclesiæ Patribus fuisse fidenter asserimus; nec ipsi Scriptores Catholici qui gladio in hæreticos animadvertendum censuerunt, eorum inhiabant sanguini, vel in eos absque discrimine, et omissa justorum judiciorum forma sæviendum voluerunt, sed veluti extremum quoddam remedium malo extremo adhibendum. Ea autem quæstio numquam agitata est, donec hæreses clades rerumque omnium eversionem secum attulerint; numquam agitata fuisset, ut nobis persuasum est, si hæreses nullas civissent turbas. Quæ igitur ea occasione a principibus Catholicis decreta vel facta sunt, non probant Ecclesiam persecutionem ob innocuos errores tradere, vel sancire. Non ita autem sectarii plurimi, apud quos sententia de magistratus civilis jure in hæresis extirpatione obtinuit, absque ulla lenitate vel mitigatione. Sic Calvinus in Servetum sæviit: sic Beza sæviendum docuit: sic fœdus sanguinis inierunt Puritani,[2] rege juramento adstricto se ex suo imperio exterminaturum omnes hæreticos, et vero Dei cultui adversarios: idque muneris civili magistratui in secundi decalogi præcepti explicatione haud obscure injungunt, quam etiam Presbyteriani nostrates retinent,[3] omnibus inculcantes se teneri vi divini illius præcepti ad sese pro sua conditione omni falso cultui opponendum, et ad monumenta idololatriæ, qua ratione Catholicum cultum placuit designare, tollenda.

Obj. 5. Confessio, uti fit apud Catholicos, morum corruptelæ pandit aditum: nam interrogationes quæ fiunt a Confessariis vitiorum notitia teneros animos imbuunt, et mulieres et puellas in manifestam tentationem conjiciunt, ut nihil dicamus de turpitudine sacerdotum.

Resp. Nihil aptius emundandis animis confessione peccatorum excogitari potest, inest enim unicuique pudor sua revelandi delicta, ideoque a peccato sæpe retrahitur confessionis difficultate et metu. Quæ pandit vulnera remedium excipiunt, ex Confessarii pietate, scientia, et in animis

(1) Ep. c. olim cxxvii. p. 270, t. 2, ed. Ven.

(2) De legibus dicit fœdus: "They ordain all Papists and Priests to be punished with manifold civil and ecclesiastical pains, as adversaries to God's true religion——— and as idolaters." Deinceps pergit: "We promise and swear by the great name of the Lord our God * * * that we shall * * * resist all these contrary errors and corruptions, according to our vocation, and to the uttermost of that power that God hath put in our hands." National Covenant, re-printed at Philadelphia, 1838. "We shall * * * endeavour the extirpation of Popery, Prelacy * * * superstition, heresy, schism, profaneness, and whatsoever shall be found to be contrary to sound doctrine." *Solemn League.* "The disapproving, detesting, opposing all false worship; and according to each one's place and calling, removing it, and all monuments of idolatry." *Catechism.*

medendis diuturno usu. Nullæ fiunt interrogationes cum innocentiæ periculo ; monet enim Rituale inutilibus et curiosis interrogationibus non esse quemquam detinendum, præsertim juniores, ne scandalum patiantur. Ex ipsa pœnitentis accusatione pendet plerumque interrogatio ; exquirit enim Sacerdos pro plagæ sibi jam detectæ natura, vel pœnitentis nota conditione. Quæ autem prudenter pro rei necessitate quæri contigerit, non tantum habent periculum, humilitate quippe et animi compunctione pœnitens ea profert quæ se reum ostendunt. Cæterum falluntur qui putant quæ in libellis precum aliquando continentur interrogationes a Sacerdote fieri, proponuntur enim tantummodo ut pœnitens suæ conscientiæ ante confessionem instituat examen ; nec auctoritate aliqua Ecclesiæ sanciuntur, sed a privatis scriptoribus prodierunt. Qui adeo abhorrent ab omni peccatorum mentione et accusatione, debent perpendere animæ, sicut et corporis, morbos occulta quadam et fere pudenda tractatione indigere ; et Deum ipsum in veteri lege enucleatius ea vetuisse, quæ ab auribus et cogitatu hominum abesse alioquin velit. Quod de Sacerdotibus insinuatur, eam postulat animadversionem, Ecclesiam sanctissimis et severissimis sanctionibus præcavisse ne ea ocasione aliquid admittatur, adeo ut qui tanto se ligaverit scelere, procul ab altaribus perpetuò esse jubeat.[1]

Obj. 6. Monasteria monialium perperam in sanctitatis exemplum adducuntur, quum sint plerumque vitiorum sentina, quod Episcopi Pistojensis, Scipionis Ricci, testimonio probatur.

Resp. Constat Monialium cœnobia sanctissimum ob finem erecta, sanctis regi institutis, virtutum etiam exemplis ornari : quod si aliquando a semita deflexerint nonnullæ, vel disciplina in toto monasterio relaxata fuerit, "corruptio optimi pessima" ploranda est. Cæterum quæ Ricci nomine vulgata sunt a De Potter, homine sublestæ fidei, nullam habent auctoritatem ; ipse enim Ricci se Leopoldo Tusciæ Arciduci præstitit ministrum in iis quæ aggressus est contra sacra instituta. Mirum non est eos qui injuriam volunt inferre, causas quærere, fictasque pro veris venditare. Infelicis episcopi, Jansenianis placitis adhærentis, quæ senex tandem deseruit, testimonium de quodam suæ diœcesis monasterio non potest, etsi constiterit ejus esse, et rerum veritate niti, omnium vel plerorumque per orbem monasteriorum integræ nocere famæ. Quo studio Ecclesia eorum puritati invigilet ex plurimis Pontificum summorum decretis liquet : specialis quippe Episcoporum requiritur licentia ad Confessiones Monialium excipiendas, nec Confessario patet ingressus, nisi ut ægrotanti subveniat, anathemate ingredientibus absque venia intentato.

Obj. 7. Pontifices summi quamplurimi omni flagitiorum genere obstricti sunt : Episcopi plerique sceleribus etiam inquinati : Sacerdotum palam delinquentium multitudo dinumerari non potest, adeo ut de omnibus sit justa suspicandi ratio : laici ebrietate, jurgiis, et facinoribus omnibus plerumque sunt insignes.

(1) Vide Benedict XIV. Constit.

Resp. Quosdam ex iis qui dignitate præstabant, vitiis inquinatos fuisse non inficiamur: cæterum numerum immenso plus augent Ecclesiæ hostes. Series summorum Pontificium plurimos exhibet virtute illustres, quamvis ex temporum calamitate in sedem sanctam nonnulli intrusi sint tanto munere indigni, quod sæculo decimo, et undecimo, Tusciæ marchionum vel Romæ tyrannorum vi, aliquando contigit. Cæterum Petri "dignitas in indigno hærede non deficit," uti pulchre animadvertit S. Leo M.[1] ipseque Christus monuit eos qui super cathedram Moysis sedent audiendos esse, etsi documenta morum quæ tradunt non servent. Quæ absque discrimine de Episcopis, Sacerdotibus, laicisque asseruntur, historia et experientia refelluntur, constat quippe sanctissimos extitisse viros qui omnia Christiani hominis munera expleverunt, eosque etiamnum non deese: "sed vestrum oculum" uti animadvertit olim Augustinus, Manichæos alloquens, "malevolus error in solam paleam nostræ segetis ducit: nam et triticum ibi citò videritis, si et esse velletis."[2] "Fruges in agro, frumenta in area quærite: apparebunt facile, seseque offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? quid ab opimi horti ubertate homines sepium asperitate terretis? * * * Sunt in Ecclesia Catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non utantur, sunt qui utantur, tamquam non utentes."[3] "Quam enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos, et cujuscemodi ministros divinorum Sacramentorum, quorum virtus mihi mirabilior et majori prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare: non enim sanatis magis quam sanandis hominibus præsunt."[4] Hæc quæ de suo tempore dixit Augustinus, nostris etiam temporibus accommodantur.

Obj. 8. Qui apud Catholicos prædicantur sancti ex incerta fama sacros adepti sunt honores, ante sæculum quippe duodecimum *canonizatio* Pontificia non est invecta, quæ etiam nonnisi sæculo proxime elapso certis regulis cæpit peragi, tota re adhuc pendente ex unius hominis judicio, quod partium studii, vel etiam turpis lucri non vacat suspicione. Sæculis autem mediis sanctos habitos plerosque qui monachorum cucullum induerant, constat.

Resp. Sanctitas personarum qua Ecclesiæ vindicatur fœcunditas non pendet ex unius alteriusve meritis, sed satis patet si liqueat præcipuos præsertim fidei propagatores et vindices floruisse virtutum laude, et alios omni fere vitæ conditione extitisse omni sæculo qui bonum Christi odorem sanctæ vitæ exemplis ubique diffunderent. Id autem ex certissimis documentis constat, et apud adversarios plerosque est in confesso.

(1) Serm. 2. de assumpt. sua ad Pontif.
(2) Contra Faustum, l. v., c. xi.
(3) Aug. l. i. de moribus Eccl. Cath. c. xxxv., col. 714, t. 1.
(4) Ib. c. xxxii. col. 711.

Quod autem Sedi Apostolicæ ab Alexandri III. temporibus sanctorum solemniter in album referendorum auctoritas sit reservata, non ostendit eorum qui prius colebantur sanctitatis notitiam ex incerta fama derivatam. Jam Joannes XV. in Concilio Lateranensi anno 993 Udalricum Episcopum Augustanum solemniter sanctum declaraverat. Antequam autem Sancta Sedes jus illud reservaverit, ad majorem in re tanti momenti cautelam, Metropolitæ præsertim suam exercebant diligentiam, et sua auctoritate fideles de viri sancti virtute certiores faciebant: quod ab Archiepiscopo Rhodano an. 1163 de S. Gualterio factum novimus. Invigilabant etiam Episcopi singuli in suis diœcesibus ne populus Christianus leviter ad colendum viros dubiæ virtutis laberentur: quod a S. Anselmo aliisque præstitum refertur.[1] Quod si ex populi superstitione et judicio præcipiti, vel etiam ex Monachorum culpa, vel præsulum socordia, aliquis sancti nomen vel cultum alicubi obtinuerit, quin foret dignus, non ideo evadit incerta sanctitatis eorum, qui ab Universali Ecclesia veris virtutibus ornati agnoscuntur: nec enim ad alia loca plerumque transiit error, et cultus, quamvis sancti nomen facilius aliquando datum sit a scriptoribus. Regulæ autem quibus utitur Pontifex in vitæ sanctitate indaganda ejusmodi sunt quæ certitudini pariendæ etiam humanitus sunt idoneæ; et quamvis progrediente tempore auctæ sint, et perfectæ, ea tamen semper adhibita est diligentia quæ errandi periculum excluderet. Nec partium studio tribui potest Pontificis judicium, quum Ecclesia non indigeat novo aliquo subsidio, ipseque maturum exigat prævium examen, juratis testimoniis de virtutibus et de miraculis allatis, post famam sanctitatis jam probatam. Ne quid temere fiat decem a traditis processibus de ea elabantur anni necesse est, antequam *signatura commissionis* detur ad aperiendam causam, testium de virtutibus speciali examine, quorum testimonia etiam valida probata dubio de virtutibus locum relinquunt, quod nonnisi quinquaginta annis a servi Dei obitu elapsis discuti potest: ne nimio studio quid fiat, vel aliquid alias lateat quod testium fidem, licet jam examine facto probatam, posset infirmare. Adhibetur *Fidei Promotoris* industria ad omnes actus rimandos; cætus qui dicitur *Congregatio S. Rituum* judicium, pluribus accersitis consultoribus, Pontificio præit, et plurima alia fiunt quæ summam solicitudinem ostendunt veritatis detegendæ, et omne partium studium abesse."[2] Quæ de avaritia injicitur suspicio fundamento caret, impensæ enim, gravissimæ licet, ex tot prævíis processibus, et solemni ritu necessario oriuntur. De sæculis mediis haud gravamur fateri nonnullos in Monachorum Hagiologio nimis facile aliquando recensitos, quos tamen non agnoscit Universalis Ecclesia. Cæterum quis non mirabitur, Bernardum, Malachiam, Thomam Aquinatem, Petrum Damiani, aliosque sæculis illis fulgore virtutis totam illustrantes Ecclesiam?

(1) Apud Lupum in Not. ad iv. Conc. Rom. S. Leonis ix.

(2) Qui hæc fusius explicata videre velit, adeat Benedict. xiv. de Canonizatione, vel Synopsim, ab Emmanuele de Azevedo l. 1.

PROPOSITIO III.

Sanctitas doctrinæ Catholicæ et plurimorum Ecclesiæ filiorum omni sæculo divinis prodigiis probata est.

Probatur de 2°. Sæculo ex coævo Scriptore gravissimo, de miraculis et quidem splendidissimis, tamquam de publicis et frequentibus loquente. Exprobrat Irenæus sectatoribus Simonis et Carpocratis eos miracula facere non posse, nempe cæcis visum donare, surdis auditum; aliisque quæ in Ecclesia fiebant recensitis, adjungit: "tantum absunt ab eo ut mortuum excitent: quemadmodum Dominus excitavit, et Apostoli per orationem, et in fraternitate sæpissime, propter aliquid necessarium ea quæ est in quoquo loco Ecclesia universa, postulante per jejunium et supplicationem multam reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum:"[1] "Jam etiam quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt, et perseveraverunt nobiscum annis multis."[2]

Tertullianus Ethnicos fidenter provocat ut Christianorum in dæmones potestatis periculum faciunt, coram tribunalibus; et consentit ut Christianus qui eos non valeat comprimere fundatur sanguis.[3]

Origenes contra Celsum fidem vindicavit prophetiis et miraculis, "quorum patrandorum vim ac potestatem penes Christianos esse"[4] affirmat.

S. Cyprianus plura refert quæ Domini majestatem in Eucharistia respiciunt, et quorum aliqua, se sacrificante et teste, evenisse affirmat.[5]

S. Augustinus: "Etiam nunc fiunt miracula in ejus *(Christi)* nomine, sive per sacramenta ejus, sive per memorias sanctorum ejus. * * Miraculum quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia et grandis civitas, et ibi erat tunc Imperator, et immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii et Gervasii: quæ cum laterent, et penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium revelata reperta sunt; ubi cæcus ille, depulsis veteribus tenebris, diem vidit."[6] Plurima alia refert, quorum aliqua se vidisse perhibet. Quæ S. Stephani reliquiis publice delatis contigisse refert, Orosium aliosque habent coævos testes. Ambrosius etiam miracula occasione reliquiarum S. Protasii et Gervasii testatur.[7]

Victor Vitensis insigne narrat prodigium quod an. 484 contigit "in Typasensi Mauritaniæ majoris civitate. Rex Hunericus "comitem quemdam cum iracundia dirigens præcepit ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas *(Catholicis)* et manus dexteras radicitus abscinderet.

(1) Irenæus l. ii. adv. hær. c. 56.
(2) Ib. c. 57.
(3) Apol. c. 22. p. 24. l. ad Scapulam c. 2. p. 86.
(4) Lib. 1. contra Celsum § 2. p. 24. ed. Wirceb.
(5) l. de lapsis.
(6) l. xxii. de civ. Dei. c. 8.
(7) Ep. 2. ad Soror. Marcellim.

Quod cum factum fuisset, Spiritu Sancto præstante, ita locuti sunt, et loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis subdiaconum Reparatum, sermones politos sine ulla offensione loquentem."[1] Justinianus Imperator id etiam testatur: "Vidimus venerabiles viros, qui abcissis radicitus linguis suas pœnas miserabiliter loquebantur."[2] Marcellinus comes Illyrici: "Ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos, præcisis linguis, manibusque truncatis, apud Byzantium integra voce conspexi loquentes."[3]

S. Chrysostomus: "Nec nostra quidem, si recordemur, ætate mirabilia defuerunt. Siquidem sub principe Juliano, qui omnes impietate superavit, signa frequenter ostensa sunt. Judæis enim templum Hierosolymis reædificare cupientibus, de fundamentis ignis exiliens, a cæpta illos ædificatione deterruit."[4] Ammianus Ethnicus id etiam testatur: "Cum itaque rei fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum: hocque modo elemento desti natius repellente, cessavit inceptum."[5] Hos coævos scriptores, ut Ambrosium,[6] aliosque plurimos silentio pertranseamus, in fictionem rei tam mirandæ convenisse nemo dicet: eos autem qui operi tanto studio incumbebant naturalem quemdam effectum pro prodigio habuisse, et ita ab opere cessasse, vix alicui a partium studio libero suadebitur. Frustra laborat Gibbon in re adeo manifesta.[7]

Quæ a S. Augustino Anglorum Apostolo miracula patrata referuntur S. Gregorio adeo certa visa sunt ut ei plurima suggerenda duxerit, quibus insuperbiendi tolleretur occasio,[8] sicut Christus discipulis gaudentibus dæmones sibi esse subjectos. Suffragatur constans gentis Anglorum traditio, venerabili Beda teste,[9] et certissima gentis ad fidem conversio.

Quæ in Catholica Ecclesia claruerunt miracula a Bernardo, Malachia, Ludovico Bertrando, Francisco Xaverio, aliisque quovis sæculo, ad nostra usque tempora facta, silemus, quum satis sit demonstrasse ex gravissimis documentis et testibus, iis confirmatam fidem Catholicam diu post Apostolorum tempora, quando ex Adversariorum confessione, obtinuit ubique ea quam nunc prædicamus doctrina.[10]

(1) L. v. de pers. Vandal.

(2) Cod. l. 1. Tit. 27. de officio Præf. Præt. Africæ.

(3) In Chronico. Vide etiam Æneam Gazaeum in dial. de immort. animæ, et Procopium l. 1. de bello Vandal.

(4) S. Chrys. hom. iv. in c. 1. Matthæi sub initium.

(5) Ammian xxiii. 1.

(6) Ambros. tom. ii. epist. xi. p. 946 edit. Benedict.

(7) Hist. ch. xxiii. p. 37. vol. ii.

(8) Ep. l. xi. 28.

(9) Eccl. hist. l. 1. c. 26.

(10) Vide Milner's End of controversy, Sanctity of the church. Hay on Miracles.

His verò omnibus non parvum accedit robur ex Evangelio quo miracula a suis discipulis facienda prædixit Christus, quin temporis designaret limitem.[1]

Obj. Miracula unius vel alterius Scriptoris testimonio nituntur, cujus alioquin animus ad mira credenda proclivis ex ipsa narratione patet. Sic ipse Gregorius M. mira narrasse perhibetur Petro suo diacono nihil hujusmodi antea suspicanti, quorum etiam plurima ridicula sunt et Deo prorsus indigna.

Resp. Non omnia quæ afferuntur miracula eadem fulciuntur auctoritate : sunt enim quædam minus nota, quæ ex unius, aut alterius testis pendent fide, alia verò plures habent testes, et rerum illustri et notissima conversione commendantur. Ipse adnotat Gregorius se nomina eorum qui sibi ea retulerunt recensere, ut ex testis integritate constet orationi fides. Ea quæ plerumque privatim contigerunt, paucis idcirco nota, Petrum diaconum facile latere potuerunt : cæterum relata, testium citatis nominibus, ipsi certissima visa sunt. Nonnulla ex illis risum alicui movere possent, sicut ipsa quæ in Scripturis referuntur, Veteris præsertim Testamenti, ridicula etiam alicui possent videri. Sed pleraque gravissima sunt, quæque divinam bonitatem summe commendant. Quidquid verò de iis quæ sapientissimus Pontifex suis retulit dialogis censeatur, ea quæ ab Augustino patrata agnovit, testes habuerunt alios quamplurimos, quorum testimonium ad Bedæ usque tempora, gentis Anglorum traditione, claruit, et eorum ad fidem conversione est munitum. Sicut igitur miraculis Christi et Apostolorum gentium conversio fidem facit,[2] ita et Augustini miraculis Anglorum conversio robur adjicit.

Obj. 2. Longe distant testimonia quibus Evangelica miracula probantur, ab iis quæ miracula posteriora commendant. Scriptores coævi, oculati plurimorum testes, res gestas referunt in ipsa qua dicuntur contigisse regione inter hostes Christi, ad novam inducendam religionem : e contra alia miracula plerumque post sæculorum lapsum narrantur ex vulgi fama, ipsa enim quæ maxime probanda videntur, utpote Pontificii tribunalis examini subjecta, vix ante sæculum ab obitu possunt in curia allegari : quo fit ut progrediente tempore quædam mira sancto alicui tribuantur, de quibus ne cogitavit quidem coævus aliquis scriptor, sicut de Ignatio a Lojola contigit. Procul etiam a loco res gestæ sæpius narrantur, miracula quippe Francisci Xaverii in Europa ex Missionariorum litteris, hac ratione suæ causæ patrocinantium, claruerunt. Plerumque etiam in Papistarum provinciis abundant miracula, de quibus nullum in regionibus Protestanticis occurrit vestigium. Tentando fiunt, seu periculum rei faciendo, infelici sæpius successu, potius quam certa quadam virtute, et Dei potentia. Quæ-

(1) Marci xvi. 17. Joan. xiv. 12. 13. Matt. xxi. 21. Luc. xvii. 6.
(2) Paley, passim.

cumque igitur allegantur, habenda sunt incerta, vel saltem quorum latet causa, Deo vindice opus non habens.[1]

Resp. Nec nos volumus miracula quæ in posteriorum documentis referuntur, Evangelicis æquiparare. Cæterum ea principia quæ ex hominum testimoniis derivantur, ad his conciliandam humanam quandam fidem, apud eos qui divinam Sacrorum Scriptorum auctoritatem non agnoscunt, inserviunt etiam posterioribus miraculis probandis. Nec enim omnia a fama vulgi, vel recentiorum fide plerumque pendent, sed testes habent locupletes, et sæpius oculatos, qui publicam appellant fidem. Irenæus profecto de mortuis suscitatis et apud fideles adhuc versantibus, tamquam testis oculatus, locutus est: Cyprianus quod ipso sacrificante contigit, narrat: Augustinus plura quæ oculis suis viderat, quæque civitati integræ innotuerant: Sic et Imperator Justinianus, aliique complures, se oculatos testes perhibent hominum absque lingua loquentium. Quod autem canonizationis ritus nonnisi post diuturnum annorum spatium fiat, ut in re tam gravi nullus sit studio vehementiori, vel deceptioni locus, sapientissime cautum est; sed testimonia de vitæ sanctitate et miraculis excipiuntur decennio post processum de fama sanctitatis, quæ examini severo subjecta, et valida probata, canonizationis fundamenta jaciunt, quamvis ad omne errandi periculum declinandum, quinquaginta expectentur anni antequam ultra procedatur. Merito probatissima inter omnia dicit Paley hæc miracula,[2] quum revera sit examen severissimum, quod ea extra omnem dubitationem ponit, adeo ut rejiciat sæpius tribunal, tamquam haud sufficiens, testimonium quod aliis, juxta communes certitudinis ex humana fide pendentis regulas, sufficiens haberetur.[3] Quod ad S. Ignatii a Lojola miracula pertinet, ea Ribadeneirae scriptori ejus vitæ, innotuerunt, quod plane professus est: "Mihi tantum abest ut ad vitam Ignatii illustrandam miracula deesse videantur, ut multa eaque præstantissima judicem in media luce versari."[4] Cæterum ea priori sui operis editione noluit sigillatim recensere, ne decreto Tridentino nuper edito de miraculis haud probatis non divulgandis, contraire videretur; sed ea jam apud sedem Apostolicam probata tertiæ operis editioni inseruit. Haud omnia miracula procul a locis ubi patrata dicuntur primò relata sunt, sed eorum fama sæpissime ad remotissimas plagas manavit. Sic contigit de miraculis S. Francisci Xaverii; eorum enim fama cum vitæ sanctæ odore ad Europam perveniente, jussit Joannes III. Portugalliæ rex vices suas apud Indos obeunti, ut jurata testimonia de iis exciperet, inde transmittenda. Regium hoc mandatum intra quatuor annos a sancti viri obitu

(1) Vide Paley, Evidences of Christianity, prop. ii. ch. 1, ex quo objectiones has derivavimus.

(2) Paley: "the very best attested of which is extracted from the certificates that are exhibited during the process of their canonization, a ceremony which seldom takes place till a century after their deaths." Evidences, prop. ii. ch. 1. § 1.

(3) Vide Milner's End of Controversy, Letter xxiv.

(4) Ed. 1752.

editum est, et quæ missa sunt testimonia, ad Apostolicam Sedem perlata, judicio de canonizatione ejus præbuerunt, inter alia quamplurima, fundamentum. Quod dicitur de miraculis in regionibus Catholicis tantum patratis, lepidum est magis quam verum; nam in Anglia, Hibernia, et Germania, aliisque locis ubi grassantur hæreses, mira Dei opera sæpe sæpius claruerunt: nec defuerunt divinæ potentiæ mira indicia in his fœderatis provinciis, recentissime, fere sub oculis nostris.

C. X. DE SANCTITATIS DEFECTU.

PROPOSITIO I.

Doctrina a Protestanticis Sectis propugnata Sanctitati minus favet.

Probatur. Ex auctoribus Sectarum doctrina æstimanda est, plerumque enim suum sentiendi modum sectatoribus impertiuntur, uti recte animadvertit Moëhler,[1] adeo ut, etsi placita nova sæpe adoptentur, eadem sit indoles sectæ, quæ parentis. Jam verô Lutherus pessùm dato libero hominis arbitrio, quo gratiæ obtemperatur, hominem reliquit ad scelera præcipitem, vel de Dei in anima sua opere temere præsumentem. Audiatur ipse Erasmo respondens: "Est itaque et hoc imprimis necessarium et salutare Christiano, nosse quod Deus nihil præscit contingenter, sed quod omnia incommutabili et æterna, infallibilique voluntate et prævidet et proponit, et facit. Hoc fulmine sternitur et conteritur prorsus liberum arbitrium."[2] Fidei perfectionem, haud sine blasphemia, sic describit: "Hic est fidei summus gradus, credere illum esse clementem, qui tam paucos salvat, tam multos damnat, credere justum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit, ut videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum, et odio potius quam amore dignus. Si igitur possem ulla ratione comprehendere, quomodo is Deus sit misericors et justus, qui tantam iram et iniquitatem ostendit, non esset opus fide."[3] Humanæ voluntatis conditionem sic exhibet: "Sic humana voluntas in medio posita est, ceu jumentum; si insederit Deus, vult et vadit quo vult Deus, ut Psalmus dicit: 'Factus sum sicut jumentum, et ego semper tecum.' Si insederit Satan, vult et vadit quo vult Satan, nec est in ejus arbitrio ad utrum sessorem currere, aut eum quærere: sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum et possidendum."[4] "Erga Deum vel in rebus quæ pertinent ad salutem vel damnationem, non habet liberum arbitrium, sed captivus, subjectus et

(1) Moehler Symbolique ch. v. p. 40. 1. 2.
(2) Luther. de servo arbitrio, p. 117. ed Jenæ, an. 1557.
(3) Ib. fol. 176 ex altera parte.
(4) Fol. 177 ex altera parte.

servus est, vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanæ."[1] Recte dixit Lutherus hanc de servo arbitrio esse "summam causæ:"[2] re enim vera celebre ejus placitum de fide justificante inde pendet. Liquet autem omne virtutum fundamentum hac ratione tolli. Audi ipsum alias clamantem, recitatis Apostoli verbis: "Non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Igitur non tuis viribus, sæculum nequam et vitia tua vinces; frustra sunt opera, nisi Christus te eripiat solus. Quare cave, ne jejunia, vigiliæ, studia, temperantia, sobrietas, aliæque virtutes, te hypocritam irreparabilem faciant."[2] Quæcumque adhibeatur verborum horum interpretatio, virtutum exercitium certe haud fovent.

Calvinus, quamvis plerumque cautius locutus sit, ex professo tamen contendit Deum non tantum permittere, sed etiam agere, quæcumque a Satana, et omnibus reprobis fiunt. De Catholicorum distinctione sic disserit: "Ac excusabilis forte esset eorum modestia, quos terret absurditatis species, nisi quod perperam mendacii patrocinio asserere tentant Dei justitiam ab omni sinistra nota. Absurdum videtur, volente ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pænas daturus est. Tergiversando itaque effugiunt, Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri: ipse vero palam se facere pronuntians, effugium illud repudiat. Quod autem nihil efficiant homines nisi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitent, nisi quod ipse jam apud se decreverit, et arcana sua directione constituat, innumeris et claris testimoniis probatur. Quod ante citavimus ex Psalmo, Deum quæcumque vult facere, ad omnes actiones hominum pertinere certum est." * * * "Absalom incesto coitu patris torum polluens, detestabile scelus perpetrat; Deus tamen hoc opus suum esse pronuntiat: verba enim sunt: 'Tu fecisti occulte: ego vero palam faciam, et coram sole hoc.' "[3]

Presbyteriani docent Deum summo suo consilio, ad suæ supremæ potestatis gloriam, ab æterno ordinasse omnes, præter eos quos sibi gratuita misericordia elegit, ad dedecus et iram, ad suæ justitiæ laudem. Omnia etiam Angelorum hominumque peccata ab ipso præ-ordinata tradunt non tantum permissive, sed speciali quadam ratione quæ ad providentiæ suæ regimen pertinet. Electos ipsos ad tempus sibi veluti relictos, ut vim corruptionis quæ suis cordibus inest, experimento discant, non verentur af firmare. Corruptam naturam humanam peccato primorum parentum agnoscunt, et eam corruptionem in hominibus etiam post baptismum manere, omnesque ejus motus vere et stricte peccata esse profitentur: omneque peccatum hominem æternæ morti subjicere. Hominis libertatem peccato penitus amissam tradunt, adeo ut jam suis viribus nequeat aliquate nus se ad conversionem disponere; dicunt scilicet a Deo totum translationis

(1) Sub finem fol. 237 ex altera parte.
(2) In ep. ad Gal. f. 4.
(3) Calvin. l. 1. Inst. c. xviii. § 1. p. 155. 156.

ad gratiam opus proficisci. Eum autem renatum sola Dei gratia libere velle et facere bonum, malum etiam ex manente in corde suo peccati corruptione adhuc velle docent. Ex Dei prædestinatione solos electos efficaciter vocari, et omnipotentia divina eorum voluntatem ad bonum determinari asserunt. Hanc vocationem adjungunt nullatenus referri ad aliquid quod Deus in homine prævidit, qui penitus *passive* quoad eam se habet. Alios præter electos, quamvis Verbi ministerio vocatos, et Spiritus Dei aliquam in se operationem sentientes, numquam vere ad Christum accedere, nec salutem assequi posse contendunt. Fidem qua in Christi justitia nitimur justificationis nostræ, quæ in sola peccatorum venia, nobis insuper justis habitis, sita est, nullo dono justitiæ nobis infuso, unicum instrumentum tradunt, quamvis eam comites habere alias salutares gratias fateantur. Qui semel justificati sunt numquam ab eo statu excidere possunt, juxta horum placita, sed Deus eorum peccata dimittere non desinit; quibus tamen ei displicent, nec benigno vultu ejus fruuntur, donec eorum se pœnituerit. Electos idcirco a Deo paterne correptos dicunt, numquam tamen rejectos, sed in diem redemptionis signatos. In pugna quae inter carnem et spiritum geritur, quæ nobis inest corruptio, admodum ad tempus prævalet, sed novis subsidiis Sancti Spiritus additis, pars illa hominis quæ renata est, superior iterum evadit, et hac ratione Sancti proficiunt. Pœnitentiam, seu potius resipiscentiam, necessariam agnoscunt, non tamen veniæ causam, quæ ex sola fide pendet. Nullum peccatum adeo parvum admittunt quod æternam damnationem non mereatur: nullum adeo enorme quod pœnitentibus exitio esse possit. Opera bona commendant, eaque fidei fructus et argumenta designant: sed qui maxime obedientia præstant, longe deficiunt ab eo ad quod tenentur. Quæ ab hominibus haud renatis fiunt, quantumvis in se bona videantur, et Dei præceptis conformia, fidei tamen, et finis sublimioris defectu, peccato sunt inquinata. Sanctorum perseverantia ex eorum libero arbitrio non pendet, sed ex Dei eligentis decreto immutabili: qui tamen in gravia peccata incidere possunt, et in iis ad tempus perdurare, qua ratione Deo displicent, Sanctum Spiritum contristant, aliquibus gratiis et consolationibus privantur, et temporalia in se adducunt judicia. Fides electorum non est fiducia tantum, sed infallibilis certitudo, Dei promissis, et Spiritus sancti testimonio innixa, quæ fructum habet diligentiam in salutis negotio, quæ proinde morum licentiam fovere haud est dicenda; quamvis peccato admisso maneat tamquam Dei semen, quo a desperatione serventur electi. Lex morum omnes etiam renatos obligat, eisque ad sui humiliationem inservit, et ostendit quæ suis delictis mereantur, et quas hujus vitæ ærumnas propterea expectare debeant, quamvis a legis maledicto fide sint liberati. Adulterii causa matrimonii divortium fieri posse insuper docent, quo impetrato innocenti novum inire matrimonium licebit. Etiam ob desertionem conjugis, cui nec civilis magistratus, nec Ecclesia, mederi poterit, divortium concedi tradunt. Hæc, quæ ex fidei Confessione descripsimus, commentatione vix indigent; cuique enim perspectum esse

debet eam salutis infallibilem certitudinem, quæ cum peccati gravis patratione constare potest, aditum peccato aperire; præsertim quum neminem posse legem Dei perfecte implere, et quodlibet peccatum damnationem mereri asseratur, electis ad pœnas temporales solummodo imputandum. Quantumvis plura immisceantur ad hæc emollienda, manifestum est totam Confessionis vim in dogmate illo de prædestinatione, et fide inde secuta, poni, in quo sectæ cardo vertitur. Omnis profecto morum disciplina hac ratione evertitur, et præsumptio fovetur, vel barathrum desperationis aperitur. Eadem iisdem fere verbis in Baptistarum confessione reperiuntur. Synodus Dordracena ea ante duo sæcula tradiderat, docens electos ipsos aliquando a carnis concupiscentiis violenter abduci, Deo id justo judicio permittente, quod Davidis et Petri exemplis illustrat; quibus peccatis gratiæ perceptio ad tempus nonnunquam ammittitur.[1]

Anglicani opera absque Christi gratia facta peccati naturam habere docent,[2] et insinuant bonam voluntatem ita a Deo provenire, ut ejus tota sit,[3] adeo ut fide tantum, uti aperte dicunt, justificemur.[4] Quamvis autem opera bona, tamquam fidei fructus, necessaria habeant,[5] nihil nos facere posse contendunt præter illa quæ arcta lege facere tenemur.[6]

Obj. Ecclesiæ Protestanticæ omnes nihil non faciunt ut homines a vitiis retrahantur.

Resp. De sectarum principiis est quæstio, quæ conversioni parum favere manifestum est. Qui animo habet persuasum conversionem suam adeo a Deo provenire, ut nullas in ea ipse agat partes, vix movebitur ad sancta illa exercitia suscipienda quibus peccatoris animus plerumque concutitur, judiciorum Dei metu, et ad Dei legem amplectendam movetur. Ita autem Dei Spiritui tribuere solent opus illud, ut homo nihil agat, juxta majorum suorum principia: "affirmat quidem Deus se velle omnium conversionem, et exhortationes communiter omnibus destinat: efficacia tamen pendet a Spiritu regenerationis."[7] Concinit Lutherus Calvino, ita Erasmo respondens: "Quis," 'inquis,' "studebit corrigere vitam suam? Respondeo: Nullus hominum, neque etiam ullus poterit, nam correctores tuos sine Spiritu Deus nihil moratur, cum sint hypocritæ. Corrigentur autem electi et pii per Spiritum Sanctum: cæteri incorrecti peribunt."[8] Et alias de fide dicit: "Opus est enim omnium operum excellentissimum, et arduissimum, quo solo, etiamsi cæteris omnibus carere cogereris, servaberis. Est enim opus Dei, non hominis, sicut Paulus docet; cætera nobiscum et

(1) Ch. v. Articles of the Synod of Dort, p. 117.
(2) Art. xiii.
(3) Art. x.
(4) "That we are justified by faith only is a most wholesome doctrine. Art. xi."
(5) Art. xii.
(6) Art. xiv.
(7) Calvinus l. 3. Inst. c. 3. § 21.
(8) Lutherus de servo arb. p. 176.

per nos operatur, hoc unicum in nobis, et sine nobis operatur."[1] Cæterum hæc ut emolliant, recentiores dicunt diligentiam, praeparationem et orationem exigi, ut verbum prædicatum sit nobis ad salutem efficax; non tamen constat hæc ita dici, ut non intelligantur a Spiritu Dei etiam efficaciter et irresistibiliter donari, prout docuerunt Lutherus et Calvinus: quod ex tota Confessione Calvinianorum et Baptistarum deducitur.

Obj. 2. Fides quam solam justificare dicunt Protestantes bona opera non excludit, sed potius eorum mater est fæcunda: quæ tamen non salutis causam agnoscunt, nec meritum habere, quum Christo salus nostra sit adscribenda.

Resp. Anglicani quidem bonorum operum necessitatem fatentur, aliique etiam, patribus suis hac in re non adeo consentientes. Lutherus dixit: "Omne opus justi damnabile est, et peccatum mortale, si judicio Dei judicetur."[2] "Ita vides, quam dives sit Christianus, etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas."[3] Sic memorat quæ Monachus egerat: "Ego quidem, cum essem monachus, valde defatigabar per quindecim fere annos, quotidie sacrificando, macerando me jejuniis, vigiliis, orationibus, et aliis longe gravissimis operibus." Hæc omnia respuit tamquam fidei adversa, vocatque animi lætitiam ex bona conscientia conceptam "stultam et carnalem opinionem operum, pestem fidei."[4] Gaudet se fide liberatum suæ conscientiæ stimulis, quibus a Communione retrahebatur, suæ indignitatis sensu.[5] Aliqua nonnumquam dicit quibus fides virtutes alias habere comites videatur, sed pleraque ægre his congruunt. Melanchton autem magistro consentit: "Nos docuimus justificari sola fide * * * opera nostra, conatus nostros nihil nisi peccatum esse."[6] Novimus in confessionibus fidei recentioribus Presbyterianorum et Baptistarum opera necessaria agnosci, tamquam fidei fructus: sed hujusmodi dictis vis detrahitur, dum electos ipsos totam legem non posse implere traditur, et lapsum in gravia delicta periculum salutis iis non afferre, quippe qui a fide justificante non excidunt, pœnis temporalibus tantum culpas luituri.

PROPOSITIO II.

Nec auctorum eximia virtute, nec subsidiis quibus usi sunt, nec virtutum fructibus, sectarum Protestanticarum origo tamquam Dei opus commendata est.

Probatur. Rem invidia plenam novimus, auctorum sectarum describere

(1) Luther. de capt. Babyl. op. tom. ii. p. 284.
(2) Assert. omn. art. op, tom ii. fol. 325.
(3) De capt. Babyl. l. ii. fol. 284.
(4) Enarr. in Ps. xlv. fol. 487.
(5) Ib. f. 488 ex altera parte.
(6) Loc. Theol. p. 158.

mores: cæterum nihil quod dubitationem admittit referemus, nec quis merito nobis succensuerit rerum exposituris causas. Lutherus ut os infamantibus se cum Catharina Borana obstrueret, eam, monialem licet e suo monasterio elapsam, duxit, conjugii nomine velans libidinem, votorum quibus uterque se Deo devoverat, nulla habita ratione, se absque muliere vivere haud posse affirmans. De Epistola autem ad Galatas dixit impie: "Epistola ad Galatas est mea epistola cui me despondi—est mea Catharina de Bora."[1] Furentis hominis dictis inter pocula, et passim per scripta sparsis contumeliis nostras paginas fædari nolumus. Frustra in eo quæras mansuetudinem, patientiam, humilitatem, cæterasque veri famuli Dei virtutes.

De Calvini sordibus, quæ a nonnemine relata sunt, nihil dicemus: sed testimonium cujusdam ejus sectatoris, qui morienti aderat, prætermittendum non videtur. "Calvinus in desperatione finiens vitam obiit, turpissimo et fædissimo morbo, quem Deus rebellibus et maledictis comminatus est, prius excruciatus, et consumptus. Quod ego verissime attestari audeo, qui funestum et tragicum illius exitum his meis oculis præsens aspexi."[2]

De Henrici VIII. vitiis cujus opera Ecclesia Anglicana a Pontificis obedientia separata est, vel de Elizabeth fama haud illibata, qua favente nova Anglorum Ecclesia extructa est, loqui non vacat, quum satis innotescant.[3]

Quod ad subsidia pertinet quibus usi sunt sectarum auctores, constat Lutherum principum præsertim opera nixum. Frederici scilicet electoris Saxoniæ patrocinium omni studio quæsivit. Philippum Hessiæ dominum sibi retinuit amicum, data venia, anno 1539, secundam uxorem, alia vivente, sibi copulandi.[4] Plerosque allexit tractatu de fisco communi anno 1523 edito, quo Ecclesiastica bona in publicos usus convertenda proposuit. Ipse ingenue fassus est Sectam suam brevi interituram, si principum favor deesset: "Erunt reges nutricii ejus. Deus enim Ecclesiam etiam corporaliter conservat, idque necessario; si enim debemus prædicare et confiteri Christum, indiget hoc corpus sustentatione, opus est pace, victu, et aliis necessariis. Si igitur nullus usquam princeps esset, qui Evangelium amplecteretur, nullus locus, nulla pax, non victus, non amictus, Ecclesia brevi interiret."[5] Calvinus arguitur a Wilsone, præcone ipso sectæ, quod ad optimatum conciliandam gratiam, laicos seniores regiminis fecerit participes, contra totius antiquitatis Christianæ sensum et morem![6]

(1) Vide graphicam et verissimam Lutheri et sociorum descriptionem in opere Moore: 'Travels of an Irish Gentleman' ch. xlvi.

(2) Joan Haren. apud Petr. Cutsemium, laudatum in "Dictionnaire Hist. par l'Abbé de Feller art. Calvin.

(3) Vide History of England by Lingard. Vol. vii. ch. 4, Elizabeth, p. 241.

(4) Vide documenta authentica apud Bossuetum hist. Var. l. vi. ad calcem.

(5) Enar. in Ps. xlv. fol. 492 ex altera parte.

(6) "The Primitive Government of christian churches," by James P. Wilson, D. D. late Pastor of the first Presbyterian church, Philad an. 1833.

Sacerdotes monachosque ad suas traxit partes, vota nullius esse valoris docens, eosque ad conjugii delicias præceptis et exemplo invitans: quapropter lepide animadvertit Erasmus, comædiæ instar, nuptiis claudi novorum doctorum in Ecclesia reformanda studia.

Ad fructus novi Evangelii quod pertinet, ex Lutheri, aliorumque confessione, constat vitia grassata latius inter ejus sectatores: "Videmus quod hoc tempore homines sint multo pejores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores, quam antea unquam in Papatu fuerunt."[1] Symboli explicationem sectæ suæ conditioni accommodavit: "Debet igitur Ecclesia intelligi et credi sancta, non debet videri sancta: quia articulus fidei dicit: Credo sanctam, non video sanctam. Quod si secundum visum judicare voles, videbis eam peccatricem esse, videbis multa et infinita scandala. * * * Dico autem hæc ideo copiosius ad consolationem, contra quosdam, qui cum vident in nostro corpore exiguam quandam scabiem, eam mire exaggerant: Ecce hi sunt Evangelii fructus * * * Scilicet, veram sanctitatem Ecclesiæ tuis impuris oculis cerneres?—Quia sunt veri fructus, et signa certa Ecclesiæ ab oculis tuis abscondita, qui tamen levicula vitia judicare norunt, magna autem illa miracula quæ Ecclesia facit, non vident. An non enim magnum miraculum est, posse me docere Verbum, alium autem audire, idque invito et repugnante Satana?"[2]

Notum est in Germania, et Galliis, novi Evangelii sectatores ad arma confugisse, et omnia cladibus implevisse. Quam longe distant hæc a Christianæ Religionis initiis!

Nullis miraculis commendatos fuisse sectarum auctores notissimum est: attamen si divinitus fuissent suscitati ad Ecclesiam reformandam, restituendo Evangelicam doctrinam, miraculis opus erat quibus constaret Deum ministerium ordinarium abjecisse, hosque sibi extra ordinem delegisse ministros, et ad homines legatos.

Obj. Lutherus Dei zelo flagrabat, quapropter plurima quæ vehementiori suo stylo conscripsit, benignam excipiunt interpretationem; quæ autem gessit a maledicis maligne et falso sunt relata: nam quod duxerit uxorem crimini non est habendum. Cæterum patientem, fortem, invictum in Dei causa se exhibuit.

Resp. Ex ore ipsius eum judicamus, benignissime etiam quæ protulit interpretans. Cæterum quis feret hominem Dei nomine loquentem qui de Mose parum reverenter dicat, Christum laudans e contrario: "non est asper, severus, mordax, ut Moses: *der sihet wie der teufel, und redet das eim das hertz dafür verschwinden möcht.* Habet enim labia diffusa felle et ira."[3] Quis hominem Dei spiritu agi credet, dominationem spernentem, majestatem autem blasphemantem, divinitus constitutæ in Ecclesia

(1) Lutherus in Postilla Domestica Dom. 1. Advent.
(2) Enarrat. in Ps. XLV.
(3) In Ps. XLV. f. 466 ed. Jenæ 1557.

potestati resistentem, imo maledicentem? Edicto ab Episcopo Warmiensi lato contra novitios errores, suam Bullam Lutherus edidit, in qua "divina indignatione Episcopum" eum appellavit, et Papatum se damnare his verbis professus est: "damnamus, mordemus, arguimus, et execramur, sicut meruit, quemadmodum et Christus ficum illam maledixit." * * * "Spes est certa quod succumbat in finem, et destruatur homo peccati, et filius perditionis, frustra defendentibus, furentibus, renitentibus universis regibus, principibus, et omnibus larvatis episcopis."[1] Non ita Apostoli de Ethnicis ipsis principibus locuti sunt: non ea fuit illis indoles, vel scribendi ratio. Asinos, porcos, bestias adversantes sibi passim designare consuevit novi Evangelii præco. Taceo de spurcissimis jocis, de diaboli nomine quod semper in ore habuit, de Bulla convocationis Concilii, quam Spiritus Sancti nomine, Gabriele Archangelo notario designato an. 1534 edidit, manifesta certe impietate blasphemia.[2] Viri imaginem ex suis scriptis quis facile depingeret, etsi de rebus ejus gestis aliunde nihil didicisset: eumque divinitus suscitatum ad virtutis vel pietatis profectum, nemo a studiis partium liber unquam suspicatus fuisset. Violata vota excuset qui velit, Scriptura testante quæ Deo sancte sumus polliciti fideliter esse persolvenda: ductam uxorem laudet postquam ex consuetudine familiari mala fama utriusque increbruerat: potationes frequentes et lauta convivia habeat viro Dei, Ecclesiæ reformatore haud indigna, et concertationem de Sacramento inter pocula et maledicta cum Carlostadtio initam miretur:[3] sed turgidum scriptorem, se regulam veritatis statuentem, fidei aliorum dominantem, et sanctissima mysteria et fidei doctrinas scurræ more tractantem, desinant homines tamquam a Deo suscitatum ostentare.

Obj. 2. Causa Protestantica ex hominum meritis non pendet, sed ex Evangelio, nec enim fides hominibus, sed Deo loquente nititur. Quidquid igitur de Luthero existimare quis velit, divinum opus agnoscendum est, tot gentes a Papæ tyrannide ad Evangelicam veritatem brevi traductas fuisse.

Resp. In Protestantismi examine auctorum mores necessario debent perpendi: nec enim statuta a Christo tribunalia, et fides et auctoritas tot sæculorum veneratione consecrata, facile relinquenda sunt, ut Luthero se divinitus suscitatum ad reformandam Ecclesiam prædicanti, obaudiatur. Fides quidem Dei revelatione, non hominum meritis nititur, ideoque dum agitur de ministerio divinitus instituto, superflua est ministrorum meritorum investigatio: sed non ita quando extra statutum ordinem quis sibi auctoritatem vindicat; tunc enim ut persuasum habeamus Deum per eum loqui,

(1) Bulla Lutheri an. 1524. Alias dicit.

Was ists umb ein Sack vol zorniger Fürsten König, Türckisch keiser, ja umb ein Sack vol Teufel? Enarratio in Ps. XLV. fol. 481 ex altera parte.

(2) Fol. 496, tom. III. Operum.

(3) Luther, t. 2. Jen. 447. Calixt. Judic. n. 49 Bossuet. Var. l. II. § 10.

et doctrinam quam tradit veram esse Evangelii interpretationem, ipse nobis commendari debet eximia vitæ sanctitate, imo miraculis muniri: quod ab Anabaptistis suæ missionis argumentum exigendum esse voluit Lutherus.[1] Nihil autem divinum in eo videre est quod principes quidam Germanici, fædere inito, Cæsari sese opposuerint, populi libertatis dulcedine capti armis pro novo Evangelio pugnaverint, et ita gentes aliquæ ab Ecclesiæ communione divulsæ sint, plerisque ab initio nil præter abusuum sublationem cogitantibus.

C. XI. DE ECCLESIÆ CATHOLICITATE.

Unam sanctamque esse Ecclesiam ex Scripturis et veterum testimoniis demonstravimus, quam Catholicam esse pari consensu docent. Constitit Judaicus cultus fere intra limites unius gentis, quamvis proselyti quidam ex gentibus exciperentur, sed Christi religio omnibus patet. Inde factum est ut brevi homines ex omni fere gente suo sinu complecteretur, et diceretur *Catholica*, seu ubique per totum orbem diffusa. Huic proprietati magnam vim tribuerunt scriptores vetustissimi post hæreses exortas; hæ enim uno vel altero loco pullulantes non facile Christianos, vetustam fidem ubique profitentes, poterant a fide semel sanctis tradita abducere: ideoque cuilibet novitati Ecclesiæ per orbem traditio et auctoritas, velut scutum veritatis, objiciebatur. Quinto sæculo explicata est et præclare vindicata ab Augustino, qui Donatistas, schisma a priori sæculo cœptum, occasione Cæciliani ad sedem Carthaginensem assumpti, propugnantes, alienos esse a Christo ostendit, ex eo quod eorum secta intra Africae partem consisteret, quum vera Ecclesia necessario per orbem diffunderetur. Nostris autem temporibus Catholica dicitur Ecclesia ab ipsis Sectariis, qui plerique symbolum retinent Apostolicum, sed molesto sane et sibi non congruo vocabulo se torqueri satis ostendunt. Methodistæ qui in baptismo ministrando interrogant de singulis Symboli articulis, adnotationem adjiciunt, Ecclesiam Dei *in genere* Catholicæ nomine designari.[2] Episcopaliani nostrates interrogationes omittunt, alia substituta, de omnibus articulis Christianæ fidei, prout in Symbolo Apostolico habentur. *Pearson* manifesto laborat in ea explicanda Ecclesiæ proprietate, et dum fere accedit ad veram vocis significationem, aliqua immiscet quæ latiori acceptationi faveant, nempe quod Ecclesia omnes *necessarias* et salutares veritates tradat; vanam scilicet de fundamentalibus distinctionem insinuans.[3] *Secker* dicit Ecclesiam Catho-

(1) Sleidan. l. v. edit. 1595.

(2) "By holy Catholic Church is meant the church of God in general."

(3) "To be disseminated through all nations * * * containing all necessary and saving truths." Pearson, Art. ix.

licam esse per orbem diffusam, quæ in fide universali convenit, quam Apostoli scripto consignatam reliquerunt: ideoque complecti Ecclesias non tantum usibus, sed et sententiis, admodum diversas.[1] *King* eo usque progreditur ut vocem "Catholicam" consulto additam censeat ad latiorem præcedentium verborum significationem, ut sancta Ecclesia continere intelligeretur Ecclesias in rebus minoris momenti discrepantes.[2] *White* eam explicat de cætu Christifidelium per orbem, quæ ab initio et ubique fide tenebantur profitentium: et in articulorum ad salutem essentialium offendiculum incurrit.[3] Illa distinctio, primis sæculis ignota, et unitati fidei omnino repugnans, ubique recurrit apud sectas novitias, pallio universalis Ecclesiæ suos errores obtegere frustra conantes: quapropter debacchantur pro more contra Ecclesiam illam, quæ vere Catholica est, una scilicet fide ubique terrarum, præside Episcopo Romano: sed contumeliæ non sunt argumentis accensendæ. Veram et genuinam notionem illius proprietatis ex Scripturis et venerandorum Scriptorum, qui optime de re Christiana sunt meriti, libris desumptam exhibemus.

PROPOSITIO I.

Ea præsertim ratione vera Christi Ecclesia Catholica est, quod in fidei dogmatibus omnibus concors per orbem diffundatur.

Probatur ex Scripturis. Christi regnum, quod est Ecclesia, a Psalmista describitur tamquam totum orbem complectens, quod nullatenus dici posset, nisi longe lateque per universas fere mundi plagas foret diffusa: "Postula a me," Pater æternus inducitur Filium alloquens, "et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ."[4] Et alias Vates de Christo prædicit: "dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos terræ."[5] Hæc sane verba amplissimam designant ditionem. Ecclesiam alloquens Propheta ait: "pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram:"[6] ex quo liquet Apostolos, præsulesque qui eorum obtinent locum, super omnem terram principatum spiritualem, ministerii scilicet Apostolici munera, exercere. "Memores erunt nominis tui in omni generatione et generatione." Servatur igitur perpetuo Christi Ecclesiæ sponsi memoria, nec qualiscumque, sed mirabilium quæ fecit, veritatum quas tradidit, ærumnarum quas passus est, subsidiorum salutis quæ reliquit. Hanc servat sponsa Ecclesia, grato animo Sponsi recolens beneficia: hanc servant principes, filii ejus, per orbem terrarum, et per sæculorum seriem. "Propterea populi confitebun-

(1) Secker, lecture xiv. on the Catechism.
(2) History of the Ap. Creed.
(3) Lecture ii. on the Apostles Creed.
(4) Ps. ii. 8.
(5) Ps. lxxi.
(6) Ps. xliv.

tur tibi in æternum, et in sæculum sæculi." Laudes, gratiarum actiones Christifidelium per orbem, a præsulibus Ecclesiæ edoctorum, per omnia sæcula peragentur. Ergo efficax est Apostolicum ministerium, et per omnem terram prædicat, adeoque visibiliter populos habebit audientes, usque ad mundi consummationem. Ergo visibilis semper Ecclesia, ab Apostolis et eorum successoribus gubernata, ad omnem terram se extendens, populos in sinu suo congregans, Christi doctrinæ semper fidelis manebit "in sæculum sæculi."

Daniele etiam interprete Christi regnum, quod lapidis figura Nabuchodonosori in somnio est exhibitum, quatuor magna imperia secuturum, universam terram implevit: "lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram."[1] Illud adeo latum imperium semper duraturum prædixit: "In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur."[2] Eadem Ecclesiæ notio ex Isaia derivatur: "Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes."[3] Ita etiam Malachias: "Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda."[4] Quidquid de sacrificandi vel thus adolendi voce disceptetur,[5] constat vatem cultum gentium in Christi Ecclesia præstitum Judæorum cultui anteferre, illumque ab ortu solis usque ad occasum, ubique terrarum, simul dari docere. Quod autem fidei unitas in ipsa Ecclesiæ ubique diffusæ notione contineatur, liquet ex regni similitudine, quod unum est. Christus igitur omni dominatur intellectui, qui idcirco captivus in ejus obsequium a Sancto Paulo exhibetur. Cum summo ejus in mentes hominum imperio nequaquam stare posset sententiarum de dogmatibus revelatis discordia.

Consonant Evangelia, aliaque Novi Testamenti scripta, Christus enim de suæ doctrinæ per orbem diffusione passim locutus est: doctrina autem ejus semper sibi constet necesse est; "Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus."[6] "Euntes, ergo, docete omnes gentes."[7] Mandatum hoc impletum jam suo tempore memorat Paulus, cælesti doctrina longe lateque per orbem cognitum, voce præconum diffusa, adducto scilicet Psalmistæ vaticinio: "in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum;"[8] illud jam Apostolica

(1) Dan. ii. 35.
(2) Ib. 44.
(3) Isaiæ ii. 2.
(4) Mal. i. 11.
(5) Vox Hebraica thus adolere significat, sed sumitur pro sacrificio. Osee ii. 13.
(6) Matt. xxiv. 14.
(7) Matt. xxviii. 19.
(8) Rom. x. 18.

prædicatione impletum significat. Romanis etiam Christifidelibus gratulatur ob fidem eximiam ubique terrarum laudibus celebratam: "fides vestra annuntiatur in universo mundo."[1] Ad Colossenses dicit pervenisse Evangelium: "sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis."[2]

Hanc universalis Ecclesiæ notionem habuerunt quotquot ab initio rei Christianae floruerunt, doctrina et sanctitate insignes. Apud Ignatium, Apostolis coævum, mentio fit Ecclesiæ Catholicæ: "ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia."[3] Justinus Martyr magnam Ecclesiæ diffusionem etiam apud gentes barbaras testatur.[4] Irenæus Ecclesiam per orbem disseminatam usque ad fines terræ, unam fidem et traditionem, uno ore loquentem exhibet:[5] Clemens Alexandrinus antiquam et Catholicam Ecclesiam prædicat, quam hæreses frustra in partes discindere conantur.[6] Eusebius, Sectas varias primis sæculis exortas brevi evanuisse dicit: "Catholica autem Ecclesia, quæ sola vera est, semperque sui similis et constans, novis quotidie incrementis augebatur."[7] S. Cyrillus animadvertit: "Catholica autem dicitur, quia per totum orbem a finibus usque ad fines terræ est;"[8] monetque iter agentem: "Neque id tantum quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus, et matris omnium nostrum, quæ est Sponsa Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii dei."[9] Ita se Ecclesiam dignoscere tradit Pacianus: "Ego forte ingressus populosam urbem hodie cum Marcionitas, cum Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos, et cæteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?" "Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me muncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor."[10] Optatus Milevitanus Donatistas suggillat: "Ubi ergo proprietas Catholici nominis, cum inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis et ubique diffusa?"[11] Præ omnibus Augustinus: "Ecclesia illa est quam modo dixit unicam suam; hæc est unica Catholica, quæ toto orbe copiose diffunditur, quæ usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur."[12] Haud absque Dei singulari providentia

(1) Rom. i. 8.
(2) Coloss. i. 6.
(3) Ad Smyrnenses, § 8.
(4) Vide supra p. 104.
(5) l. i. adv. hær. c. 3. cit. supra.
(6) Strom. l. vii. cit. supra.
(7) Euseb. l. iv. hist. Eccl. c. 7.
(8) Catech. 18.
(9) πᾶ ἐστίν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία
(10) Ep. 1. ad Sympronianum.
(11) Optatus de schism. Donat. l. ii.
(12) Ep. 120.

contigisse dicit, ut nomen illud hæretici frustra sibi usurpare conentur, seque ipso nomine in Ecclesiæ gremio retineri.[1] Quum in operibus contra Donatistas totus sit in hoc argumento, superfluum est plura adducere ejus hac in re testimonia. Legatur inter cætera præclarus *de Unitate Ecclesiæ* liber.

Obj. Ideo Ecclesia Christi dicta est catholica quod omnibus gentibus pateret, quum Judaismus unius fuerit gentis.

Resp. Eo quidem sensu Ecclesia meritò dicitur Catholica, sed actualem per orbem diffusionem appellatio illa, ex ipsius vi, et usu Ecclesiasticorum scriptorum, designat; quod consonum est vaticiniis de latissimo Christi imperio: "ipsa est enim Ecclesia Catholica; unde καθολική Græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet; ideo secundum verbum Domini nostri Jesu Christi abscondi non potest."[2] Profectò quamvis lex Israelitis tantum data sit, Josephus ostendit aliis licuisse eam amplecti, et aliquos revera fœderis illius participes esse factos.[3] Christi autem Ecclesia non tantum sua præstat beneficia iis qui voluerint eam ingredi, sed in gentium omnium utilitatem et salutem est instituta, quarum proinde magnam multitudinem semper debet suo sinu complecti.

Obj. 2. Ex testimoniis Scripturæ liquet Ecclesiam Christi per sæculorum seriem diffundendam per omnes gentes, salute, scilicet, in nomine Christi enuntiata: non tamen simul ubique futuram sectam unicam Christianam. Constat porrò ab initio Ecclesiam non fuisse universalem, nec umquam hactenus omnes obtinuisse terras.

Resp. Vaticinia exhibent Christi Ecclesiam tamquam regnum totius orbis, sua amplitudine cætera imperia longe excedens, quod et regiminis unitatem, et ditionem latissimam designat. Vaga illa salutis per Christum prædicatio, per sæculorum seriem, sectis inter se discordibus, non potest magnificis illis dictis respondere. Ab initio autem impleri cæperunt, jamque Apostolis ipsis adhuc viventibus, ubique per orbem cognitum diffusa est fides, adeo ut *Catholica* Ecclesia vere dici potuerit, plurimis ex plerisque gentibus conversis, et fide apud easdem gentes excepta. Fatemur gentes plurimas adhuc Evangelica prædicatione illustratas non fuisse, quarum nonnullæ antiquis temporibus ne quidem cognitæ sunt: prophetarum tamen dicta plane impleta dicenda sunt, quum Ecclesia satis diffusa sit, ut formam amplissimi imperii per orbem exhibeat.

Obj. 3. Paganismus, et Mahumetismus longe majorem sectatorum habent numerum quam Christiana Ecclesia, et latius diffunduntur: hæc enim fere tota intra Europæ plagas meridionales consistit.

Resp. Non ex numero fidem profitentium, sed ex diffusione Ecclesiæ per orbem, a Vatibus sacris, et ipso Christo Domino prædicta, argumen-

(1) Contra ep. fund. c. 4. supra. cit.
(2) S. Aug. ep 170. nunc 52. in ed. Venet. col. 119. t. 2.
(3) Contra Apion. l. 2.

tum derivatur, quatenus scilicet secta nulla privilegia veræ Christi sponsæ potest sibi vindicare, quum ea careat diffusione quam huic scripturæ proprietatem adsignant: "Totum possidet," inquit S. Augustinus, "quod a viro suo accepit in dotem. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite, hæretici, quid scriptum sit: 'Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet quod a viro suo accepit in dotem. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona. * * * Cognoscatur una Sancta, et vera regina Catholica, cui regnum Christus tale dedit, quod eam per totum orbem diffundens, ab omni macula et ruga mundans, totam pulchram suo adventu præparavit."[1] Nil, igitur, interest utrum Pagani vel Mahumetani Christicolas numero excedant, nam de Christi Ecclesia dignoscenda agitur, quam præ sectis diffusam esse liquido constat. Cæterum non intra Europam Ecclesia sistitur, sed Americam una cum magna Asiæ parte, et nonnullis Africæ regionibus occupat: falluntur autem qui Mahumetis sectam ubique fingunt esse diffusam, vel Paganorum numerum fere infinitum prædicant.

Obj. 4. Ariani ubique diffusi sunt sæculis quarto et quinto; eos tamen veram constituisse Dei Ecclesiam non existimant hodierni Catholici.

Resp. Ariani licet aliquando ubique grassari viderentur, imperatoribus homines sublestæ fidei in Cathedras inducentibus, non tamen orbem obtinuisse dicendi sunt, nam per Occidentem plerumque fides sarta tecta servabatur, et plurimi per Orientis provincias animo et voce ei adhærebant. Scripsit profecto S. Athanasius ad Jovianum Imperatorem, "Scito, religiosissime Auguste, hanc esse fidem quæ a sæculo prædicata est, et quam confessi sunt Patres Nicoeæ congregati; in quam denique consentiunt omnes ubique terrarum Ecclesiæ, quæ sunt in Hispania, et in Britannia, et Galliis: quæ sunt per universam Italiam, et Campaniam; quæ sunt in Dalmatia, Dacia, Mœsia, Macedonia, et universa Achaia; item quæ sunt per universam Ægyptum et Lybiam; quæ sunt in Ponto, et Cappadocia, et vicinis regionibus; omnes denique per Orientem Ecclesiæ, paucis exceptis, quæ Arii opinionem sectantur." Præterea Ariani ipsi in plurimas subdividebantur Sectas, nec sibi unquam constabant, et proinde nulla ratione Catholici dici potuerunt, quum vox *ubique idem*, imo, juxta scriptorum Ecclesiasticorum usum, concordiam fidelium per sæcula omnia significat: "Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim vere proprieque Catholicum: quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit." Ita Vincentius Lirinensis.[2]

Obj. 5. Diffusio per orbem nullum præbet divinæ Religionis indicium, nam et idolorum cultus ubique olim obtinuit.

(1) Serm. iv. de symbolo ad Catechumenos.
(2) Common. c, iii.

Resp. Quando agitur de Christi Ecclesia, quam Vates dixerunt totius orbis regnum futuram, magnum veritatis et divinæ originis argumentum ex ejus diffusione permanenti per orbem derivatur, quatenus scilicet eventus vaticinio respondet. Idolorum cultus olim per orbem late viguit, hominibus plerisque Numen in rebus creatis quaerentibus : sed non fuit consensus de idolis, nec cultus ipse aliquam divinæ originis notam præseferebat.

PROPOSITIO II.

Ecclesia Romana, scilicet Episcopo Romano communione conjuncta, est Catholica.

Probatur. De ea dixit Irenæus : " in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio."[1] S. Cyprianus semper eam quæ cum Romano Episcopo communicavit Catholicam intellexit. Retulimus jam ejus verba quibus communio cum Cornelio legitimo Romæ episcopo cum Catholica Ecclesia haberi dicitur : " sciret te secum, hoc est, cum Catholica Ecclesia, communicare."[2] S. Optatus Milev. eamdem plane designat, sicut et S. Augustinus. " In Catholica enim Ecclesia —tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum : tenet postremo ipsum Catholicæ nomen."[3]

Probatur II. Ex re ipsa. Ecclesia Romano Pontifici subjecta Italiam, Hispaniam, Galliam, Belgas, Poloniam, magnam Germaniæ partem, Helvetiorum etiam, et plerarumque cæterarum Europæ provinciarum occupat : in Asia minori, Indis Orientalibus, insulisque oceani Indici reperitur ; in Ægypto, et pluribus Africani littoris regionibus discipulos haud paucos recenset, et totam Americam meridionalem cum magna Septemtrionalis Americæ parte obtinet, insulis etiam plurimis adjectis. Longe lateque igitur per orbem diffunditur, eique Catholicæ nomen congruit, quum sectæ pleræque quarumdem regionum limitibus contineantur, extra easdem vix innotescentes. Græci Schismatici Constantinopolitano in imperio, et in Russorum ditione, sicut et in Ægypto reperiuntur, in plerisque Europæ regnis prorsus desiderati, sicut et in tota America, et longe maxima Asiæ et Africæ parte. Sectæ cæteræ Orientales, arctioribus limitibus inclusæ, alibi ignorantur. Protestantes adeo inter se collidunt, dogmata pro arbitrio excudentes, ut vix in unica provincia vigere dici possint : nam apud Germanos Rationalismus, Christiano pallio obtectus, Deismum ubique fere invexit : apud Anglicanos avitæ fidei quædam vestigia inter monstra horrenda opinionum novarum occurrunt ; in America fœderata infinita habetur sententiarum varietas : cæteris plerisque orbis regionibus Protestantes tamquam viatores, mercatores, aut officiales tantum innotescunt : nec numero, nec

(1) l. iii. adv. hær. c. iii.
(2) Ep. 52.
(3) Contra. ep. Man. fundam. c. 4.

templorum frequentia dici possunt moraliter diffusi per mundum: "Diversorum autem hæreticorum Ecclesiæ Catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque provincias continentur; hæc verò a solis ortu usque ad occasum, unius fidei splendore, diffunditur."[1]

Obj. Repugnat ut eadem Ecclesia Romana sit et Catholica, seu uti vulgò audit Romano-Catholica. Catholica igitur Ecclesia sectas omnes Christianas quæ dogmata fundamentalia agnoscunt, complectatur necesse est.

Resp. Romana dicitur Ecclesia propter communionem cum Romanæ urbis Episcopo, qui vicaria a Christo potestate, sedem urbis Romæ occupans, universalem regit Ecclesiam, quapropter Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, jam tertio sæculo medio, designatus est. Redeuntes quippe ad unitatem ex Schismate Novatiano his verbis Cornelii auctoritatem agnoverunt: "Nos, inquiunt, Cornelium episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ, electum a Deo omnipotente, et Christo Domino nostro scimus."[2] Nulla, igitur, est pugna inter Romanam et Catholicam Ecclesiam, quum Romana Sedes sit Ecclesiæ universalis centrum quoddam, radios suos ubique diffundens. Sed pugna foret maxima Catholicam prædicare Ecclesiam, omnium sectarum colluviem, dogmata quæ dicuntur fundamentalia profitentium; tanta enim sententiarum de veritatibus maximi momenti discrepantia inter se collidunt, ut unam Ecclesiam nullatenus exhibeant: "Quæ cum ita sint," inquit Augustinus, "neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda est religio, sed apud eos solos, qui Christiani catholici, vel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, et recta sectantes."[3]

Obj. 2. Ecclesia Græca Catholica audit, sicut et Anglicana, quæ adeo late patet, ut pars quædam magna Ecclesiæ Catholicæ saltem habenda sit. Pontificii igitur satis habere debent, si et ipsi partem Ecclesiæ Catholicæ constituant.

Resp. Frustra Catholicæ nomen usurpat Græcorum Schismaticorum, vel Episcopalianorum cætus: nam utrique in plerisque orbis regionibus plane desiderantur; nec ullam inter se habent communionem. Frustra Episcopaliani se partem Ecclesiæ Catholicæ jactant, quæ enim pars esse potest, cui nullus sit cum cæteris nexus?[4] Profectò nec Græci, nec Catholici, Episcopalianos tamquam fratres excipiunt, sed eos omnino habent alienos. Quod autem Pontificios, vel alio quovis nomine nos designent, nil interest, nam nec nomen, nec hæreditatem possunt auferre: "Una est Catholica," inquit Augustinus, "cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cum ipsae singulæ propriis nominibus, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo

(1) S. Aug. cit. a *King*, Hist. of Apostles Creed, p. 279.

(2) Ep. xlvi. inter Cyprian. Cornelii ad Cypr.

(3) Aug. l. de vera Rel. c. v.

(4) Fortunio Donatistæ suam sectam ubique terrarum reperiri asserente, litteras communicatorias petiit olim Augustinus, affirmans "hoc modo facillime illam terminari posse quæstionem." Ep. 45 ad Eleusium, t. 2. col. 102. Vide *King* loco cit.

intelligi datur, judicantibus arbitris quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum."[1] "Tenenda est nobis Christiana religio, et ejus Ecclesiæ communicatio quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint, enim, ipsi quoque hæretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant; non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur."[2]

Obj. 3. Ecclesia Romana Catholica non est: nam in tota fere Asia et Africa, magnaque Americæ et Europæ parte desideratur, et vix agnoscitur in ipsis regionibus quæ Catholicæ dicuntur, ob formæ cultus, potius quam fidei, cum Sede Romana concordiam.

Resp. Qua late patet Christianæ revelationis notitia, Ecclesia Romanam agnoscens sedem habetur: in ipsis quippe regionibus in quibus grassantur hæreses, magnus plerumque habetur numerus fidelium Summo Pontifici, tamquam Christi Vicario, subjectorum: et in plurimis locis sola viget fides Catholica. Quod de cultus potius quam doctrinæ concordia asseritur, temere dicitur, quum illae omnes nationes fidei avitæ tenaciter noscantur adhærere, etiamsi temporum injuria, et ex occasione motuum civilium, jura Ecclesiæ nonnihil sint imminuta. Liquet igitur Ecclesiam Romanam latius sectis omnibus diffusam esse, et numero præstare: "Eorumdem autem christianorum, cum sint hæreses plures atque omnes se catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nominent, una est Ecclesia, ut omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine; ut autem qui noverunt affirmant, etiam veritate sincerior cæteris omnibus."[3]

Obj. 4. Protestantes ubique fere reperiuntur, Missionariis in longinquas regiones etiam missis, ad Evangelium prædicandum.

Resp. Protestantes quibusdam Europæ regnis, et fœderata America continentur, vixque alibi noscuntur: porro in sectas innumeras scissi Ecclesiam unam non constituunt. Quod ad Missionarios pertinet, auctoritate et felici successu carent, et viatorum potius quam Evangelicorum præconum speciem exhibent. Eorum opera nulla gens hactenus ad fidem est adducta.[4]

Disputationem hanc verbis Hieronymi claudemus, qui Romanam et Catholicam fidem eandem esse passim significat. Sic urget Ruffinum: "Fidem suam quam vocat? Eamne qua Romana pollet Ecclesia? an illam quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit, ergo Catholici sumus."[5]

(1) Aug. l. de util cred. c. vii.
(2) S. Aug. l. de vera rel. c. vii.
(3) Aug. l. de util. cred. c. vii.
(4) Vide Wiseman's lectures on Catholic doctrine, lect. vi.
(5) Apol. adv. Rufin. fol. 90. ed Basil. 1516.

C. XII. DE APOSTOLICITATE ECCLESIÆ.

Apostolos primos fuisse Evangelii præcones liquet, et Ecclesiam eorum opera fundatam. Eorum, igitur, doctrina et auctoritas præcipue quærenda est, dum de Christi religione agitur, nec enim vera Christi Ecclesia alterutra potest carere. Protestantes solent jactare se doctrinam Apostolicam ex divinis libris derivatam propugnare, rejectis erroribus sequiori ævo inductis : et auctoritatem sibi vindicant ex mandato prædicandi Evangelium Apostolis dato, vel etiam ex *ordinatione* quam Episcopaliani fontem auctoritatis agnoscunt. Catholici et ordinis characterem, et jurisdictionis potestatem, et originem ab Apostolis, serie numquam interrupta, derivatam, requiri contendunt, ut Ecclesia habeatur Apostolica : doctrinam verò Apostolicam habendam censent, si post Apostolorum tempus non probetur inducta, sed semper ab Apostolico ministerio tradita.

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesia necessario debet suam originem ab Apostolis derivare, serie numquam interrupta pastorum, doctrinam suorum decessorum ab Apostolis manantem propugnantium.

Probatur I. Ex Scripturis. Christus Apostolis se semper adfuturum pollicitus est : " Euntes, ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos * * * et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi."[1] Igitur per sæcula omnia Apostolicum ministerium est mansurum, Christo docente et baptizante per Apostolos, eorumque successores : vera idcirco Christi Ecclesia ministerio illo semper gavisa est, semperque gaudebit, doctrinam ab Apostolis derivatam propugnante. Id liquet etiam ex Apostolo : " Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores et doctores ; ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei." Pastores igitur, et doctores, qui Apostolorum et evangelistarum vices obeunt, erunt, donec salutis humanæ opus fuerit perfectum ;[2] eaque tradent, quæ Apostoli et Evangelistæ voce et scriptis docuerunt.

Probatur II. Ex Patribus, qui hanc successionem semper necessariam agnoverunt. S. Irenæus : " Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos."[3] Et Romanæ Ecclesiæ præsulum, a Petro usque ad sua tempora, seriem recensuit. " Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus suc-

(1) Mat. xxviii.
(2) Eph. iv. 11.
(3) L. iii. adv. hær. c. iii.

cessione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui obsistunt a principali successione, et quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos et malæ sententiæ, vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes."[1] Tertullianus Sectarios sic urget "Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suo deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne conlocatum; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici."[2] S. Optatus Milevitanus Donatistas provocat: "Vestræ Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare."[3] S. Augustinus inter ea quæ eum in Ecclesia retinent successionem a Petri sede enumerat.[4]

Equidem Ecclesia Christi haberi nequit quæ eum fundatorem non habet, ipse autem Apostolorum usus est opera in ea fundanda: quapropter ad eos pertingat origo necesse est. Quæcumque igitur Societas Pastorum ab Apostolis caret successione, non est Christi Ecclesia, sed humanus quidem cætus. Præterea Societas a Christo instituta fuit, uti probavimus, semper futura, nulla vi superanda, nullo temporis lapsu interitura: et in ea Apostolicum institutum est ministerium, solemni pollicitatione a Christo adjecta, se ei ad consummationem mundi adfuturum. Vera Christi Ecclesia necessario idcirco illud habet ministerium, serie numquam interrupta: rupta enim serie promissio Christi falsa demonstratur: necessario etiam habet eandem doctrinam omni tempore, nec enim illis simpliciter facta est promissio, sed prævio mandato docendi et baptizandi. Permanet ergo semper Apostolica doctrina in ministerio Apostolico. Equidem societas quæ originem suam ad Apostolos referre nequit, non potest illa niti promissione, quum Apostolis, et ex verborum ipsorum tenore, eorum successoribus, omni tempore, ad finem usque mundi, sit facta, non aliis quibuscumque.

Obj. 1. Series illa pastorum ab Apostolis haud interrupta non est necessarium veritatis argumentum, sed sufficit ut verbum Dei integrum purumque prædicetur.

Resp. Prædicatio nullam habet auctoritatem vel certitudinem nisi ex divino mandato: "quomodo autem prædicabunt nisi mittantur?"[5] Illud Apostolis datum: "Euntes in universum mundum, prædicate Evangelium

(1) l. iv. c. xliii. p. 381.
(2) lib. de præscr.
(3) l. ii. contra Parmen. ed. Col. Agr. 1596.
(4) l. iv. contra ep. fundam. c. iv.
(5) Rom. x. 14.

omni creaturæ,"[1] nonnisi per eos aliis est communicatum. Quicumque, igitur, suam auctoritatem inde non derivat, non potest legatione pro Christo fungi, nec quisque tenetur ei obaudire. Ex Christi promissione novimus eum adfuturum Apostolis usque ad consummationem sæculi, qui quum brevi victuri essent, eorum successores ea voce comprehendi liquet: apud quos proinde verbum Dei integrum purumque invenitur.

Obj. 2. Apostolica doctrina ex Scriptis Apostolicis ediscenda est, potiusquam ex hodiernorum pastorum dictis: nec alibi certo disci potest post tantum intervallum temporis ab Apostolorum ætate. Ita Secker,[2]

Resp. Ex scriptis Apostolicis genuina Apostolorum doctrina haberi potest, præ oculis habitis Apostolici ministerii institutionibus; quum enim Christi promissio omnia complectatur sæcula, certissimum est eum per Apostolorum successores semper docturum gentes omnia quæcumque olim mandavit, sicut ipsis docentibus et scribentibus adfuit. In locis difficilibus, "quæ indocti et instabiles depravant,"[3] maxime attendenda est præsens Apostolici ministerii doctrina, ne in eorum interpretatione, vel ob rerum sublimitatem, vel ob adjunctorum ignorantiam, cum nostræ animæ detrimento, erremus. Summa quidem est concordia inter Apostolorum scripta, et præsentem doctrinam; et toto cælo ab Apostolorum mente aberrant, qui sensum ex proprio arbitrio confingentes, discrepantiam objiciunt. Quodcumque temporis spatium labatur, promissis suis stat Servator, "Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula."[4]

Obj. 3. Hodierni pastores nonnisi Apostolicis scriptis, quæ aliis etiam patent, Apostolicam norunt doctrinam: nec enim se inspiratos exhibent.

Resp. Plurima præsto sunt subsidia ad Apostolicam doctrinam addiscendam: inter cætera, quæ supersunt decessorum suorum prædicationis testimonia, Ecclesiæ cui præsunt fides, cultus et usus doctrina innixi. Singulis dicta existimari possunt quæ Timotheo a Paulo: "O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ."[5] Pulchre Vincentius Lirinensis: "Quid est *depositum?* id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpatæ privatæ, sed publicæ traditionis; ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi;* Catholicæ fidei talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur."[6] Hac tutissima regula doctrinam servant ab

(1) Marc. xvi. 15.
(2) Lecture xiv.
(3) II Petr. iii. 16.
(4) Heb. xiii. 8.
(5) I. Tim. vi. 20.
(6) Common. c. xxii.

Apostolis per episcoporum successiones traditam, cui concinit ea quæ eorum scriptis continetur.

Obj. 4. De successione Apostolica post tot sæcula, rerumque vices, nulla potest haberi certitudo; præsertim quum intentio ministri, quæ soli Deo innotescit, ad ordinum collationem requiratur, juxta Tridentinum de Sacramentis principium. Præterea Græci successionem sibi vindicant, eamque Anglicani videntur habere.

Resp. Habetur omnimoda certitudo ex Christi pollicitatione se semper Apostolico ministerio adfuturum, quod proinde semper existet. Intentionem faciendi quod facit Ecclesia requiri definivit Tridentinum Concilium, ut Lutheri exploderet errorem, qui totum fidei suscipientis tribuens, contendebat haud referre, utrum minister serio vel joco, mimi instar, ageret. Si autem placeat cum plurimis Theologis animi intentionem externo actui ita respondere debere, ut vere quis proponat facere quod seriò videtur facturus, tunc ipsa Christi pollicitatio vadimonio est, numquam aliquid fraude vel malitia hominum contingere posse, quo successio dubia evadat. In re quæ tota pendet ex liberis Dei consiliis nobis revelatione patefactis, incongruum non est ipsum Christum exhibere vindicem qui nodum solvat. Quidquid igitur sit de illa Theologorum sententia, nullo pacto est formidandum ne successio deficiat. Quod autem Græci ordines habeant, non gravamur fateri; sed Apostolicæ successionis jura manifesto schismate amissa sunt, quum enim Christus unam voluerit esse Ecclesiam, qui unitatis ligamen disrumpit, extra Ecclesiam fit, et jurisdictionem, quæ ab ipsa pendet, amittit. Quod ad Anglicanos attinet, vitium hoc merito objicitur eorum jactatæ successioni, ut interim sileamus de ordinibus ipsis, quos ob novam formam sub Eduardo rege invectam,[1] et ob litem de Parkeri in Archiepiscopum Cantuariensem consecratione,[2] nihil valere, magno consensu Theologi existimant. Diversitas doctrinæ, schismati superaddita, omnem successionis speciem necessariò tollit, vel saltem jus omne quod ex successione in auctoritatis præsidium posset derivari, abrogat: nam Christus docentibus se perpetuò adfuturum pollicitus est; qui ergo a doctrina decessorum suorum ab Apostolorum temporibus perpetuo tradita dissentit, nova suo ingenio excudens, vel aliorum placita ex cathedra quam occupat primus tradens, jam fit alienus ab iis quibus successit. Hinc merito adjecit Tertullianus, de origine Ecclesiæ ab Apostolico viro loquens, "qui tamen cum Apostolis perseveraverit." Quum igitur constet Parkerum, ab eo qui, Maria regnante, sedem illam occuparat, omnino discrepasse

(1) Eduardo regnante nova inducta est forma consecrandi Episcopos quæ plerisque Catholicis Theologis omni vi carere visa est.

(2) Acta consecrationis nonnisi an. 1614 edita sunt, tamquam ex regestis Cantuariensibus, quamvis evenisse diceretur an. 1559, et lites plurimæ ab eo tempore de ea sint motæ. Cæterum Lingard, scriptor celebris, eam vere peractam putat, nec tamen de valore ejusdem agit, quum hæc ex valore consecrationis Barlovii et Scorii, qui eam peregisse dicuntur pendeat, et ex ipsa forma consecrationis quæ Eduardiana erat.

doctrina, habendus est intrusus, alienus, hostis. De doctrinæ diversitate nulla potest excitari quæstio. Cæterum si quis velit ex Adversariorum confessione rem habere exploratam, legat inter plurima alia libellum Philadelphiæ anno 1809 editum, quo ad *librum communis orationis* quis duceretur. Fatetur auctor cultum Catholicum per multa sæcula in Anglia obtinuisse, sed in Rituali sub Eduardo VI. edito, et sub Elizabetha emendato, plurima ablata et immutata, quæ ad hostiæ adorationem, et Sacramentum ipsum Eucharistiæ, aliasque veritates fidei spectabant.[1] De

(1) "Addresses to the Saints, adorations of the host" in veteri Liturgia fuisse dicit. "The first step taken in this attempt to reform the public worship was in the year 1537, when the Convocation appointed a Committee for that purpose. This Committee composed a book, entitled, *The Godly and pious institution of a Christian man;* containing a declaration of the Lord's sacraments. * * * In the first year of Edward VI. anno 1547, the Convocation declared, *nullo reclamante*, the opinion, that the Communion ought to be administered to all persons, under both kinds. * * * The next measure was to appoint a Committee of bishops, and other learned Divines, for composing an uniform Order of Communion according to the rules of Scripture, and the use of the Primitive Church. * * * It was revised and approved by the Convocation, and was established by the statute 2 and 3 Edward VI. ch. 1. Some exceptions being taken at certain things in this book, as savouring too much of the former superstition, Archbishop Cranmer proposed that it should be submitted to a review. * * * Some useful additions were made at this review, of which one was, prefixing *the sentences, exhortation, confession and absolution* at the beginning of the morning and evening prayer: Some things were properly expunged; such as the use of *Oil in Baptism, the unction of the sick, and prayers for souls departed*, both in the Communion office, and in the burial of the dead. There were also expunged, the invocation of the Holy Ghost in the consecration of the Eucharist; the prayer of oblation that used to follow it; and the Rubric that ordered water to be mixed with the sacramental wine. *The habits* prescribed by the former Rubric were now to be laid aside; and a Rubric was added at the end of the Communion service, to explain the reason of kneeling at the sacrament. The Book thus revised and altered, was confirmed by stat. 5 and 6 Ed. VI. ch. 1. To this work was also added, for the first time, a form and manner of consecrating Archbishops, bishops, priests, and deacons. Upon the accession of Queen Elizabeth, several learned divines were appointed by the Queen, to make another Review of King Edward's two Liturgies, and to frame from them both a Book for the use of the church of England. The two sentences added in the delivery of the sacrament were these, *The body of our Lord Jesus Christ, which was given for thee*, or *the blood of our Lord Jesus Christ, which was shed for thee, preserve thy body and soul to everlasting life.* These were taken out of King Edward's first book, and were the only forms then used: in the second book in the room of them were prescribed, take, eat, or *drink, this*, with the words that follow. Now in Queen Elizabeth's book, both these forms were united. * * * The habits enjoined by the first book, and forbidden by the second were restored—and the Rubric in the second book, at the end of the Communion service, against the real or essential presence in the Holy Sacrament, was left out. *Introduction to the book of Common Prayer.* Notandum Rubricam hanc reperiri in recenti Anglicani Ritualis editione, desiderari in Americano, quod habet invocationem Sancti Spiritus, ut panem et vinum accipientes, participes fiant corporis et Sanguinis Christi. Vide quoque de doctrinæ discrimine, Lingard Vol. vii. Note N. p. 297. Ed. Americ.

Parkero, quidquid de valore ejus ordinationis sentire placeat, dici poterit verbis Cypriani: "Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique conjunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam conetur Ecclesiam facere."[1]

Obj. 5. Quicumque verbum Dei sincere prædicant sunt Apostolorum veri successores: quicumque illud novitiis commentis adulterant Apostolicæ doctrinæ corruptores dicendi sunt, quamcumque successionem præseferant.

Resp. Quum Christus non omnibus suis discipulis, sed duodecim quos elegit, Apostolicum demandaverit munus, patet non ex cujuscumque arbitrio pendere, ut illud sibi usurpet, sed ex Christi voluntate, quæ ipso in terris jam non se videndum præbente, certo aliquo ritu, vel actu Apostolorum, innotuerit, et per sæculorum seriem innotescere simili quodam ritu debeat. Igitur soli dicendi sunt Apostolorum successores, qui sedes in quibus præfuerant Apostoli occupant, quarum unica, Romana scilicet, superest, vel qui saltem ad muneris Apostolici exercitium assumpti sunt, et sedi illi unicæ adhærent. Equidem frustra se Dei ad homines legatum, divinum prædicaturum verbum, quis jactat, qui legationis documentum nullum affert. Quod autem de Apostolorum successoribus veritatem Evangelii humanis commentis obscurantibus asseritur, probatione indiget.

PROPOSITIO II.

Apostolica censenda est doctrina, quae in Ecclesiis in quibus servatur successio Apostolici ministerii, quolibet sæculo, publice et solemniter proponitur credenda.

Probatur ex Scripturis. Christus perpetuò se adfuturum Apostolis docentibus omnibus diebus pollicitus est: ergo doctrina Apostolici ministerii semper habenda est ipsa quam tradiderunt Apostoli: nam ideo Christi præsentia et auxilium promittuntur.

Probatur etiam ex totius antiquitatis Christianæ sensu. Consueverunt antiquissimi Scriptores fidem Ecclesiæ communem, tamquam Apostolicæ doctrinæ certissimum indicium, appellare. Hinc Irenæus hæresibus resistendum docet "pro sola vera ac vivifica fide, quam ab Apostolis Ecclesia percepit, et distribuit filiis suis."[2] Refert hæreticos huic Apostolicæ regulæ repugnare: "cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni."[3] Eam appellat in argumentum Apostolorum doctrinæ: "traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam,

(1) Ep. 52. p. 130 ed. Wir.
(1) Præf. in l. iii. adv. hær.
(2) l. iii. c. 2.

in omni Ecclesia adest perspicere, omnibus qui vera velint audire."[1] "Tantæ igitur (ostensionis) quum sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis, uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet devitare quidem illos : quæ autem sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Et si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, et re liquidum est?"[2] Hac ratione hæresum novitates ex fide gentium barbararum, quæ sine litteris in Christum crediderunt refellendas esse docet: "Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: quantum ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem, propter fidem, per quam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia, et castitate, et sapientia. Quibus si aliquis annunciaverit ea quæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcumque eorum portentiloquium est: nequedum enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta. Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino, neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione."[3] "Traditione igitur quæ est ab Apostolis, sic se habente in Ecclesia, et permanente apud nos,"[4] pergit Scripturarum etiam testimonia adducere.

Hoc argumentum præclare versat Tertullianus, in celeberrimo opere de præscriptionibus adversus hæreticos: nec enim ex Scripturis Apostolorum doctrinam probandam vult, quum eas hæretici ingeniose detorqueant, sed ex publica Ecclesiarum fide. "Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei."[5] "Age nunc, omnes erraverint: deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo: nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc

(1) c. 3.
(2) c. 4.
(3) Ib.
(4) c. 5. p. 245.
(5) L. de præs. n. 21. p. 238.

missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus unus est: exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum: cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum."[1]

Nec de Ecclesiis ab Apostolis fundatis hæc ita sunt intelligenda, ut aliæ cum iis communionis consortio conjunctæ haud includantur. "Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis, auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad utramque formam a nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaquà putant Apostolicas. Sed adeo nec sunt: nec probare possunt quod non sunt: nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti, nullo modo Apostolicæ."[2]

Clemens Alexandrinus hæreticis perpetuo objicit Ecclesiasticam regulam, traditionem, et fidem communem in antiqua Ecclesia servatam, eamque cum Apostolica doctrina conjungit; eorumque conventus humanos vocat Ecclesia Catholica posteriores: "Quæ cum ita se habeant, clarum est ex antiquissima et verissima Ecclesia, has recentiores, et quæ his sunt adhuc inferiores, tempore fuisse innovatas, adulterinæ notæ hæreses."[3]

Augustinus eandem doctrinæ Apostolicæ dignoscendæ statuit regulam: "Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur."[4]

Obj. Ideo antiqui Patres fidem Ecclesiarum Apostolicarum appellabant, quia recens adhuc erat traditio ab Apostolis derivata, et scriptis eorum conformis: jam vero post tot sæcula incerta facta est hujusmodi traditio, et pleræque Ecclesiæ Apostolicæ defecerunt, adeo ut unius Romanæ Ecclesiæ testimonio doctrina Apostolica niteretur, si regula illa sit excipienda.

Resp. Non ea ratione Patres Ecclesiarum fidem appellant quod temporis brevi ab Apostolorum obitu intervallo freti videantur: sed charismate successionis, et constanti omnium testimonio et consensu. Nec ad Ecclesias tantum quas fundarunt Apostoli, sed ad eas quoque quæ novissime instituebantur, traduces doctrinæ Apostolicae, referunt quæ dicunt. Ex earum consensione vult Tertullianus ut quæ Apostoli tradiderunt discantur, quam etiam obtinere contendit suo tempore Augustinus. Omnem novita-

(1) Ib. n. 28. p. 241.

(2) Ib. n. 32. p. 243.

(3) l. viii. Stromatum, p. 436, ed. Wirc. p. 512. 516, 520. 524. *την Αποστολικην και Εκκλησιαστικην σωζων ορθοτομιαν των δογματων.* p. 234. Vide etiam p. 538.

(4) l. iv. contra Donat. c. 24.

tem receptæ fidei adversantem hac ratione damnandam censuerunt, quod scilicet semel sanctis tradita fides, ab Ecclesiis communi veluti consensu agnita et prædicata, Apostolicæ doctrinæ certissimum foret indicium. Hinc aiebat Hieronymus: "Quisquis assertor es novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apostolico ore laudata est? Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nescivimus? Usque in hanc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit."[1] Jam verò etsi sola supersit Apostolica Petri Cathedra, testimonium quod de Apostolorum doctrina perhibet non est solitarium, concinunt enim per orbem quotquot ei communione conjunguntur Ecclesiæ, quæ constantem majorum traditionem et fidem de dogmatibus Christianis testantur.

Obj. 2. Apostolica doctrina certissime ex scriptis Apostolorum dignoscitur.

Resp. Scripta illa genuinam certo tradunt doctrinam Apostolicam, quin eam totam amplectantur, vel ita tradant ut nulli sit ambiguitati obnoxia. Nemo ex Apostolis sibi proposuisse noscitur omnes veritates christianas uno complecti volumine: nec id consilii unquam collegio ipsi Apostolico occurrit. Jussis Christi obsequentes prædicarunt doctrinam quam ex ipsius ore exceperant, eamque mentibus fidelium digito Dei inscriptam satis habuerunt: sed in specialibus rerum adjunctis aliqua exararunt, divino certe nutu, quæ summa sunt reverentia excipienda. Sic Matthæus ut Christianis in Judæa versantibus gratificaretur, res gestas Christi retulit: Joannes ad hæresim nascentem comprimendam, plura ad Christi divinam naturam commendandam suo complexus est Evangelio, et quæ sibi in visu sunt ostensa Apocalypsi descripsit, litteris dulcedinis et dilectionis plenis etiam exaratis. Petrus, pro sua dignitate, duas conscripsit epistolas: Jacobus unam: Judas alteram. Cæteri Apostoli nihil nobis scriptum reliquerunt, Paulo, qui cælitus ad id muneris post Christi ascensum vocatus est, plura pro occasione enata disserente. Romæ quædam contentiones de vocationis ad fidem causis: Corinthi de doctorum præstantia: Galatiæ de ritibus Judaicis, pluribus Pauli epistolis dedere occasionem. Mancipii fuga, et conversio fuit in causa ut ad Philemonem scriberet: mora quam in itinere ad Timotheum suscipiendo expertus est, prioris epistolæ scribendæ fuit occasio, ut si tardaret, sciret ille quomodo se in Dei Ecclesia gerere deberet. Brevi dicam nullam epistolam, vel librum, eo consilio scriptum ut tota traderetur doctrina Christiana. Præterea quum scriptorum ipsorum sensus plurimis in locis ambiguus vel obscurus esse possit, mutatis jam rerum adjunctis, jure optimo Patres communem Ecclesiarum fidem appellaverunt, tamquam obvium ac certissimum Apostolicæ doctrinæ testimonium, nec enim licuit suspicari ea quæ tanta diligentia Apostoli tradiderant, quæ-

(1) Ad Pammach. et Ocean.

que cultu publico, et alias executioni demandanda curaverant, fuisse simul ab omnibus oblivioni tradita.

PROPOSITIO III.

Ecclesia Catholica, scilicet Ecclesia ubique terrarum Romanæ Sedi communione conjuncta, est Apostolica.

Prob. In ipsa sede Romana servata est Apostolica successio, Episcopi quippe a temporibus Petri et Pauli serie numquam interrupta, successerunt. Catalogum secundo sæculo medio præbuit S. Irenæus, quem secuti sunt plures, inter quos Augustinus sic provocat sectarios: "Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portæ.[1] Nostris temporibus catalogus exhibetur, ex documentis authenticis deductus, præsulum qui per omnia præterita sæcula eam occuparunt sedem: inde liquet successionem in ea sede plane servatam, per eam autem in tota Ecclesia, quæ, communione ejus fruens, Apostolicos viros ab ea excipiebat, vel ordines saltem, ex iis qui agnoscebantur eos conferendi potestate prædiți.[2] De singulis sedibus Catholicis per orbem, constat Episcopos qui actu eas occupant successionem derivare ab illis qui a Romano Episcopo olim sunt missi, vel eo saltem communionis jura tribuente, Apostolicum, quippe, ministerium consecratione Episcopali est transmissum.

Ideo Augustinus Donatistas refellens ad successionem Episcopalem in Petri cathedra Romana servatam confugit: "Si enim ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait:[3] 'Super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam.' Petro enim successit Linus, Lino Clemens. * * * Julio Liberius; Liberio Damasus; Damaso, Siricius; Siricio, Anastasius."[3]

Diu ante Tertullianus veritatis studiosum ad Apostolicas remisit Ecclesias, præsertim Romanam, pluribus enim recensitis hanc mire extollit. "Si autem Italæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: ubi Paulus Joannis exitu coronatur: ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit."[4]

Obj. Incerta omnino est successio in Romana sede, nam variant auc-

(1) In Ps. contra partem Donati.

(2) Bp. Beveridge Serm. 1. Christ's presence with his ministers, p. 24, vol. i. "We do not deny that the Apostolical succession hath been continued in the church of Rome."

(3) Ep. 53. olim 165. col. 120. t. 2.

(4) Tert. l. de præscr. c. 36. p. 245.

tores antiqui in primis illius Ecclesiæ Episcopis designandis: nono autem sæculo mulier eam occupasse dicitur: decimo et undecimo pessimi quique imo puer duodennis est intrusus: aliquando per triennium vacavit sedes: per septuaginta annos Avenionemtranslata est: tresque Pontifices simul erant. Hinc fit ut ne quidem Catholici ipsi auctores in catalogo Pontificum conveniant.

Resp. Ipsa successio certissima est, omnibusque veluti patens, etsi quædam sint difficultates in serie statuenda. Quæ occurrunt varietates in primis Petri successoribus designandis leves omnino sunt, nec possunt dubitationem aliquam de successione inducere. S. Irenæus Lino Romanæ sedis episcopatum ab Apostolis demandatum refert, Anacletumque ejus successorem, Clemente tertium locum occupante, exhibet.[1] Huic non repugnat Tertullianus oratoris more disserens, affirmansque Clementem a Petro ordinatum, nam verosimile omnino est eum Episcopali charactere ab Apostolo insignitum, quamvis nonnisi post alios duos Romanæ præfectum Ecclesiæ. Id quidem contigisse videtur Apostolica ætate plures Episcopali charactere fuisse ornatos, quin specialibus Ecclesiis statim præficerentur, qui interim munera Episcopalia obibant ex Apostolorum auctoritate, Ecclesiarum curam deinceps, oblata occasione, suscepturi. Linum, Cletum, Clementem a Petro ordinatos verosimile est, vicariam sibi operam Romæ præstituros, et suum occupaturos locum, unum post alterum, sede morte, vacante. Profecto ingruente persecutione oportebat Ecclesiæ ita consulere, ne viduata pastore maneret. Utrum autem Cletus ab Anacleto distinguendus sit, eruditorum hominum sit judicium. Ad successionem quod attinet, constat eam Irenæi et Augustini temporibus fuisse certissimam. Quæ de papissa Joanna aliquando circumferebatur fabula, jam ab omnibus cordatis viris, etiam protestanticis, est explosa, uti ex Blondello, Burneto, Caveo, aliisque videre licet, testantur quippe auctores synchroni Lupus Ferrariensis,[2] Ado Viennensis,[3] Anastasius Bibliothecarius,[4] Annales Bertiniani,[5] Regino Prumiensis,[6] Hincmarus Rhemensis,[7] et Flodoardus,[8] Leoni IV. statim suffectum Benedictum III. adeo ut locus non sit Papissæ, quæ anno 855 sedisse dicebatur. Profecto Græci Romanæ sedi adeo infensi, numquam eam labem præteriissent, de qua tamen altum apud eos silentium. De quibusdam qui sedem occuparunt Pontificiam fatemur plura referri, quæ plangenda sunt, nec nos sumus quos patris juvat dedecus revelare, ad quod nonnisi pallio objecto accedendum

(1) S. Irenæus l. iii. c. iii.
(2) Ep. ciii.
(3) In chronico.
(4) In vita Benedicti III.
(5) Ad an. 855.
(6) In chron. ad eundem annum.
(7) Ep. 36.
(8) In lib. met. de Rom. Pont.

est. Omnia quum armorum vi streperent sæculis mediis, et vitia ubique fere grassarentur, quidam Romanum ambientes culmen popularem gratiam aliquando auro dicuntur comparasse, vel sedem invasisse potentia, deinceps vitiis dedecorasse. Cæterum non omnia temere credenda sunt, in ea enim temporum calamitate omnia scatebant calumniis, quas plurimas congesserunt Luitprandus, aliique scriptores, ii præsertim qui Imperatoribus et Pseudo-Pontificibus studebant.[1] Quidquid sit, successio servata est, Episcopo Romano, ab Ecclesia agnito, Petri occupante sedem : nec enim series pendet ex electorum merito. Apostolicæ potestatis hæredes facti sunt, electione valente, etsi illicita, vel vitio ejus ex consensu Ecclesiae sanato. Super Cathedram Petri sederunt, ideoque Petri instar, in Ecclesiae regimine, erant audiendi. Jure optimo Augustinus olim animadvertit : " In illum autem ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiam si quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ et innocentibus Christianis : quibus Dominus providens, ait de præpositis malis : ' quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite : dicunt enim et non faciunt.' Ut certa sit spes fidelis, quæ non in homine sed in Domino collocata, numquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur."[2] Id etiam alias præclare exponit : " quod, (*dissensionum seu schismatum, occasione pravorum exemplorum, periculum*) usque adeo cælestis magister cavendum præmonuit, ut etiam de præpositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis."[3] Benedictus IX. junior quidem, sed decennium vel duodennium longe prætergressus, in sedem Pontificiam, patris, comitis, scilicet, Tusculani, potentia est intrusus : quo a Romanis expulso ex urbe, Joannes XX., uti dicebatur, sedem invasit : et deinceps Gregorius VI., ex pacto utriusque sibi jura competere dicebat. Trium horum, qui Pontificiam auctoritatem sibi vindicabant, lites quieverunt; Clemente II., in Concilio Sutriensi electo, et ab Ecclesia tamquam legitimo Pontifice excepto. Totum illud temporis spatium, quod a Benedicti IX. intrusione usque ad Clementis II. electionem intercessit, quatuordecim annorum fuit : quod tantum intervallum non est, multo minus triennii spatium quod objicitur, ut successionem penitus tolleret, moralis quippe in regnis et imperiis habetur continuatio, etiam interregno interveniente notabili, vel rebus per tempus quoddam turbatis. Quoties morte Pontificis, vel alio eventu, potestatis Pontificiæ exercitium suspenditur, non ideo perit Ecclesia, apud quam manet necessario vi suæ constitutionis omnis illa potestas quæ ad sui conservationem necessaria est. Cæterum Benedictum

(1) Vide de Joanne XI. Muratori. Annal. ad an. 931.
(2) Ep. 53. olim 165.
(3) Ep. 105. olim. 166.

IX., intrusum licet et indignum, Pontificatum valide exercuisse plerique censent, Ecclesia suo assensu electionis vitium tollente, ne graviori schismatis malo laceraretur. Fuit etiam series continuata Pontificum, Episcopis Romanis Avenione degentibus, Episcopus enim non amittit sedem etiamsi procul ab ea versetur: ideo Pontifices illi electi et designati sunt Episcopi Romani, et tamquam B. Petri successores universam regebant Ecclesiam. Quod pertinet ad schisma tempore Urbani VI. excitatum, et per quadraginta fere annos continuatum, altero Romæ, altero Avenione, se Episcopum Romanum, et B. Petri successorem prædicante, lis quæ de legitimo Pontifice est orta, etsi gravissimas secum duxerit calamitates, seriem Pontificiam dubiam non efficit, alteruter enim verus Pontifex fuit. In illo animorum æstu quis ille foret non facile patebat, sed plerisque jam Romæ sedens fuisse videtur. Tentamen in cætu Pisano initum utrumque cogendi ut pacis causa suis cederet juribus, tertii electioni dedit occasionem, quibus idcirco de Papatu contendentibus dubia omnium evasit auctoritas, donec in Concilio Constantiensi gravissimo malo allatum sit remedium, cedentibus vel depositis tribus illis, et certo electo Pontifice. In regno nonnumquam contenditur de jure regnandi, uti nunc in Hispaniis, nec ideo perit regnum, quamdiu regia auctoritas actu exercetur. Ita Pontificia exercebatur auctoritas etiam dum de jure contenderetur, jurisdictioque supplebatur eorum gratia qui bona fide alicui ex contendentibus adhærebat: Deus, quippe, merito censetur in illa temporum difficultate, et rerum angustiis, pro sua benignitate rata habere quæ bona fide aguntur. Successio Apostolica igitur claret in Ecclesia, quia a temporibus B. Petri nunquam defuit Episcopus Romanus per aliquod intervallum quod seriem abrumpere possit. Quod autem in casu aliquo speciali dubitari possit inter duos vel plures quis legitimus foret Pontifex, ipsam successionem nullatenus infirmat, quæ certa ac manifesta est ex morali seriei continuitate.

Obj. 2. Quum tot difficultates successionem circumdent, nonnisi ex historiis fide dignis, vel aliis documentis authenticis, enodandæ, liquet eam non posse adhiberi ut Ecclesia vera dignoscatur.

Resp. Difficultates illæ, nonnisi industria eruditorum hominum Ecclesiæ adversorum collectæ, omnem speciem amittunt, ipsa rerum evidentia: constat enim omnibus Ecclesiæ pastores ritu solemni consecrari, et ex Apostolicæ Sedis auctoritate præfici, cujus potestatem per sæcula plurima obtinuisse omnes agnoscunt. Eam a Petro fundatam, per Episcoporum successionem, ad nostra usque tempora servari omnes clamant historiæ, omnia avitæ fidei testantur monumenta. Imperium est maximum ubique et per omnia sæcula, quod rudis vel doctus noscat quisque necesse est. Apud plerasque gentes majorum suorum ad fidem Christianam traductio opera virorum Apostolicorum a Sede Romana missorum, celebris est, qua ratione ad antiqua revocantur tempora, in quibus reipublicæ Christianæ præfuisse episcopum Petri successorem norunt.

PROPOSITIO IV.

Apostolica successio deest Protestanticis omnibus sectis.

Probatur. Apostolica successio nonnisi per Episcopos continuatur interrupta serie succedentes, eandem Religionis communionem fideique societatem servantes : atqui sectæ Protestantes non Episcopos sed sacerdotes, monachos, laicosque habuerunt fundatores, et eorum præcipue opera sunt propagatæ, et Religionis fideique cum Antistibus Catholicis, qui sedes Episcopales tenuerant, nullum habuerunt consortium : Ergo Apostolica successio eis deest.

Equidem Lutherus monachus, Sacerdotio licet insignitus, nullam auctoritatem regendi Ecclesiam, multo minus reformandi, vel fundandi novam veluti Ecclesiam, habuit. Calvinus ad Sacerdotium numquam pervenit, et seniorum laicorum statuta potestate in rebus Ecclesiasticis, ordinem eo usque servatum Episcoporum opera regendi Ecclesiam, et consecratione Episcopali eam transmittendi auctoritatem, evertere penitus conatus est. Anglicani ab Ecclesia universali, Henrico octavo suæ indulgere libidini cupiente, divulsi, posteaque iterum conjuncti, Elizabeth opera denuò sunt separati. Quum autem sedibus suis Catholici Antistites pulsi fuissent, vel renuntiassent, Archiepiscopum Cantuariensem creare opus erat, ut ab ipso veluti a fonte, Hierarchia Anglicana manaret. Deerant qui illi munus consecrationis impertirentur, donec post varia tentamina quatuor, quorum duo juxta formulam Eduardianam ordinati fuerant, ad id aggrediendum inducti sint. Formula Eduardi tempore instituta, in Parkeri consecratione adhibita est.[1] Ut lis omnis de consecrationis Episcopalis valore quiesceret edicto Elizabeth regina statuit defectus omnes sua auctoritate suppleri ! Quidquid sit, liquet Parkerum non fuisse successorem in Apostolico ministerio, seu Episcopali, Cantuariensi Archiepiscopo Catholico, a cujus communione et fide erat omnino alienus.[2]

De Sectis cæteris sole meridiano clarius est eas Apostolica carere suc-

(1) Lingard hist. vol. vii. Note I. p. 292, Americ. ed.

(2) Formam ipsam ordinationis Anglicanæ, juxta Rituale Eduardi ex egregio opere Fletcher mutuamur : "Take the Holy Ghost ; and remember, that thou stir up the grace of God, which is in thee by the imposition of hands : for God hath not given us the spirit of fear, but of power, and love, and soberness." Nihil est quod ritum ad Episcopale munus communicandum determinet, quapropter nil mirum Catholicos eum in quæstionem vocasse. Inter articulos Religionis profitentur Anglicani formam illam Eduardianam sufficere, adeo opus erat sedem nutantem undequaque sustentare : attamen, stimulis veluti conscientiæ acti, ampliori utuntur jam forma, qua munus plane designatur, sed successionis vinculo rupto deficit potestas consecrandi, et verba fiunt inania : "Receive the Holy Ghost, for the office and work of a Bishop in the church of God, now committed unto thee by the imposition of our hands, &c." Eos exagitat Barclay quod Ordines ab Ecclesia Romana derivare velint. *Apology for the people called Quakers*, Prop x. § ix.

cessione, Methodistæ quippe a Joanne Wesley, sectæ Anglicanæ ministro cæterique sectarii ab aliis ministris, vel ab hominibus plane laicis, post tot sæculorum ab Apostolis intervallum sunt orti. *Amicorum* societas *(the society of Friends)*, qui et *Quakeri* vulgò dicuntur, omne ministerium respuit, unicuique, prout Spiritus eum impulerit, jure docendi, hortandique tributo, successionis Apostolicæ nullam habens rationem."[1]

De omnibus sectariis quæri potest verbis præclaris Cypriani "pastor haberi quomodo potest, qui, manente vero pastore, et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, et a seipso incipiens, alienus fit et prophanus, dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in Domo Dei, id est, in Ecclesia Dei, in qua nonnisi concordes atque unanimes habitant, loquente in Psalmis Spiritu Sancto et dicente: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo?"[2]

Obj. Anglicani saltem habent successionem Apostolicam, nam de consecratione Parkeri plane constat, adeo ut ipse scriptor Catholicus Lingard documenta genuina fateatur.

Resp. Celebris ille scriptor de consecrationis valore nullam protulit sententiam, historiam quippe rerum gestarum scripsit, quin Theologi vellet sustinere partes. Ejus de actorum authentia opinio magnum certe pondus habere debet, nec tamen examen ulterius prohibere, quum sagacissimi etiam scriptores nonnumquam fallantur. Id certe mirum videtur Protestanticos Scriptores coævos a Catholicis negantibus consecrationem provocatos, ante annos a ritu peracto quinquaginta acta illa haud protulisse. Ipsum edictum Elizabeth quo defectibus omnibus et dubitationibus de valore consulebatur, vehementem inducit suspicionem rem per se fuisse maxime dubiam.

Obj. 2. Ubi de veritate Evangelii agitur, non interest utrum quis seriem illam pastorum ostendere possit, nam contra Evangelium non potest valere, Evangelium vero absque ea valet.

Resp. Maxime interest ut prædicandi Evangelii potestatem quis sibi competere ostendat, secus enim de veritate prædicationis merito dubitabitur, Christus enim non omnibus, sed Apostolis demandavit, ut Evangelium an-

(1) "When they assemble together to wait upon God, and to worship and adore him; then such as the Spirit sets apart for the *Ministry*, by its divine power and influence opening their mouths, and giving them to exhort, reprove, and instruct with virtue and power; these are thus ordained of God, and admitted into the *Ministry*, and their brethren cannot but hear them, receive them, and also *honor them for their work's* sake. And so this is not *monopolized* by a certain kind of men, as the *Clergy*, (who are to that purpose brought up and educated as other carnal *Artists*), and the rest to be despised as *laics;* but it is left to the *free gift of God* to choose any whom he seeth meet thereunto, whether rich or poor, Servant or Master, young or old, yea, male or female." Barclay Apology, Prop. x. § xxvi.

(2) S. Cypr. ep. 76 ad Magnum.

nuntiarent, iisque sese pollicitus est præsentem futurum. Nulla igitur habetur securitas extra illam promissionem: proindeque qui Apostolici ministerii sese participes haud probant, alieni habendi sunt et profani. Non valet successio adversus Evangelium, sed est vadimonium quoddam veritatis Evangelicæ. Ideo aiebat Tertullianus: "Hinc igitur dirigimus præscriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse filius, quam Apostolis quos misit ad prædicandum, utique, quod illis Christus revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit; et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei."[1]

Obj. 3. Lutherus potuit absque Episcopali charactere, vel Apostolicæ successionis titulo, Evangelicam prædicare veritatem, et Ecclesiam sordibus quibus inquinata erat purgare: missio quippe ordinaria ei fuit, vi suæ ordinationis, nec extraordinaria erat necessaria, quum nullam novam proponeret revelationem, sed eam quæ Scripturis continebatur.

Resp. Simplex sacerdos quum esset, imo monachus qui obedientiam solemniter pollicitus erat, ne prædicare quidem potuit, nisi ex præsulum Ecclesiæ auctoritate: his enim potestas omnis regiminis est a Christo collata. Opus igitur erat clarissimis divinæ missionis extra ordinem indiciis, ut ipse munus illud prædicationis, invito summo Ecclesiæ in terris rectore, exerceret. Nec quod se veritatem Evangelii affirmaret aperire, poterat ei suffragari violanti ordinem summa sapientia in Ecclesia a Christo statutam: nam etiam in republica humana nil fieri potest, nisi juxta ordinem lege statutum, vel ab initio vigentem. Affigebat Lutherus novum sensum Scripturis: negabat Ecclesiam ea habere privilegia quibus a Christo fuerat ornata, et toto reipublicæ Christianæ ordine perturbato, nova inducebat placita contra totius antiquitatis sensum et fidem. Hæc certe postulabant divinitus sibi concessæ auctoritatis argumenta indubia, iis æqualia quæ Apostoli ipsi in Ecclesia fundanda præbuerunt.

Igitur ei, Calvino, cæterisque omnibus, Tertulliani verbis Ecclesia dicere poterit: "Qui estis? quando, et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? mea est possessio: quid hic cæteri ad voluntatem vestram semi-

(1) Tert. l. de præs. hær. § 21.

natis et pascitis? mea est possessio, olim possideo, prior possideo: habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res: ego sum hæres Apostolorum: sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo: vos certe exhæredaverunt semper, et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei et inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio, adversus Apostolos aut protulit, aut recepit?"[1]

Jure meritoque ex his quæ de Apostolico ministerio et doctrina Ecclesiæ diximus, deducimus cum Hieronymo: "in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, utputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campates, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant quos futuros Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, cum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo."[2]

Inde igitur infertur societatem omnem quæ caret ministerio, qualis est *Amicorum*, vulgo *Quakers*, cætus, nullo modo esse Christi Ecclesiam: nec societatem quæ ministerium habet, sed unitatis sacrum vinculum disrupit, quod Græci schismatici fecerunt, veram Ecclesiam esse: nec quæ ordinationis validæ defectu, vel schismatis crimine, Apostolicæ caret successionis juribus, quod alterutrum, vel potius utrumque, de Anglicanis affirmari tutò potest, ullatenus posse Sponsæ Christi privilegia sibi vindicare. Omni autem umbra successionis Apostolicæ, vel legitimi ministerii carent, Calviniani, Methodistæ, Baptistæ, Unitariani, Universalistæ, cæterique sectarii.

C. XIII. DE ECCLESIÆ INFALLIBILITATE.

Ecclesiam Christi numquam defecturam quum jam probaverimus, infallibilitas ejus necessario sequitur, si enim in errorem laberetur jam deficeret, in eum quippe finem instituta est ut veritatem tradat et custodiat. Plurimi ex Sectariis fatentur præcipua fidei dogmata nulla oblivione delenda, nulla vitianda fraude, adest scilicet Christus ea conservans, etiam inter opinionum commenta; sed inerrantiæ privilegium Ecclesiæ ipsi non tribuunt. "Neque enim parvi momenti est," inquit Calvinus, "quod vocatur, 'columna et firmamentum veritatis, et domus Dei.' (1 Tim. iii. 15.) Quibus verbis

(1) Tertull. de præs. hær. c. 37. p. 245.
(2) Adv. Lucif. sub finem.

significat Paulus, ne intercidat veritas Dei in mundo, Ecclesiam esse fidam ejus custodem."[1] Cæterum verba hæc speciosa ad dogmata *essentialia* referuntur, contendit enim ipse errores plurimos in Ecclesia per plura sæcula viguisse; quod et Anglicani et sectarii omnes asserunt. Nos vero nullum prorsus contra divinitus revelatas veritates errorem credimus posse in Ecclesia dogmatis obtinere auctoritatem, adeo ut fidelium per orbem consensione celebretur.

PROPOSITIO I.

Ecclesia per orbem, catholica scilicet et Apostolica Christi Ecclesia, in Petro a Christo fundata, in nullum errorem contra doctrinam divinitus revelatam ullatenus potest incidere.

Probatur. Celebris illa Christi promissio: "portae inferi non prævalebunt adversus eam,"[2] respicit Ecclesiam in Petro fundatam, et illius instar fidem cælitus revelatam profitentem: at vero si error aliquis contra revelatam doctrinam posset in Ecclesia obtinere, prævaleret contra Ecclesiam ea ex parte infernus; pater enim omnis mendacii de divina veritate reportaret triumphum, ipsam veritatis testem, præconem, et custodem vitiando: ergo id fieri nequit: Apostolus Paulus ad Timotheum scribens plura tradit documenta, additque. "Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito: si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis."[3] Utraque metaphora sustentaculum denotatur, fundamentum ædificii et columna. Jam vero hoc elogio Ecclesia ornari non posset, si ullis in rerum adjunctis, tempore progrediente, veritatem revelatam proderet, vel vitiaret, etiam minima ex parte. Robur et vis invicta in veritate Evangelica tuenda plane significatur, quæ cum erroris cujuscumque professione constare non potest. Est insuper Ecclesia domus Dei, qui verus est, et omne mendacium procul a se repellit: ergo suo lumine illustrat Ecclesiam ne ullo errore offuscetur. Nec hæc ad aliquem Ecclesiæ statum referuntur, sed simpliciter de ea dicitur, quatenus a Christo est instituta, fidelis divinæ veritatis custos et vindex. Nihil præclarius, nihil simplicius dici potuit, ad inerrantiam Ecclesiæ adstruendam. De aliis testimoniis, quibus infallibilis auctoritas Ecclesiæ docentis comprobatur, hic silemus, ea postea exposituri.

Probatur II. Ex totius antiquitatis Christianæ sensu. Christi promissiones Ecclesiæ factæ necessario primis ejus discipulis innotuerunt, et

(1) Calvin. l. iv. Inst.. c. 1. § 10.

(2) Mat. xvi. 18.

(3) στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας 1 Tim. iii. 15. Bloomfield fatetur interpretes Protestantes hæc detorsisse, ne nobis faverent, quas ingeniose excogitatas explicationes designat "forced expositions, devised merely to evade the arguments or claims of opponents." *In locum.*

omnium ore celebrabantur. Audiamus igitur scriptores venerandæ antiquitatis omnium sensum et fiduciam certam testantes. Ignatius: "Ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia."[1] Liquet martyri sanctissimo, et fidelibus ad quos scripsit, certo persuasum esse Christum Jesum suo lumine et gratia Ecclesiæ Catholicæ semper adesse, nec separari posse; usus est enim hoc veluti notissimo principio, ut iis suaderet Episcopo adhærere, sicut Ecclesia Christo. Intimam illam Christi et Ecclesiae conjunctionem, quæ Apostoli testimonio ad Ephesios nititur, errorem omnem contra fidem excludere manifestum est, ipse enim veritas est, et viam Dei in veritate docet, nulla erroris admixtione. S. Irenæus passim Ecclesiam una fide per orbem insignem, veritatis magistram et regulam certissimam exhibet: quod non liceret si ab ea posset errore aliquo recedere: "Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime contulerint omnia quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ."[2] Plenissima hæc omnium veritatum possessio locum nullum dat erroribus qui fundamentales non censeantur. Eusebius doctrinæ Christi prædicationem et fidem Ecclesiæ opera semper mansuram integram plane testatur, promissione ipsius Christi innixus: "Certum est Salvatorem nostrum prædixisse, doctrinam suam in testimonium omnium gentium per universum terrarum orbem prædicatum iri, et Ecclesiam quæ postea virtute sua constituta est, invictam atque inexpugnabilem fore, nec umquam futurum ut a morte superetur, sed firmam fore semper et immobilem, tamquam in petra stabilitam atque fundatam."[3] S. Alexander Ep. Alex.: "Ecclesiam unam solam, Catholicam et Apostolicam agnoscimus, quæ sicut numquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat, sic omnem impiam hæreticorum incursionem evincit ac profligat."[4] S. Athanasius "Hoc solummodo ad ea respondere sufficit, quod ista non sunt Ecclesiæ Catholicæ, neque ista Patres nostri senserunt."[5] S. Cyrillus Hieros. "Catholica vocatur Ecclesia, quia per universum sit terrarum orbem diffusa; et quia docet Catholice, id est, universaliter, et sine ullo defectu vel differentia, omnia dogmata quæ debent venire in cognitionem."[6] S. Joannes Chrysost. ait de Ecclesia: "Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam Sancti gratia gubernat, et ideo non senescit, nec contrahitur, et multis impugnantibus non opprimitur."[7] Et "Christi Ecclesia nihil fortius; siquis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est, velut si cælo bellum meditetur inferre.

(1) Ad Smyrnenses § viii. 4.
(2) l. 3. c. 11.
(3) De præp. Ev. l. 1. c. iii.
(4) In Ep. ad Alexandrum epolitanum.
(5) Ep. ad Epictetum.
(6) Catech. xviii.
(7) Serm. de Pentecoste.

Ecclesiam vincere nulla vis potest; Deus est in Ecclesia, qui est omnibus fortior."[1] S. Isidorus Pelusiota. "Per inferi portas divinus sermo impiorum hominum cætus, atque hæresum blasphemias intelligit, quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia eas quidem frangit et expugnat, ab iis autem vinci non potest."[2]

His præclaris Græcorum Patrum testimoniis ostenditur, Ecclesiam, vi promissionis Christi, ab omni errore contra fidem semper servandam; nam "omnem impiam hæreticorum incursionem evincit ac profligat;" "sine ullo defectu vel differentia" καθολικῶς καί ἀνελλειπῶς απαντα[3] ubique et absque ulla exceptione omnia dogmata tradit, et hæresum blasphemias omnes frangit et expugnat.

Quæ Cæsareæ, Hierosolymis, Antiochiæ, Constantinopoli, Alexandriæ et per Ægyptum, venerandi hi docuere Scriptores ubique terrarum sunt tradita. Cyprianus: "Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est et pudica; unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit."[4] Virginis integritas vel sponsæ castissimæ in Ecclesia habetur, juxta notionem a Paulo ipso mutuatam: nullam igitur erroris labem in ea licet suspicari. Hieronymus; "Ecclesiæ dicitur 'Surge, illuminare,' ut quæ cecidit in incredulis, *(Judæis)* surgat in fidelibus, et postquam surrexit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras."[5] Augustinus jam ab initio tractatus laudatus: "Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari non potest."[6] Contra omnes hæreses, nullo facto discrimine, pugnans, a nulla potest expugnari.

Præterea quum jam Ecclesiam perpetuam futuram demonstratum sit ex illius institutione, et solemni Christi ipsius pollicitatione; quumque ideo Christi dicatur vera Ecclesia quod ejus doctrinam profiteatur, et proprietates ab eo suæ Ecclesiæ tributas retineat, qua ratione a falsa et Antichristiana quacumque societate distinguitur, manifesto sequitur eam in nullum errorem incidere posse, nam Christi desineret esse, statim ac ejus doctrinam vel unico errore vitiasset. Equidem Ecclesia instituta est ad veritatem revelatam tradendam, ideoque ejus essentia inde pendet, adeo ut veræ fidei professione deficiente, intereat necesse est.

Obj. "Portæ inferi" pro morte usurpantur, uti liquet ex verbis Ezechiæ, qui periculum ex quo evasit recensens dixit: "Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi."[7] Eas vocat Psaltes regius

(1) Hom. cum de sua expuls. ageretur.
(2) l. i. ep. 238.
(3) S. Cyril. Hier. Catech. xviii.
(4) L. de Unit. Eccl. c. v.
(5) Comm. ad c. lx. Isaiæ.
(6) Serm. 1. c. vi. de Symbolo ad Catechumenos.
(7) Isai. xxxviii.

portas mortis: "qui exaltas me de portis mortis."[1] שאול ἅδης *infernus* mortem, vel mortis regionem, sepulchrum, significat. Christus igitur pollicetur mortem contra Ecclesiam non prævalituram, quia fideles resurgent gloriose.[2]

Resp. Metaphora portæ aditus aliquando significatur, aliquando potestas, quæ olim juxta civitatis portas exercebatur: in Christi eloquio ad posteriorem sensum plane determinatur, ex voce adjecta quæ pugnæ et certaminis vim exhibet: Πύλαι ἅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Hinc ipse Rosenmueller Christi verba sic explicat: 'Quam *(meam Ecclesiam)* nulla, ne potentissimorum quidem hostium, vis destruet. * * * Πύλαι ἅδου tartareæ potestates, consultationes, et molimina diabolorum, tyrannorum et hostium ecclesiæ. Nam שַׁעַר cui πύλη respondet, notat ejusmodi portam, ubi habetur judicium, vel imperium, aulam principis, dominandi potestatem, unde Regia Imperatoris Turcarum *Porta* nuncupatur: ἅδης autem שְׁאוֹל *inferi*, est orcus, *tartara*, tota umbrarum respublica."[3] Ridendos sanc se præbent, qui verbis Christi vim afferentes apertam, ea de justorum resurrectione exponunt! Ipse Calvinus agnovit Christum his verbis indicasse quod Ecclesia "victrix staret contra omnes inferorum machinas * * * contra omnem Satanæ potentiam invicta stabit Ecclesiæ firmitas."[4]

Obj. 2. Verba Christi hanc facile excipiunt explicationem: infernus numquam prævalebit contra Ecclesiam, quia semper Christus fidos et devotos, quos novit ipse, habebit cultores.

Resp. De Ecclesia ædificanda super Petrum profitentem fidem verba illa dicta sunt: nec ulla sinit ratio ea ad occultos quosdam justos soli Deo cognitos referre. Quæ de clavibus Petro tradendis adjunguntur, ostendunt de Ecclesia illius potestatis exercitio fruente agi, quæ proinde cætus visibilis est cui præsunt eam exercentes. Profectò qui obvium sensum rejiciunt, perspicuum argumentum ex aliis scripturæ locis afferant necesse est.

Obj. 3. Adversus Ecclesiam Christum Filium Dei, Petri instar profitentem, nequaquam prævalet infernus: sed alias errores irrepserunt.

Resp. Si aliquis irrepserit error, prævaluit certe ea ex parte mendaciorum pater, et irrita facta est Christi promissio, nec enim limitem opposuit, sed inferorum portas numquam prævalituras prædixit.

Obj. 4. Adversus Ecclesiam Catholicam non prævalet infernus, sed potest prævalere adversus Ecclesiam Romanam, vel aliam Ecclesiam specialem.

Resp. Ecclesia Catholica ipsa est Romana, uti jam ostendimus, Romanus scilicet episcopus ei præest, ipsaque sedes Romana est Ecclesia

(1) Ps. ix. 5.
(2) Vide Bloomfield in locum.
(3) In locum.
(4) In locum.

Petri propinqua, uti ait Tertullianus, qua ratione præsertim Christi promissio Petro et Ecclesiæ super ipsum fundatæ facta adimpletur.

Obj. 5. Prævalet infernus, dum vitia grassantur, quæ abundare in Ecclesia Romana nemo nescit. Ne, igitur, dicamus Christi promissionem irritam factam, latuisse conditionem admittendum est.

Resp. Non prævalet infernus, sed Ecclesiam oppugnat vitia fovendo, quamdiu enim morum norma sancta est Ecclesia manet victrix, debellatis tantum qui vitiis in suam perditionem indulserunt. Nulla quidem apposita est a Christo promissioni conditio, sed in divinitatis suæ, quam Petrus professus est, argumentum, se Ecclesiam nulla vi inferorum superandam ædificaturum pollicitus est. Damna gravissima patitur Ecclesia tot suorum filiorum, seu civium interitu, sed arx manet tuta, veritate divina integra servata. Pulchre Chrysostomus textum exponit, ut ostendat Christum Deum esse qui tanta pollicitus est: "Animadvertis quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, et seipsum his duabus policitationibus Filium esse Dei revelat et ostendit. Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, et ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus pastor et caput piscator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc (inquam) omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.

Obj. 6. Ecclesia de qua Apostolus ad Timotheum scripsit fuit Ephesina, quam nemo dixerit infallibilem: ergo alia ratione explicanda sunt ejus verba.

Resp. Nihil est quo ad Ecclesiam Ephesinam solam referantur illa Apostoli verba, nam "Ecclesia Dei vivi" est amplissima totius Ecclesiæ descriptio. Morabatur Timotheus Ephesi, sed non ideo desiit versari in Ecclesia Universali, cujus pars fuit Ephesina Ecclesia.

Obj. 7 Ecclesia Universalis non potest Romana intelligi, sed quæcumque veritates essentiales retinet, nec enim de Romana sede vel Ecclesia eo loci agitur.

Resp. Agitur de Ecclesia Christi quam super Petrum fundavit. Ipsa est Universalis, quæ sua auctoritate a Christo derivata omnes complectitur, nec enim urbis Romæ circuitu continetur, sed per orbem diffunditur, Episcopum Romanum præsidem et rectorem, vice Christi agnoscens. Nullum fit veritatum in testimonio discrimen, sed simpliciter et absolute veritatis semper præconem et vindicem, absque ullo errore, designant: idcirco "propter unum verbum aut duo quæ contraria fidei sunt multæ hæreses abjectæ sunt ab Ecclesiæ,"[2] uti animadvertit Epiphanius. Vim metaphoræ

Hon. LV. in c. xvi. Matt.

(2) S. Epiph. ad Joan. Hieros. p. 428. Id cum laude repetit Hieronymus Apol. adv. Rufin. fol. 109 ex altera parte.

vidit Grotius, cui assentitur Bloomfield, uterque tamen præjudiciis sectæ nimis studens: "Veritatem hic comparat operi supero; Ecclesiam, maxime Universalem, sed et eas partes quæ Universali adhærent, columnæ et basi."[1] Jam vero si ullo posset errore doctrinam Christi corrumpere, Ecclesia nullatenus foret veritatis cujuscumque columna, nam dubitandum semper foret utrum in doctrina tradenda speciali errasset: et si Ecclesia Universalis ex omnibus vel fere omnibus Sectis Christianis conflaretur, ipsa doctrinæ in plerisque rebus discordia omnem tolleret fidem paucis in quibus consensus videretur dogmatibus, et mens hæreret incerta.

Obj. 8. Ecclesia columna veritatis dicitur, quod servaverit Scripturas, quin eis ullam tribuerit auctoritatem, quæ a solo Deo derivatur. Ita Macknight.[2]

Resp. De servandis scripturis nihil eo loci dicitur, sed dotes et auctoritas Ecclesiæ prædicantur. Non explicat Paulus qua ratione Ecclesia veritatem sustentet, sed simpliciter eam ejus sustentaculum designat, nec licet verborum ejus amplissimorum arctare sensum. Scripturæ quidem Novi Testamenti non omnes adhuc exaratae fuerant. Cæterum Ecclesiæ in tuenda veritate vis et auctoritas claret in Scripturarum conservatione, et ex ejus testimonio discunt fideles eas divino afflatu conscriptas, et cælestes veritates inde derivatas, ipsa eas explicante, amplectuntur. Quod autem eo ipso loco quo elogia illa Ecclesiæ de scripturarum conservatione exponit interpres ille Protestanticus, uno spiritu neget ullam in hac re veram Ecclesiæ auctoritatem, ostendit hominem sibi non constantem, dum frustra conatur inania efficere verba Apostoli, altissimo sensu plena.

Obj. 9. Superstitionis varia genera, et opiniones primis sæculis omnino incognitæ, quæ in Ecclesia Romana obtinent, probant errores in fide induci posse, et reapse inductos.

Resp. Petitio principii, ut aiunt Dialectici, fit quum quod in quæstione ponitur, pro certo sumitur. In illud ratiocinandi vitium incurrunt qui temere habent pro superstitiosis ritus Ecclesiæ, et nova judicant, quæ illis non sapiunt. Re ad trutinam revocata, facile patebit nihil quod superstitionem redoleat Ecclesiæ probari, nullum recentius commentum dogmatis usurpare auctoritatem. Ne autem in infinitum progrediamur singulorum examine, citata scripturæ testimonia satis ostendunt nullum errorem induci potuisse: nullum revera inductum ex eo patet, quod tempus, auctorem, aliaque adjuncta quibus omnis novitas notatur, nemo possit adsignare, dum de Ecclesiæ dogmatibus agitur, quæ proinde jure optimo ad Apostolorum referuntur ætatem.

(1) Apud Bloomfield *in locum.*
(2) Preface to I Timothy, sect. v.

C. XIV. DE NOTIS ECCLESIÆ.

Hactenus dicta probant veram Christi Ecclesiam unicam esse, quæ sanctitate doctrinæ, et prole sancta fulget, Deo ipso miraculis per sæculorum seriem utrique testimonium perhibente. Per orbem terrarum sancta hæc societas Christifidelium diffunditur, præside ac rectore Episcopo Romano, Petri successore. Hæc ex Scripturis, tamquam veris rerum gestarum Christi narrationibus, collegimus. Christianorum scriptorum, qui primis floruere sæculis, testimoniis usi sumus, ut ex iis, quæ apud omnes Christifideles, de constituta a Christi Ecclesia obtinuerit sententia, et fides, pateret. Ea etiam veluti historiæ documenta adhibemus, non enim de interpretatione unius alteriusve Scripturæ textus agitur, sed de re sensibus subjecta; scilicet de hominum Societate per orbem, de imperio magno et manifesto, qua ratione constituta fuerit, et suam explicuerit auctoritatem. Ex vetustissimo symbolo, quod *Apostolicum* vocatur, Apostoli scilicet existimantur illud, veluti tesseram qua dignoscerentur fideles, viva voce tradidisse,[1] constat articulum "sanctam Ecclesiam" fuisse inter fidei rudimenta recensitum: una igitur et sancta Christi Ecclesia semper necessario est agnita, nec enim in duas Ecclesias fidem profiteri Christiani edocebantur. Catholica etiam agnoscebatur Ecclesia, saltem ab antiquissimis temporibus, etsi in symbolo ab initio non fuisse nonnullis videatur, quum in exemplaribus Ecclesiae Aquileiensis desideretur. Opus quidem non erat hac veluti nota Ecclesiam ab initio distinguere, quamvis Catholica vere esset, omnibus gentibus sinum suum pandens, et brevi per plerasque diffusa: sed ante ortas hæreses satis ex sancta ejus doctrina et miraculis, cum virtutum fructibus, innotuit. Sectis autem doctrinam erroribus inficere conantibus, Ecclesiam ab iis quæ nonnullis in locis contra universalem fidem nova docebant, hac ratione discernere placuit: quapropter Catholica jam sæculo ipso Apostolico ab Ignatio vocata est, et a Smyrnensibus sæculo sequenti medio in relatione de Polycarpi martyrio.[2] In Symbolo Alexandriæ recitato, Alexandro Ecclesiam illam regente, certe vox illa reperiebatur,[3] sicut et in eo quod Epiphanius scripto consignatum reliquit,[4] et in eo quod Hierosolymis tem-

(1) De Apostolica symboli origine laborant Critici, ea præsertim de causa, quod quædam in exemplaribus varietates reperiantur: hæ tamen facile referuntur ad locorum adjuncta, in quibus ob exortas hæreses aliqua addita sunt, vel ad memoriam fallacem, articulorum tamen sensu retento. Laudat Ecclesiam Romanam Ambrosius ob tenacem veteris symboli custodiam: "Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, et servat." L. 1. ep. 7. ad Siricium.

(2) Γενόμενος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Σμύρνῃ καθολικῆς ἐκκλησίας Apud Euseb. hist. Eccl. l. iv. c. 15.

(3) Μίαν καὶ μόνην καθολικὴν τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. Vide Epist. Alexandri Archiepiscopi Alexandrini, apud Theodoret. hist. Eccl. l. i. c. 4. et Socraten hist. Eccl. l. i. c. 26.

(4) In Sermone Ancorato.

pore Cyrilli recitabatur.[1] Apostolica autem semper agnita fuit Ecclesia, utpote ab Apostolis fundata, et eorum auctoritate gubernata: vox tamen ipsa nonnisi post eorum ætatem Symbolo est inserta, ut distingueretur vera Christi Ecclesia ab hominum conventibus, divina origine carentibus, quos Marcion, Ebion, aliusve quivis instituerat. His, igitur, veluti indiciis certissimis et clarissimis, Ecclesia dignoscebatur, quapropter in symbolo Nicææ et Constantinopoli in Episcoporum Conciliis aucto una, sancta, Catholica, et Apostolica prædicatur.[2]

His veluti *notis* Theologi Catholici, Scripturis et constanti omnium sæculorum fide nixi, Ecclesiam Christi, ab omni hæreticorum vel schismaticorum cætu, discerni jure optimo docuerunt. Est Ecclesia *una* fide, cultu, Sacramentis: quam unitatem quisque statim obviam habet in symbolis, prædicatione, et omnibus fidei documentis: quocumque se contulerit videt idem offerri in universo mundo sacrificium;[3] ubique eadem ministrari sacramenta: facile igitur unitas Ecclesiæ ei fit explorata; et in ea argumentum divinæ originis perspicit, quia tantus in mysteriorum fide, et in cultu Numinis, et in subsidiis ad salutem consensus, vix vel ne vix quidem posset ex hominibus provenire, quum varias plerumque in sententias et consilia abeant.

E contra discors sectarum doctrina, cultus vagus, nulla certa norma statutus, sacramentorum incerta vis et natura, humanæ mentis fœtus produnt.

Sancta Ecclesiæ doctrina, sancta sacramenta, sanctorum virtutes fidelium populorum memoria celebratæ, sanctaque exempla, quæ in omni vitæ conditione spectare est, etiam inter grassantia vitia, cuique suadent cælestem Ecclesiæ originem.

E contra quædam doctrinæ principia apud Novatores adeo virtuti repugnant, ut vix audeat quis, sectæ præjudiciis liber, ea e divino fonte manasse existimare: sacramentorum vis penitus negata, vel larva tantum et umbra exhibita: auctorum sectarum vitia notissima, saltem superbia, animusque auctoritatis impatiens, vetant ne Deus eorum cæptis aspirasse credatur.

Catholica facile dignoscitur Ecclesia, res enim est notissima, nec ullius imperii latissima ditio æque patet. Nomen singulari Dei providentia Ecclesiæ inhærens, quin possint sectæ illud usurpare, cuilibet rem facit exploratam.

E contra Sectæ noscuntur unius aut alterius regni, vel ditionis limitibus fere totæ contineri, vel saltem haud ubique diffusæ, sectatorum numero illustres. Ipsa sua nomina sæpius earum limites innuunt. Sic *Anglicana* Ecclesia intra Anglorum reginæ ditionem fere sistitur, quæ enim alicubi locorum extra eam socias se præbent sectæ, sicut apud nos Episcopaliani,

(1) Εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν Catech. 18.
(2) Μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν.
(3) Irenæus, l. iv. c. 32.

negant civilis magistratus in rebus mere spiritualibus potestatem, Athanasianum rejiciunt symbolum, absolvendi ritu, una cum auctoritate, carere volunt, ideoque facile ab ea distinguuntur. Idem de Scotica Ecclesia "kirk of Scotland" dicendum occurrit.

Apostolica etiam noscitur Ecclesia ex notissima doctrinæ antiquitate, ex solemni Ordinationis ritu, sine quo nemo ad sacra munera admittitur, ex constanti Episcoporum successione, præsertim in Petri cathedra, quæ res non minus patet ac præsidum reipublicæ nostræ series.

Facile autem quisque novit sectas non esse Apostolicas, auctorum enim suorum plerumque ferunt nomina, vel alia quæ notant principia ab iis propugnata: et tempus, locus, et adjuncta originis sectæ, fama publica, et historia teste, innotescunt.

Jure igitur hæ adsignantur notæ veræ Ecclesiæ, utpote rationi probatæ, Scripturis innixæ, et quæ, conjunctæ saltem, soli veræ Ecclesiæ possunt convenire.

Jam verò quum hæ notæ e Scriptura colligantur, patet licere cum Augustino hæreticos omnes et schismaticos ab Ecclesia alienos probare, eo quod quæ de Christi Ecclesia Scripturæ manifestissime tradunt, ipsi non teneant. "Totus Christus," inquit præclarissimus Doctor, "caput et corpus est. Caput unigenitus Dei filius, et corpus ejus Ecclesia, sponsus et sponsa, duo in Carne una. Quicumque de ipso capite, ab scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicumque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia; quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Quicumque credunt quidem quod Christus Jesus, ita ut dictum est, in carne venerit, et in eadem carne, in qua natus et passus est, resurrexerit, et ipse sit Filius Dei, Deus apud Deum, et cum Patre unum, et incommutabile Verbum Patris, per quod facta sunt omnia; sed tamen ab ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur; manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia."[1] Jure optimo dicit "Ecclesiam toto orbe diffusam, quæ manifestissimis Scripturarum canonicarum testimoniis designata et expressa est."[2] "Nullo interprete indigent canonicarum Scripturarum testimonia quæ commendant Ecclesiam in totius orbis communione consistere."[3]

Notæ illæ quæ tantam habent vim contra hæreticos Scripturarum divinam auctoritatem agnoscentes, inserviunt etiam, ut jam sæpius diximus, infideli ut suadeatur hanc esse Societatem quam Christus instituit, fideli autem magis magisque Ecclesiam commendant, fidemque roborant. Absque

(1) De unit. Eccl. col. 341, t. ix.
(2) Col. 370.
(3) Col. 377.

Scripturis ipsa fidei concordia, doctrinæ sanctitas, per orbem permanens diffusio, et pastorum inter tot rerum vices, regnis et imperiis labentibus, numquam interrupta series, cuicumque, divino affulgente lumine, persuasum facere possunt hanc societatem non hominum sapientia constitutam, nec potentia sustentatam, sed divina plane opera.

Singularum notarum explicatio ad Theologos pertinet, sed fides concipitur sæpissime, una vel altera menti objecta, in qua certissima deprehunduntur divinæ revelationis indicia. Divina auctoritate freti Ecclesiam docentem audimus, singulorum dogmatum probationes et ipsius Ecclesiæ privilegiorum pleniorem expositionem deinceps excepturi. Sunt quidem plurimi, præsertim ex hæresi conversi, qui laboriosa indagine singula perscrutati sunt argumenta dogmatum et auctoritatis Ecclesiæ, antequam fidem professi sint: hi tamen rationis examine ad eam pervenisse perperam dicerentur, si enim in eo constitissent, humanam tantum fidem, vacillantem et incertam habuissent, quod plurimis Religionis documenta sua industria investigantibus contingit; aliis, qui diu hæserant, certissimis licet argumentis veritatis fere cedentes, tunc tandem fide divina illustratis, quando gratiæ ope in Dei per Ecclesiam docentis auctoritate conquieverunt. Verissime dictum est ab Augustino: "nihil in Ecclesia catholica salubrius fieri, quam ut rationem præcedat auctoritas."[1] Hanc methodum naturæ conformem meritò prædicat: "naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas."[2] Ruit igitur objectio qua inter alios Anglicanus Episcopus Porteus Catholicos urget, scilicet quod ratione utantur ad discernendam Ecclesiam, eam deinceps respuentes: quamvis enim mens Ecclesiam dignoscat ex iis quibus fulget divinæ originis indiciis, non rationis ductu, sed ex divino quo mens ipsa illustratur lumine, fidei præbetur assensus, divina nixus auctoritate: quo etiam pacto in singulis dogmatibus etiam conquiescit. Quæ autem exponuntur argumenta, ad vindicias Ecclesiæ et dogmatum pertinent, potius quam ad ipsam fidei concipiendæ rationem: movetur quidem animus, etiam humanitus, variis veritatis argumentis; sed fidem, quæ donum Dei est, non concipit nisi ex gratiæ inspiratione.

Verbis Irenæi fidei Catholicæ rationem reddere et sectariorum vivam imaginem exhibere placet. "Prædicationem Ecclesiæ ubique constantem, et æqualiter perseverantem, et testimonium habentem a Prophetis et ab Apostolis, et ab omnibus discipulis, quemadmodum ostendimus per initia, et medietates, et finem, et per universam Dei dispositionem, et eam quæ secundum salutem hominis est, solidam operationem, quæ est in fide nostra, quam perceptam ab Ecclesia custodimus, et quæ semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens, et juvenescere faciens ipsum vas in quo est. Hoc enim Ecclesiæ creditum est Dei

(1) De moribus Eccl. Cath. cxxv. §. 47, col. 704, t. 1.
(2) Ibidem c. ii, col. 688.

munus, quemadmodum aspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur: et in eo disposita est communicatio Christi, id est Spiritus Sanctus, arrha incorruptelæ, et confirmatio fidei nostræ, et scala ascensionis ad Deum. In Ecclesia enim, inquit, posuit Deus Apostolos, prophetas, doctores, et universam reliquam operationem Spiritus, cujus non sunt participes omnes, qui non concurrunt ad Ecclesiam: sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam, et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem: sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de cæno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur, rejicientes verò Spiritum ut non erudiantur. Alienati verò a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes, et numquam scientiam stabilem habentes, sophistæ verborum magis volentes esse quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super vivam petram, sed super arenam."[1]

C. XV. DE ECCLESIÆ PRÆSULIBUS.

Christum Petrum ovili suo universo præfecisse pastorem vidimus, et ita disposuisse unitatem ab uno incipientem: attamen Apostolis omnibus ligandi et solvendi potestatem pollicitus est, eosque ad docendum et baptizandum gentes misit, auctoritate utique eas regendi præditos. Sicut Episcopus Romanus Petri tenet locum, ita et præsules cæteri per orbem in Apostolici muneris partem vocati sunt, ut cum illo gregi invigilent, omniaque bonorum pastorum munera impleant. Plerique sectarii in hac regione vel Episcopale regimen prorsus rejiciunt, vel illud ad Ecclesiasticam politiam referunt, quin a Christi institutione derivetur. Presbyteriani contendunt nullam specialem auctoritatem regiminis Episcopi vocabulo designari, sed de simplici quovis animarum pastore illud usurpari.[2] Iis Baptistæ, ut plerumque, assentiuntur. Methodistæ nonnulli Episcopalis regiminis nomen retinent, sed illud repetunt ex Wesleyi in hanc formam voluntate magis propensa, eum Episcopatus sui auctorem agnoscentes. Episcopaliani eo gloriantur; sed ex Apostolorum institutione illud derivat *White*, qui, moderationis laudem cupiens, animadvertit Ecclesiam Anglicam absolutam ejus necessitatem numquam affirmasse, et Bancroftum ipsum, dum ageretur de Episcopis Scotiæ dandis, ab ea quæstione dirimenda

(1) Irenæus l. iii. adv. hær. c. xl.
(2) ch. iv. Form of Government.

consulto abstinuisse, ne omnes pene Ecclesiæ reformatæ ministerio carere viderentur.[1]

PROPOSITIO I.

Episcopi ad regendam Ecclesiam divino jure constituti sunt.

Probatur. Apostolus Presbyteros Epheso accersitos alloquens, dixit: "Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei."[2] Vox Græca ποιμαινειν pastoris in gregem curam designat, qua gubernandi potestas plane includitur: quapropter apud Homerum reges populorum pastores vocantur ποιμενες λαων; et septuaginta interpretes, vocabulo Hebraico accurate studentes, illud Psalmistæ de Christo rediderunt: ποιμανεις αὐτὺς εν ραβδω σιδηρεω. Vox pastorale regimen apte exprimit, uti adnotat S. Hilarius: "pastoraliter reges; regendi scilicet eos curam affectu pastoris habiturus."[3] Presbyteri quidem vocantur a Luca, quos Paulus episcopos dicit, quia adhuc vox Πρεσβυτερος quæ dignitatem cum ætate conjunctam significat, ad simplices Sacerdotes designandos non est specialiter adhibita. Επισκοπος autem gubernatorem, præfectum, aliumve munere insigni fungentem denotat, uti liquet ex episcopatus voce quam de Achitophelis munere,[4] primarii consiliarii David, adhibuerunt septuaginta Interpretes, Petrus verò de Judæ ipsius Apostolatu.[5] Utraque vox simul conjuncta ἐπισκόπὴς ποιμαίνειν gubernandi munus absque ulla ambiguitate definit. Quod etiam ex concione Apostoli roboratur, quum enim eos monuerit se amplius Ephesum non reversurum, si ipsi meri Presbyteri forent, nulla ordinationis potestate prædíti, manifesto discrimini Ecclesia Ephesina objiceretur, neminem habens, qui pastorum seriem posset continuare.[6] Quod autem Epheso arcessiti fuerint, argumento non est eos fuisse Sacerdotum illius Ecclesiæ cætum, nam ad varias Asiæ minoris Ecclesias eos pertinuisse inde colligitur, quod Apostolus eos alloquens se per eos transiisse dicit, per triennium, quod non Ephesi impensum, sed in provinciis variis percurrendis, ex actis Apostolorum constat: "Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim. * * * Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. * * * Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, et die, non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque

(1) "Lest the calling and character of the ministry in most of the reformed churches might be questioned." Cited by White, Dissert. x. of Episcopacy, p. 426. ed. 1813.
(2) Act. xx. 28.
(3) In Psal. ii. 9.
(4) Ps. cviii. 8.
(5) Act. i. 20.
(6) Vide de hoc argumento Clinch on Church Government, Letter vii. p. 328.

vestrum."[1] Eos a variis locis advenisse intellexit Irenæus: "in Mileto enim, convocatis Episcopis et Presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus."[2] Adfuisse quosdam simplices Presbyteros, uti hic insinuatur, non est inverosomile, sed Apostoli verba laudata gubernatores Ecclesiæ plane respiciunt, nec est inusitatum in concione quosdam gradu præstantes specialiter de suo munere monere, aliis prætermissis. Hos præsertim accersitos a Paulo Chrysostomus etiam intellexit, vis verborum Græcorum haud ignarus, et mentis Apostoli felix sæpe interpres: τους ἄρχοντας μεταπεμψαμενος.[3]

Ad septem Ecclesiarum Asiæ Angelos scripsit Joannes,[4] quos Antistites intelligere eis invigilantes necesse est, nec enim Angeli monitionibus indigebant. Igitur in ipsa ætate Apostolica præfuerunt præsules Ecclesiis in majoribus urbibus, easque singulari potestate regebant.

Probatur II. *ex totius antiquitatis consensu:* constat quippe ab antiquissimis temporibus rectores singulares, Episcopos designatos, ubique agnitos, quibus et fideles et sacerdotes subjectos se exhibebant, et quorum auctoritas sacrosancta et divina habita est. Illustrem testem damus Martyrem Ignatium, qui ad Smyrnenses scribit: "Divisiones fugite ut principium malorum: Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterium ut Apostolos. * * * Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. * * * Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia."[5] Ad Trallianos: "Cum enim Episcopo subjecti estis ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum homines, sed secundum Jesum Christum vivere. * * * Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis, sed et Presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Christi."[6] "Decet enim singulos vestrum, et præcipue Presbyteros, refocillare Episcopum, (αναψυχειν) in honorem Patris, Jesu Christi, et Apostolorum."[7] Liquet Presbyteros, vel Presbyterium, Presbyterorum scilicet cætum, secundum locum tantummodo obtinuisse, iisque præfuisse Episcopum, quemadmodum Christus Apostolis præfuit. Hæc certe auctoritatem, muneri Episcopali inhærentem, ex Jesu Christi institutione, nec proinde ex Presbyterorum concessione derivatam, nec ullatenus ex eorum pendentem arbitrio significant; veram scilicet et divinitus datam regiminis potestatem. Plurimis in locis id urget sanctus martyr, apprime noscens rem Christianam, in iis præsertim temporibus periculosis, ex summa omnium concordia, quæ Episcopali regimine servanda erat, plurimum pen-

(1) Act. xx. v. 18. 25. 31.
(2) l. 3 adv. hær. c. xiv.
(3) Hom. 44 in Act.
(4) Apoc. II. et III.
(5) Ep. ad Smyrnenses c. vii. viii.
(6) Trall. ep. ch. ii.
(7) Ch. xii. 3.

dere. Ad Ephesios scribens, Episcoporum per varias orbis plagas distributionem summo Christi consilio meritò tribuit: "Etenim Jesus Christus inseparabilis nostra vita Patris est sententia, ut et Episcopi per terræ terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum Presbyterium dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo ut chordæ citharæ."[1] Et ad Magnesianos: "Sed et vos decet non familiarius ac superbe uti ætate Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum novi sanctos facere Presbyteros, non respicientes ad apparentem juvenilem Ordinationem, sed ut prudentes in Deo cedentes ipsi, non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi omnium Episcopo."[2]

S. Irenæus "Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos. * * * Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. * * * Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt: sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate."[3]

Tertullianus "Dandi (*Baptismum*) quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri et Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est."[4]

Origenes: "Si audacter expedit loqui Scripturarum sensum sequenti, per singulas Ecclesias bini sunt Episcopi, alius visibilis, alius invisibilis: ille visui carnis: hic sensui patens."[5] "Neque Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua, possunt esse digami."[6]

S. Cyprianus: "Dominus noster, cujus præcepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem, et Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, et dicit Petro: 'Ego tibi dico quia tu es Petrus, &c.' Inde per temporum et successionum vices, Episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse: quando Ecclesia in Episcopo et Clero, et in omnibus stantibus sit constituta."[7] "Audio tamen quosdam de Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui et Cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cæ-

(1) Eph. iii. iv.
(2) Magn. c. iii.
(3) L. III. de hær. c. iii.
(4) L. de Bapt. c. xvii.
(5) Hom. xiii. in Lucam.
(6) Hom. xvii.
(7) Ep. xxxvii. ad lapsos.

pisse, et offerre pro illis et Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire."[1]

S. Optatus Milevit: "Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros et turbam fidelium."[2]

S. Augustinus hæreseos Aerium notat quod dixerit "Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni."[3] Et in Ps. 44: "Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi Patres. Sed numquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? * * * Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Patres missi sunt Apostoli; pro Apostolis filii nati sunt tibi; constituti Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus patrum."

S. Pacianus Barcinonensis Episcopus, de peccata remittendi potestate disserens, ait: "An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum Sanctum dare solis, et solis Gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est, &c. Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum longe charismatum, ad Episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfluit atque solvendi. Quod et si nos ob peccata nostra temerarie vindicamus, Deus tamen illud ut sanctis et Apostolorum cathedram tenentibus non negabit; qui Episcopis etiam Unici sai nomen indulsit. * * * Nemo Episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur quod Petrus Apostolus Dominum nostrum Episcopum nominarit: 'Sed conversi, inquit, modo ad Episcopum et Patrem animarum vestrarum.' Quid Episcopo negabitur in quo Dei nomen operatur."[4] S. Epiphanius Aerium tamquam hæreticum notat, quod Presbyteros Episcopis faceret æquales, eumque refellit eo quod ordinationis potestate simplex Presbyter careat: "Quinam verò fieri potest, ut is Presbyterum constituat ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodo Presbyter Episcopo dici potest æqualis?"[5] Liquet ex communi Ecclesiæ sensu et judicio eo sæculo, juxta priorum sæculorum traditionem constantem, Episcopos auctoritate præstare Presbyteris, et contrariam sententiam idcirco hæresim judicatam. Hinc Ischyras se Presbyterum affirmans, manibus sibi a Collutho Presbytero impositis, merus laicus a Synodo Alexandrina declaratus est,[6] et omnes omni sæculo qui ordines accepisse dicebantur ab iis qui Episcopali carebant charactere, ad laicorum conditionem reverti cogebantur.[7]

(1) Ep. xii. ad Clerum.
(2) L. II. adv. Parmen.
(3) L. de hær. c. 53.
(4) Ep. 1 ad Sympron.
(5) Hær. 75.
(6) Syn. Alex. in ep.
(7) Vide etiam in Apol. 2. Athan. Cleri Mareot. relat.

Accedit quod catalogi episcoporum Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ apud Eusebium reperiantur ; et in omnibus vetustis monumentis episcopus unus in singulis Ecclesiis magnarum urbium nominetur, veluti eas gubernans, ipsosque Presbyteros regens. Quum autem agatur de constitutione et regimine Ecclesiæ, testimonia hujusmodi maximi valeant necesse est, res enim fuit oculis subjecta, et quotidiano usu celebrata. Insuper quum potestatis exercitium plerumque odio sit, hominibus libertatem, juraque sua tenaciter tuentibus, non facile contingere potuisset, ut presbyter aliquis in cæteros usurparet auctoritatem, ipsis invitis. Quod si ordinis servandi causa ex eorum consensu et electione exerceretur, perspicua forent ejus rei ubique in veteri historia argumenta ; et vehementius restitissent presbyteri, quando quæ ex arbitrio eorum exercebatur potestas, divino veluti jure vindicari cæpit. Nihil autem hujusmodi occurrit, sed e contra qui primus Presbyteris potiores Episcopos negavit, hæreticus a toto Orbe Christiano est habitus, veluti divinitus institutam Hierarchiam evertens.

Obj. 1. Qui Episcopi dicuntur a Paulo, Presbyteri etiam vocantur. Scribit ad Philippenses fideles : "cum episcopis et diaconibus ;" et passim recenset dotes quibus episcopi et diaconi ornari debent, nulla facta tertii gradus ministrorum mentione.[1] Presbyterorum autem cætum manuum impositione Timotheum constituisse dicit Paulus.[2] Ergo idem est munus utraque voce designatum, nec regiminis includit auctoritatem, sed inspiciendi vigilantiam, juxta vim vocis.

Resp. Episcopi quidem Presbyterorum nomine in Scripturis Novi Testamenti designantur, quia utraque vox dignitatem cum auctoritate conjunctam significat, quamvis posterior consuetudo hanc ad Sacerdotes qui regimine non fruuntur fere restrinxerit. Quis negaverit Petrum gubernandi Ecclesiam habuisse auctoritatem, qui tamen non dedignatur se Presbyterorum socium exhibere : συμπρεσβύτερος, alios hortans ut haud dominarentur in partes gregis sibi commissas ?[3] Plerique, vel omnes ab Apostolis ordinati, ad Episcopatum statim evecti sunt,[4] ut Ecclesiarum necessitatibus et propagationi consuleretur, constituto qui posset alios sibi adsciscere manuum impositione. Ideo Paulus dicit se Titum Cretæ reliquisse ad tempus, ut in singulis civitatibus constitueret Presbyteros, Episcopos utique, quod patet ex iis quæ statim adjungit : "oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem ;"[5] qua ratione Apostolicum ipsum ministerium, quod cum auctoritate certe conjunctum esse constat, alias designatur : "Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysterio-

(1) 1 Tim. i. 3. et Tit. i. 19.
(2) 1 Tim. iv. 14.
(3) 1 Pet. v. i.
(4) Petau de ep. dign. et jurisd. l. 1. c. 2.
(5) Tit. i. 19.

rum Dei."[1] Titus brevi Cretæ insulam relicturus erat, ut Nicopolim se conferret,[2] ubi Apostolus per hiemem mansurus erat; ideoque oportuit in præcipuis urbis civitatibus Episcopum constituere qui posset Ecclesiam regere, eamque ministris instruere. Hinc facile explicatur cur Episcoporum et diaconorum dotes tantum recenseantur, quum Tito et Timotheo injunctum fuerit Ecclesiis novis Episcopos dare, quibus diaconum adstare oportuit ab initio, ob muneris dignitatem[3] et onus, relicta episcopis sacerdotes ordinandi, prout opus esset, cura. In urbibus majoribus plures nonnumquam erant Episcopi, ut oblata occasione novis Ecclesiis provideretur, ipsis illuc se conferentibus. Timotheum impositione manuum Pauli accepisse Episcopalem auctoritatem alias constat,[4] quamvis Presbyteros, veri nominis utique Episcopos, suam quoque in sacro hoc munere communicando posuisse operam ex objecto loco colligatur. Ex eo autem quod Presbyteri vocentur, nihil contra eorum episcopatum sequitur, nam Apostolus Joannes se Presbyterum designat.[5] Posterior usus, quo ad inferiorem ordinem plerumque refertur, nihil potest detrahere auctoritati episcoporum, ad gubernandam Ecclesiam, quæ apertissime designata est. Quod autem de voce dicitur, accuratum non est, nam episcopus qui cum auctoritate præest designatur.[6] Christus ipse animarum nostrarum episcopus dicitur, qui summa quidem auctoritate nos regit.[7]

Obj. 2. "Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos."[8] Ita S. Joannes, qui singularem illam Episcoporum auctoritatem ignorasse videtur.

Resp. Quis fuerit Diotrephes non constat, utrum scilicet vir laicus potentia valens, vel Ecclesiæ præsul auctoritate abutens ὁ φιλοπρωτευων αυτῶν ab Apostolo dicitur, quibus verbis primas partes agendi ambitio, et dominandi libido satis indicatur. Ex eo autem quod prava culpetur ambitio, legitimum auctoritatis exercitium non rejicitur. Fuisse singularum Ecclesiarum præsules ipsa Apostolorum ætate liquet, ex monitis Joannis in Apocalypsi ad Angelos septem Ecclesiarum Asiæ, quarum præcipua erat Ephesus, directis; et ex Petri ad Presbyteros, scilicet Episcopos, hortatione, ut non dominarentur portionibus gregis quas sortiti erant. ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμὶν πέιμνιον του Θεοῦ, ἐπισκοπεντες * * μηδ' ὡς κατακυριέυοντες των κλήρων;[9] quorum verborum vis est:

(1) 1 Cor. iv. 1.

(2) Tit. iii. 12.

(3) Αγω δε διακονου επισκοπον αδυνατον ειναι. Epiphanius Aerian, p. 908.

(4) 2 Tim. i. 6.

(5) 2 et 3 Ep.

(6) επισκοπος Overseer of a city, prefect, guardian—president. Dem. 421. 27. apud Jones Lexington.

(7) 1 Pet. ii. 25. Vide et Clinch loco cit. ex quo plura mutuati sumus.

(8) 3 Joan. ix.

(9) 1 Pet. v. 2. 4.

pastoraliter gubernate gregem Dei vobis commissum,[1] episcopatum gerentes * * non ut dominantes portionibus fidelium quas gubernandas sortiti estis.

Obj. 3. Si Presbyteri in Scripturis Episcopi dicantur, auctoritate præditi gubernandi Ecclesiam, jam Sacerdotum simplicium evanescet ordo, nullius quippe Scripturæ auctoritate probatus.

Resp. Ordinum illorum distinctio satis aliunde patet, ex perpetua scilicet omnium sæculorum a Christo traditione, quam innumera testantur monumenta. Cæterum si unum excipias S. Jacobi testimonium, in quo de ungendis infirmis est sermo, cætera omnia, vel certe fere omnia eos designant qui gubernandi Ecclesiam pollebant auctoritate: quam in singulis Ecclesiis unum exercuisse liquet ex Apocalypsi Joannis, et ex Scriptoribus qui Apostolos secuti sunt, præsertim Ignatio. Institutis autem Episcopis, ipsi alios sibi adsociarunt sacrorum munerum, non verò regiminis participes. Simplex igitur Sacerdotium est pars quædam plenitudinis sacerdotii, quæ in Episcopis reperitur.

Obj. 4. S. Polycarpus ad Philippenses scripsit, Episcopi nulla facta mentione: "subjecti estote Presbyteris et Diaconis, sicut et Deo et Christo, ceu virgines inculpatæ, et casta conscientia gradientes."[2]

Resp. Constat Polycarpum ipsum veri nominis fuisse episcopum, singulari scilicet auctoritate Ecclesiæ Smyrnensi præfectum, quod et Irenæus ipsius coævus testatur,[3] prout etiam Eusebius. Imo ipsi Smyrnenses, in epistola paulo post martyrium Polycarpi scripta, et relata ab Eusebio, dicunt, de Martyribus loquentes: "quorum ex numero hic certe unus fuit nostra ætate Apostolicus et Propheticus Doctor Catholicæ Smyrnensium Ecclesiæ Episcopus."[4]

Obj. 5. S. Cyprianus sæpius significat Presbyteros cum Episcopo communi consilio omnia quæ ad Ecclesiæ regimen spectant decernere: "Nuper in concilio plurimi Co-episcopi cum compresbyteris qui aderant, censuimus."[5]

Resp. Ex illius ævi disciplina Episcopi plerumque Presbyterorum consilium adhibuerunt in suarum diœcesecon regimine, et quosdam ex illis in consultores in conciliis adsciverunt. Hæc tamen non obstant singulari Episcopi auctoritati, cujus semper erat Presbyteros ipsos imponendo manus constituere, et ea quæ ex consilio communi statuta erant, sua auctoritate relaxare. Ipse Cyprianus sæpissime Presbyteros ab Episcopis distinguit, eosque dicit non posse Episcoporum sanctiones negligere: "Quod si ita res est" inquit "ut nequissimorum timeatur audacia, et quod mali jure atque æquitate non possint, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina

(1) "Nonnumquam ἐν idem valet quod *penes*, ubi sermo est de iis quæ in potestate alicujus posita sunt, ut δύναμις ἐν ὑμῖν penes vos est, Od. 10. 69. ἐν σοὶ ἐστι in tua potestate positum est. Hall. 6. 109." Hederici Lexicon.

(2) Ep. ad Phil. apud Euseb. l. iv. hist. Eccl. c. 15.

(3) l. iii. de hær. c. 3. (4) loco cit. (5) Ep. 71 ad Quirinum.

potestate." * * * "Sublata penitentia, nec ulla exomologesi criminis facta, despectis Episcopis atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicatur."[1] Florentium Pupianum sic alloquitur: "Persecutio veniens te ad summam Martyrii sublimitatem provexit: me autem proscriptionis onere depressit. Cum publice legeretur: *Si quis tenet, vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani Episcopi Christianorum:* ut etiam qui non credebant Deo Episcopum constituenti, vel diabolo crederent Episcopum proscribenti. Nec hæc jacto, sed dolens profero, cum te judicem Dei constituas, et Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria Ordinatione succedunt: 'qui audit vos, me audit,' &c. Inde enim schismata et hæreses obortæ sunt, et oriuntur, et Episcopus qui unus est, et Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, et homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur."[2]

Obj. 6. S. Hieronymus in Comm. C. 1. Epist. ad Titum, explicans illa verba: "et constituas per civitates Presbyteros, &c. Oportet enim Episcopum sine crimine esse," scribit: "Idem est ergo Presbyter qui et Episcopus: et antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, et diceretur in populis: 'Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ,' communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electis superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur. Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum et Presbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii; relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: 'Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconis, gratia vobis et pax. Philippi una est urbs Macedoniæ. Et certe in una civitate plures (ut nuncupantur) Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos et Presbyteros appellabant; propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris, est locutus." Laudat in eundem finem, Hebr. 13. 1 Petri. 5. Act. 20: "Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos et Episcopos: paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret." Item scribit "Apostolum diserte docere, eosdem esse Presbyteros, quos et Episcopos;"[3] idque plurimis citatis testimoniis probat: "quod autem postea unus electus

(1) Ep. 55 ad Cornelium.
(2) Ep. 69.
(3) Ep. 85 ad Evag.

est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam et Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent."

Resp. Quamvis Hieronymi eruditionem et judicium plurimi faciamus, non consuevimus tamen jurare in verba magistri, ideoque si quæ objecta sunt, nullatenus valeant conciliari cum iis quæ ex Scripturis et Patrum trium priorum sæculorum operibus, de divina Episcoporum institutione, et in gubernanda Ecclesia auctoritate didicimus, pace ejus, eum deserimus hac in re ducem. Cæterum tanto doctori debetur ut ea verborum ejus adhibeatur interpretatio, quæ et vetustioribus monumentis, et totius Ecclesiæ per omnia sæcula sensui est consona. Fatemur libenter Episcopos, imo et Apostolos, Presbyteros in Scripturis designari, qua ratione nihil detrahitur eorum in gubernanda Ecclesia auctoritati, nihil accedit simplicium Sacerdotum, quorum vocabulum Presbyter postea consuetudine proprium est factum, dignitati vel potestati. Quod ad regimen Ecclesiæ communi Presbyterorum, scilicet Episcoporum, consilio pertinet, indiget probatione, quam afferre neglexit sanctus doctor. Nil autem refert si diæceseon distributio, et designatio Episcopi haud ab initio factæ existimentur, donec ortis Corinthi dissidiis quæ narrat Paulus "in toto orbe decretum" sit, utique ab Apostolis, ut unus de Presbyteris, veri nominis Episcopis utpote gubernandi Ecclesias jam fungentibus munere, cæteris superponeretur, non certe iis cum quibus communem impendebat operam in Ecclesiarum regimine, sed fidelibus et Presbyteris inferioris gradus quos ipse sibi adsciscere t. Quidquid sit de hac hypothesi, liquet Episcopale regimen, ex Hieronymi sententia, in Apostolica ætate toto orbe obtinuisse, ob unitatem tuendam, de Episcopo enim ait: "ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur." Quæ ex Scripturis adducit, nobis etiam videntur probare Presbyteros plerumque episcopali auctoritate fungentes designari, quamvis non satis firmum sit argumentum ex locis in quibus plures Episcopi in urbe aliqua exhibentur; quamvis enim ex singulari Episcopatus natura plures nequeant unam regere Ecclesiam, plures tamen in una versari urbe facile contingere potuit, in illis præsertim rerum primordiis, ut præsto essent novis fundandis Ecclesiis, et ut successioni consuleretur, ne morte occurrente, desideraretur qui novum consecraret præsulem. Nec tamen Hieronymo facile assentimur dicenti Presbyteros, scilicet quos intelligit sacerdotes, ex Ecclesiæ consuetudine, magis quam ex dispositione Domini esse Episcopis subjectos, quamvis enim et illa subjectionis origo esset sacrosancta, et ab Apostolica ipsa ætate derivata, non tamen cum rerum veritate constat: Dominus enim Apostolos cum plena potestate misit, ipsique, ex Spiritus Sancti inspiratione, juxta Christi de regno ejus statuendo præcepta, alios ad sui muneris consortium assumpserunt, quos Episcopos

veri nominis fuisse liquet, utpote Apostolici episcopatus consortes. Qui igitur ad sacra munera deinceps evecti, non eandem gubernandi Ecclesiam potestatem acceperunt, ex ipsius Dominicæ dispositionis veritate Episcopis necessariò subjecti sunt, prout ex S. Cypriano jam audivimus. Quod adjungit Hieronymus, Episcopos debere in commune regere Ecclesiam, Presbyteris scilicet communicata potestate, intelligi potest de mansuetudinis, prudentiæ, et charitatis studio, quo Episcopum oportet Presbyterorum, pietate et scientia præstantium, exquirere consilia : secus frustra ad unum omnis solicitudo delata esset, ad schismatum tollenda semina. "Ecclesiæ salus," inquit Hieronymus ipse, "in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus eminens, detur potestas, tot erunt in Ecclesia Schismata, quot Sacerdotes."[1] Jure igitur utitur Moysis exemplo, "qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret." Consuetudo Ecclesiæ Alexandrinæ non admodum innotescit, sed videtur fuisse cætus Episcoporum veri nominis, qui Episcopo Alexandrino adstabant, in primordiis Ecclesiæ, ne casu aliquo deficeret successio ; quique ei in amplissima ditione operam præstabant, quos post Heraclæ tempora singulis diœcesibus præfectos verosimile est.[2] Origenes Alexandriæ docens, diu ante ætatem Hieronymi, de uno Episcopo, singulis Ecclesiis præfecto, locutus est. Contra domesticum hunc testem non potest valere Hieronymi dictum, qui documento aliquo vel narratione falli potuit, vel ad consuetudinem aliquam referre, quæ ex ejus verbis non satis certo colligitur. Id constat, eum Episcopale regimen ad primordia Ecclesiæ retulisse, et ordinationis potestatem Episcoporum singulare jus prædicasse, ea ipsa epistola in qua Presbyterorum dignitatem exaggerat : "Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod Presbyter non faciat?"[3]

Quidquid discriminis inter Episcopos, Romano episcopo inferiores, occurrit, ad Ecclesiasticam politiam, quæ varietatem patitur pro temporum conditione, refertur. Secundum in Hierarchia locum obtinuit ab antiquissimis temporibus episcopus Alexandrinus, cujus potestas amplissima in Ægyptum, Lybiam, et Pentapolim, a Concilio Nicæno vindicata est.[4] Tertio in gradu stetit episcopus Antiochiæ, qui sua auctoritate Orientis provincias complectebatur. Ad urbium amplitudinem referendam hujus jurisdictionis originem nonnulli censuerunt, quod scilicet occasio inde orta sit eam tribuendi ; quod non repugnat, dummodo ab Apostolico fonte manasse agnoscatur. Antiochenam sedem, ex Petri, qui primus eam occupavit, dignitate, Alexandrinam etiam fundatam a Marco ejus discipulo, ab ipso Petro, cujus auctoritate egit, constat jura præcipua derivasse.[5] Ad ampliorem hanc

(1) Dial. adv. Lucifer.
(2) Vide Clinch sæpius laudatum qui Hieronymi testimonia præclare versat. p. 340.
(3) Ep. ad Evagruim.
(4) Can. vi.
(5) Vide Thomassin. Vet. et Nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 1. c. 7. et 8. tom. v.

auctoritatem designandam Archiepiscopi nomen postea tributum est episcopis illis, qui progrediente tempore Patriarchæ, scilicet Patrum principes, etiam dicti sunt.[1] Constantinopoli ædificata ubi Byzantium steterat, cujus Episcopus Episcopo Heracleæ subjiciebatur, visum est eam novam Romam designare, et amplissimis ornare privilegiis, episcopo juribus a Romano episcopo secundis tributis, in Conciliis Constantinopolitano, et Chalcedonensi. Restitit Summus Pontifex, ne injuria Sedibus Alexandrinæ et Antiochenæ inferretur, sed non facile cessit Antistitis Constantinopolitani ambitio, qui patriarchæ nomen et auctoritatem tandem obtinuit. Hierosolymitanæ Sedi privilegia juraque tributa, nempe ut tres Palæstinæ ei subessent, Patriarchæ nomen Episcopo attulerunt. Sequiori ætate jura quædam præcipua Aquilejensi, Ulyssiponensi, et Veneto episcopis a S. Sede concessa titulo eodem claruerunt. Ipse autem Episcopus Romanus, præter eam quam in universam Ecclesiam necessariò obtinet auctoritatem, specialem jurisdictionem in Occidentali Ecclesia, tamquam patriarcha, semper consuevit exercere.

Amplissima Patriarcharum ditio in plures divisa est provincias, quarum cura Episcopo est demandata, Episcopis qui ejus partes seu diæceses, quæ olim paræciæ dicebantur, regebant, ejus auctoritati subjectis. Hinc Archiepiscopi nomen tributum, ut potior designaretur auctoritas, Metropolitæ quoque, quia in urbe præcipua morari consuevit, vel in Ecclesia, quæ mater cæterarum habebatur. Timotheus in Asiam provinciam hanc jurisdictionem habuisse videtur; sed jura singula Metropolitarum aucta sunt vel imminuta pro temporum diversitate, specialibus Conciliorum vel Pontificum sanctionibus. Juxta hodiernam disciplinam habet Archiepiscopus jus convocandi concilium episcoporum provinciæ et ei præsidendi:[2] excipiendi quoque appellationes ab episcoporum suffraganeorum sententiis, et visitandi eorum diæceses, ex causa prius probata concilio provinciali.[3] *Primas* dicitur qui metropolitis alicujus nationis vel regni præest, potiori quadam ornatus auctoritate. Sic Lugdunensis, Armachanus, Cantuariensis. Solus Lugdunensis appellationes excipiendi jus retinere dicitur.[4]

Quamvis Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum tituli Apostolica ætate sint posteriores, et jura et privilegia eorum specialibus conciliorum vel Pontificum sanctionibus, definita sint, et aucta vel imminuta pro temporum varietate, videntur tamen fundamenta veluti jacta ab Apostolis ipsis, quatenus Episcopis nonnullis cura aliorum intra certos fines est commissa. Id quidem consonum fuit Christi consilio Ecclesiam suam per orbem diffundendi, eamque arctissimis sacræ communionis vinculis cohærentem

(1) In Conc. Chalc. Leo M. Archiepiscopus et patriarcha vocatur: deinceps usus invaluit ut alii iis dignarentur vocabulis.

(2) Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.

(3) Ibid. c. 3.

(4) Vide Devoti, l. II. § xxxviii.

servandi: quapropter constituto rectore qui ejus vices gereret, congruum erat ut hic alios suæ potestatis faceret participes, vel ut alii Apostoli, ipso haud renuente, res ita componerent, quo pacto omnium Ecclesiarum solicitudo minus gravis evaderet. Summam sapientiam in aptissimo hoc ordine statuendo miretur quisque necesse est.

C. XVI. DE REGIMINE ECCLESIÆ.

Regimen Ecclesiæ penes Episcopos esse, quibus præest Summus Pontifex, probavimus: Calvinus verò ut laicorum aucuparetur gratiam, seniores populi suas habere partes in Ecclesia regenda docuit: "Gubernatores fuisse existimo seniores ex plebe delectos, qui censuræ morum et exercendæ disciplinæ una cum episcopis præessent."[1] Westmonasterienses profitentur Christum aliquos præter verbi ministros, dono gubernationis ornasse, et munia commisisse quod implere debent, quando ad id fuerint vocati, sese socios ministro exhibendo in Ecclesia gubernanda.[2] Divinam horum institutionem Presbyteriani nostrates videntur rejicere, ad populum eorum originem referentes.[3]

Anglicani laicorum, etiam principum supremorum, nullum jus agnoscunt, ut sacramenta administrent, vel prædicent verbum, sed regem Angliæ in sua ditione supremam in omnes Ecclesiasticos et laicos habere auctoritatem, et in causis omnibus Ecclesiasticis et civilibus,[4] ipseque rex se ex Dei ordinatione supremum Ecclesiæ in suo regno Gubernatorem prædicat.[5] Episcopi quidem dicuntur regere Ecclesiam Anglicanam, sed *convocationem*, comitia scilicet Generalia, in quibus Episcopi et Presbyteri seorsim conveniunt, habere nequeunt nisi ex regia licentia; et statuta quæ condiderint nullam obtinent vim, nisi eadem regis auctoritate munita: ipsa autem comitia ex tempore reginæ Annæ habita non sunt, gravibus inter se dissidiis quum colliderent.[6] Cranmer ipsam jurisdictionem Episcopalem a principe manare professus est, ideoque eam sibi iterum concedi petiit, Eduardo VI., puero decenni Henrico VIII. suffecto[7] idque lege postea declaratum est. Episcopaliani Americani denegant civilem Magistratum ha-

(1) Inst. l. iv. c. iii. n. 8.

(2) Presbyterial Form of Church Government, Westminster Confession.

(3) "Ruling elders are properly the representatives of the people, chosen by them for the purpose of exercising government and discipline, in conjunction with pastors or ministers." Form of Government, ch. v.

(4) Art. xxxvii. inter articulos Religionis.

(5) His Majesty's Declaration, prefixed to the Articles.

(6) Histoire d'Angleterre par M. de Marles, 2 vol. c. vi. p. 163.

(7) Vide Lingard's History of England, vol. 7, p. 22 et p. 26, American edition.

bere in res pure spirituales auctoritatem,[1] sed in suis comitiis laicos, delegatorum nomine, habent Episcopis Presbyterisque assidentes.

PROPOSITIO I.

Laici quicumque, etiam Supremi principes, nullum prorsus habent in Ecclesia gubernanda jus, aut potestatem.

Probatur. Ecclesia est a Christo instituta, a quo omnia jura deriventur necesse est: ipse verò Apostolis omnem concessit potestatem, non laico cuicumque: ergo nullum hujusmodi jus, nulla auctoritas regiminis Ecclesiastici in laicis quibuscumque, etiam supremis principibus, est agnoscenda.

Confirmatur ex omnibus omnium sæculorum a Christo monumentis, ex quibus liquet nullum jus in Ecclesia gubernanda in laicis quibuscumque unquam agnitum.

Obj. 1. Calvinus: "Qui præest, id faciat in solicitudine." Rom. xii. 8. Habuit igitur ab initio unaquæque Ecclesia suum senatum, conscriptum ex viris piis, gravibus et sanctis."[2]

Resp. Nihil dicit Paulus quo laicum præesse in Ecclesia indicetur, sed præsulem suo munere solicite debere fungi. Quum autem mentio præcedat impertientis eleemosynam, et sequatur miserentis, posset forsan Apostolus intelligi de fideli quocumque qui aliis in re quacumque præsit: "Qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate." Certe non licet ex voce adeo ambigua munus novum in Ecclesia statuere, et senatum laicorum suo ingenio fingere, cujus nullum in Scriptura vel Ecclesiastica historia indicium.

Obj. 2. Præter Apostolos, Prophetas, Doctores, Paulus dicit Christum posuisse in Ecclesia "gubernationes," quæ de laicis gubernandi dono præditis intelligendæ sunt.

Resp. Apostolus inter dona cælestia "gubernationes" recenset: "gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum."[3] Nihil est quod indicet munus laicis demandatum; sed explicari poterit de dono, quo qui in Ecclesia præsunt, subditos suos feliciter moderari norunt, vel quo alii res sibi commissas curant.

Obj. 3. "Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina." 1 Tim. v. 17. Ergo Presbyterorum erant duæ classes: laici præerant, quin prædicarent: alii utroque munere fungebantur.

Resp. Presbyteri omnes sacra auctoritate ornati erant, nam sacra munera ubique in Novo Testamento iis tribuuntur: sed alii aliis præstabant gradu, quapropter de præsulibus meritò intelligit S. Chrysostomus Apostolum loqui. Hos omnes quidem verbi prædicationi et fidelium sacræ insti-

(1) Art. xxxvii.
(2) Inst. l. iv. c. iii. n. 8.
(3) 1 Cor. xii. 28.

tutioni vacare oportebat, sed eos qui cæteros labore superabant, ampliori honore, et abundantioribus ad vitam sustentandam subsidiis, esse dignos liquet: "multum enim omnino ad Ecclesiæ ædificationem confert, si præsules doctrinæ gratia polleant."[1] Ideo autem hæc Timotheo tradit, quia ipsi præsulum per Asiam fuit cura commissa: "quia Timotheo credita Ecclesia fuerat, imo gens fere tota Asiatica, idcirco illum et de senioribus admonet."[2]

Obj. 4. Πρεσβύτερος Sacrum officium non designat, sed ætate gravem, et aliquando dignitate auctum: ideoque jure explicatur de senioribus populi. Equidem Paulus Timotheum monet ne Presbyterum[3] increpet, eumque tamquam Patrem obsecrandum vult, utique "propter honorificentiam ætatis," uti adnotat Ambrosius, statim enim de junioribus facit mentionem. Hinc laudatus doctor ait: "Apud omnes utique gentes honorabilis est senectus: Unde et Synagoga et postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia."[4]

Resp. Vox ipsa non necessariò sacrum ministrum designat, sed in Novo Testamento usurpatur ad eos designandos quos Apostoli ad regimen Ecclesiæ evexerunt, vel saltem quos præsules ab Apostolis constituti ad sacra munera obeunda manum impositione admiserunt. Idcirco prædicabant Evangelium, ungebant morientes, assidebant Apostolis in Concilio Hierosolymitano, et eorum, una cum Apostolis, nomine, decretum latum est: laici autem seniores hæc præstare non potuissent. Quod ad objectum locum pertinet vox de provecto ætate illic explicari potest, quum videatur juniori opponi. Cæterum nil vetat eam de seniore sacra ornato dignitate intelligere, plerumque enim eligebantur, præsertim in illis rerum primordiis, qui ætate graves sacra obirent munera. Seniorum consilium in Ecclesia olim adhibitum dicit Ambrosius, sacerdotum ætate provectorum, qui Episcopi adstabant consiliarii, cætum utique intelligens; uti Romæ et Carthagine factum ætate Cypriani, ex documentis inter ejus opera luculentissimis constat. Sed laicorum consilium adhibitum non potest censeri affirmasse, quum voces non necessario eam postulent explicationem, cui omnia prioris ævi documenta refragantur.

Obj. 5. Tertullianus tribunal censuræ sic exhibet: "judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla res Dei constat."[5]

(1) S. Chrys. in Ep. 1 ad Tim. c. v. hom. xv.
(2) Ibidem.
(3) 1 Tim. i.
(4) Comm. in locum.
(5) Apol. c. 39.

Resp. Ethnicos alloquens Tertullianus, satis habuit de sancta morum disciplina, quam servabant Christiani, certiores eos facere; nec opus erat ut sacram Seniorum dignitatem affirmaret. Fuerunt tamen præsules Ecclesiastici quibus ex verbis Christi ad Apostolos eam licet ferre "censuram divinam," uti Tertullianus eam appellat, quæ in cælis rata habeatur. Seniores designati sunt Episcopi ad sæculum usque quartum. In Concilio Agrippinensi "Valerianus Episcopus dixit: Etsi non omnes conseniores hic, * * convenissemus, suffecerat a quinque Episcopis, &c."[1]

Obj. 6. Æquum est ut laici ministris Verbi assideant in regimine, quum de juribus suis agatur: nec opus est divino mandato ut hæc curent.

Resp. Summa Sapientia Verbi Divini constituta est Ecclesia, totaque regendi potestas Petro commissa, et Apostolis, quorum Episcopi tenent locum. Non licet nostro arbitrio aliquid statuere quo jura hæc sacra lædantur. Quod autem ad laicos pertinet, eorum est obedire præpositis, et servare præcepta. "Obedite," inquit Paulus, "præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis."[2] Nulla vera jura laicorum invadunt præsules, de rebus quæ ad animæ salutem pertinent judicantes.

Obj. 7. Imperatores olim jubebant Episcopos in Concilium convenire, et eorum decreta, ipsorum rogatu,[3] sua firmabant auctoritate. Interveniebant Conciliis, sicut et posteriori ætate reges, principesque. Consueverunt etiam reges Episcopos nominando, Parochorum jura contra Episcopi arbitrium tuendo, et abusus plurimos Ecclesiasticæ potestatis impediendo, jura sua in Ecclesiæ regimine exercere.

Resp. Utique sæpius jusserunt Catholici Imperatores Episcopos in Concilium convenire, ut de dissidiis quæ cum publicæ tranquillitatis dispendio agitabantur, tollendis, collatis inter se consiliis, et supremo lato judicio, deliberarent: qua in re nullam usurpatæ auctoritatis labem reperire valemus, quoties conventus illi libere habebantur, et Ecclesiasticæ servabantur regulæ. Ideo Ambrosius in Concilio Aquilejensi habito Imperatoris jussu, in causa episcoporum duorum Mæsiæ, animadvertit eum, prout æquum erat, judicium Episcopis permisisse, nihil sibi in causa Ecclesiastica usurpando: "Noluit injuriam facere sacerdotibus: ipsos interpretes constituit episcopos."[4] Ideo autem nonnumquam postulabant Episcopi ut Imperatores firmarent sua judicia, ut vim obtinerent in foro civili; quum enim de jure personarum et rerum aliquando ageretur, *auxilio brachii sæcularis*, uti aiunt, opus erat ut decreta demandarentur executioni: nam damnatis Arianismi duobus illis episcopis, jam non poterant retinere Ec-

(1) Labb. ii. p. 616.
(2) Heb. xiii. 17.
(3) Conc. Const. i. ep. ad Theodosium quæ incipit "Initio."
(4) Conc. Aquil. col. 826 tom. i. col. Hard.

clesias sibi concreditas ut Catholicam traderent et propugnarent fidem. Qui Conciliis interveniebant Imperatores nullam in Ecclesiasticis negotiis exercebant auctoritatem, sed eorum pertractationem Episcopis liberam reliquerunt. Quod autem reges nonnulli exercent privilegium in nominandis Episcopis, concessionibus Summorum Pontificum nititur, non jure aliquo inhærente. Cætera quae civilis potestas nonnumquam aggreditur, extra *Concordatorum* terminos, ad abusus referenda sunt, quos Pseudo-Politici invexerunt cum magno Religionis detrimento, nulla cum reipublicæ civilis utilitate.[1]

Obj. 8. Ipsa *Concordata* Reges inter et Pontifices probant jus quoddam in Ecclesia administranda civili potestati inesse, saltem quatenus prospiciendum est bono publico, et videndum ne quid detrimenti capiat respublica.

Resp. Concordata plerumque temporum necessitate extorta sunt, nec tamen nituntur jure aliquo quod sibi vindicet civilis potestas in Ecclesiæ gubernatione, sed relatione quæ intercedit inter Ecclesiam et Rempublicam civilem. Quum ex principum munificentia temporalibus bonis aucta sit olim Ecclesia, et quum jura sacra, a civili auctoritate agnita, in foro civili obtinuerint, æquum visum est ut quædam tribuerentur principibus Catholicis privilegia, certis tamen circumscripta limitibus, et pluribus adhibitis cautelis, ne in Ecclesiæ perniciem evaderent. Ex iis nullum jus veluti inhærens Reipublicæ potest confici,[2] quamvis enim publicæ utilitati prospicere debeat, subsidia tamen quibus uti oportet, pertinent ad ordinem societatis, nihilque habent commune cum rebus divinis. Sic cavendum ne respublica capiat detrimentum, legibus latis ne quid contra pacem et salutem publicam fiat; sed omne abest periculum turbarum ab Ecclesiasticæ potestatis exercitio in iis quæ ad animæ pertinent salutem. Cæterum de utriusque potestatis relatione erit postea disserendum. Ad Ecclesiæ auctoritatem in rebus fidei explicandam jam accedimus.

C. XVII. DE MODO DOCENDI.

Quam adhibuerit methodus Christus in sua instituenda republica ex dictis patet, Rectorem scilicet constituit supremum, cui regiminis socios alios

(1) Vide opus totum Comitis De Maistre, *De l'Eglise Gallicane.*

(2) " In the case of an authority, such as that which bishops lay claim to, of divine institution, there may be *voluntary* partnership between individual bishops, and individual kings, or individual priests, whose dignity in the christian law is above that of kings; but there can be no transfer, nor alienation of such authority; there can be no prescription of *use*, there can be no bar *from disuse*, there can be no title either in the allowance, or in the canons even of general councils against the everlasting foundations of the gospel." Clinch, p. 154.

adjunxit. Jam verò videndum utrum leges statuerit quibus regeretur, easque scripto reliquerit consignatas: vel plenam eis fecerit facultatem omnia suo arbitrio moderandi. Constat monita legesque eis viva voce datas, quas omnino sequi deberent, nec enim hominum dominatum, sed sui ipsius imperium Christus statuit: Eum autem nil scriptum reliquisse æque exploratum est. Qua igitur ratione consuluit veritatum quas tradidit conservationi et propagationi? Jussitne saltem ut ipsi scriberent, easque sic ad posteros remotissimos integras transmitterent? Hujus jussionis nec vola, nec vestigium. Viva voce Apostolos edocuit, eisque in mandatis dedit, ut quæ didicerant prædicarent, se semper adfuturum pollicens.

PROPOSITIO I.

Prædicatione Apostolici ministerii, publica scilicet et concordi præsulum Ecclesiæ doctrina, Christus omnes per omnia sæcula de veritatibus revelatis edoceri voluit.

Probatur. Eo ipso momento quo ad cælos erat ascensurus, Apostolos allocutus est: "Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi."[1] Marci decimo sexto capite mandatum sic refertur: "Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ."[2]

Hæc plane est ratio qua veritates a se traditas propagari voluit Christus: nil scripto tradit; nil scribendum jubet, sed totam suam doctrinam Apostolis committit prædicandam. Nil innuit, quo intelligi possit diversa ratione per omnia sæcula doctrinam conservandam; imo pollicendo se semper adfuturum iis, quod necessariò de eorum in ministerio successoribus intelligendum est, nec enim ipsi per omnia sæcula docturi et baptizaturi forent gentes, ostendit eadem prorsus ratione, prædicatione scilicet Apostolici ministerii, doctrinam per omnia sæcula propagandam, et conservandam. Consonat Apostolus de salute per invocationem Jesu ex fide assequenda: "Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? * * * Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi."[3] Tota ratio veritates quas revelavit Christus addiscendi, ex audienda prædicatione eorum qui missi sunt ad Evangelium annuntiandum, pendet. Nec aliquid dicitur quo per sæcula sequentia rationem illam mutandam insinuetur.

Obj. 1. Christus ipse remisit Judæos ad Scripturas, ut quæ eum respiciunt diligenti indagine scrutantes reperirent: Ergo ex eaorum lectione

(1) Matt. xxviii. 19.
(2) Marci xvi. 15.
(2) Rom. x. 14.

fidei veritates sunt addiscendæ, ipsius enim est jussum: "Scrutamini Scripturas."[1]

Resp. Judæos quidem, qui miris Christi operibus et cælesti sapientia nihil moti, se Moysis auctoritate tuebantur, provocare ipsi licuit, ut scripturarum, in quibus vitam se habere sibi blandiebantur, diligentiori examine, quæ eum spectabant exquirerent. Moyses scilicet enuntiarat Prophetam sui similem suscitandum, cui omnes obaudire tenerentur; Michæas nativitatis locum; Isaias mira quæ faceret opera, et ærumnas quas deinceps esset passurus; David varia ejus fata, cæterique vates plurima de eo cecinerant. Jure meritoque urgere poterat Christus sibi adversantes, ut ipsas, quas tantopere venerabantur, Scripturas scrutarentur: in more enim est ea adhibere argumenta in quibus ipsi adversarii maximam agnoscunt vim. Cæterum non eam proposuit methodum discipulis suis, sed ipse eos instituebat, fidemque exigebat dictis: quam methodum servavit in septuaginta discipulis mittendis ad suum adventum Judæis annuntiandum: "Qui vos audit me audit."[2] Animadvertit insuper S. Cyrillus Alexandrinus ex contextu colligi verba illa ita intelligenda, ut Christus exprobret Judæis quod Scripturas licet scrutarentur, eum quem Vates prædixerant non agnoscerent: "Communis et trita hujus textus expositio, cum imperio quodam excitari a Salvatore ad investigandas scripturas Pharisæos affirmat, ut testimonia inde possint de Christo colligere. Verum quoniam illud copulavit, 'et non vultis venire ad me:' et causam investigationis adjecit, 'quia vos in ipsis putatis vitam æternam habere:' nullo pacto hæc oratio cum imperio, sed cum indicio proferenda est. Nam si cum imperio legitur, cum similiter propter copulam totus sermo ita proferendus esset, 'scrutamini,' dixisset, et venite ad me.' Nunc autem non ita, sed 'non vultis,' inquit, 'venire, ad me,' hujusmodi ergo sensus est. Nam quoniam videbat a Mosi libris multa eos diligenter quidem, sed imperite adversus eum colligere, idcirco inutilem eis ostendit hanc diligentiam esse. Quae namque, inquit, utilitas est, si Scripturas quidem scrutamini, putantes ad vitam æternam per ipsas pervenire; quum autem eas testimonium mihi perhibentes inveniatis, in quibus ego vita sum appellatus, non vultis ad me venire, ut vitam habeatis."[3]

Obj. 2. Christus Apostolis quidem in mandatis dedit, ut quas didicerant veritates prædicarent: voluit autem ut eas scripto consignatas relinquerent, ne labili hominum memoria vel fraude et malitia vitiarentur, humanis admixtis erroribus. Id merito ex summa ejus sapientia infertur, quod ex scriptis Apostolicis manifestissime confirmatur: nec enim Apostoli a ratione quam elegit propagandi et transmittendi suam doctrinam discessisse censendi sunt.

(1) Joan v. 39.
(2) Luc. x. 16.
(3) S. Cyril. in Joan. l. iii, c. iv.

Resp. Non nostro ingenio divina consilia sunt metienda. De Christi voluntate ut scripto consignarentur veritates Evangelicæ, ne minimum quidem indicium in Scripturis præbetur. E contra Novum Testamentum in eo a Veteri distinguitur, quod cordi et menti, potius quam chartæ, a divino Spiritu inscribatur: "Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas."[1] Ex eo quod plura fuerint scripto consignata, id summo Dei consilio contigisse merito infertur; sed non ideo ratio propagandi et transmittendi doctrinam Christi est immutata; nam nullum ex illis scriptis eum in finem noscitur exaratum, ut prædicationis et institutionis Apostolici ministerii obtineret locum, vel auferret necessitatem. Si Christi voluntas hac ex parte Apostolis innotuisset, profecto vel unus, vel omnes simul librum composuissent, quo profiterentur totam doctrinam tradere, et eam exhibuissent tamquam normam, quæ per omnia sæcula foret habenda. Nihil hujusmodi innuitur, sed ex specialibus occasionibus opera quædam conscripserunt, ad elucidandas quæstiones exortas, vel ad sopiendas contentiones, vel ad ædificationem fidelium; qua ratione a Christi voluntate non recesserunt, eis enim docendi tributa facultate, voce et scripto docere poterant, quamvis nec ipsi potuissent munus et auctoritatem docendi, quam perpetuam esse Christus plane voluit, abrogare, vel ejus imminuere vim. Longe ab eis fuit hujusmodi consilium, qui ne quidem ullam adhibuisse curam noscuntur, ut quæ scripserant in unum colligerentur, et divulgarentur; sed scriptorum, sicut et depositi totius doctrinæ, custodiam Episcopis, quos ordinarunt, reliquerunt, eos vehementer adhortati ut sibi et gregi, quem ex Spiritus sancti auctoritate regebant, invigilarent, verbumque prædicarent, opportune, importune. Divina hæc scripta magno sunt subsidio ad veritatem conservandam, et Apostolici ministerii auctoritati aperte suffragantur: tam longe abest ut illud labefactent. Quod autem de labili memoria, fraude et malitia hominum dicitur, momentum aliquod haberet, si de humanis consiliis exequendis ageretur: cæterum Christi fuit, pro summa sua sapientia, rationem transmittendæ doctrinæ eligere, et pro infinita sua potentia ea avertere quibus vitiari posset.

Obj. 3. Apostolus Timotheum, episcopum licet, ob Scripturarum studium laudat, easque eum ad salutem instruere valere, agnoscit.[2]

Resp. Laudandum maxime est Scripturarum studium, nec de eo quæstio est: sed quanam ratione Christus doctrinæ suæ propagationi et transmissioni per omnia sæcula consultum voluerit. Profectò Apostolus eo loci Timotheum ad perseverandum in doctrina quam ex ipsius institutione didicerat, hortatur, suamque fidem et auctoritatem dat vadem: "Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi: sciens a quo didiceris."[3] En ipsam quam statuit Christus methodum. Quum autem Timotheus ab

(1) Heb. x. 16.
(2) 2 Tim. iii. 15.
(3) Ib. v. 14.

infantia scripturis veteribus instructus fuisset, monet eum Apostolus illam scientiam plurimum prodesse "per fidem quæ est in Christo Jesu."[1] Non igitur scripturas proponit, veluti rationem certissimam Christi addiscendi doctrinam, sed ostendit quomodo legendæ sint ut ad salutem prosint. Sæpius eum memorem facit doctrinæ sibi voce traditæ, eamque normam credendi et loquendi esse omnino vult: "Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu: Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis."[2] Eandem methodum ab eo vult adhibendam. "Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere."[3]

Obj. 4. Hac ratione Christi doctrina pendebit ex præconum arbitrio, quod ipso Dei verbo præstantius habebitur.

Resp. Minime pendet Christi doctrina ex hominum arbitrio, ipse enim adest semper eorum ministerio docens. Nec verbo Dei eorum anteponuntur dictamina, nam ipsi ei perhibent testimonium, illudque indesinenter annuntiant. Summa igitur est concordia, et maxima certitudo Christi promissione innixa, cui omnis intellectus subjiciendus est.

Obj. 5. Ideo Christus nihil scriptum reliquit, quia gratia sua per omnia sæcula filios suos docturus erat: nec enim Scripturæ aliud quam interioris revelationis documenta habendæ sunt. Igitur non hominum prædicatione, sed intus suo lumine docet nos Deus, uti ipsi tradiderunt Patres, Augustinus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Hieronymus, Athanasius, Gregorius Magnus, Cyrillus Alexandrinus, et Bernardus. Ita *Barclay*, eorum referens testimonia.[4]

Resp. Gratia quidem opus est ut Apostolici ministerii prædicationi assentiamur, nam donum Dei est ut credamus, quamvis fides sit ex auditu. Summa sapientia disposuit Christus, ut prædicatione innotesceret veritas, et doctrina publica ministerii Apostolici esset credendi norma, ne mentis somnia pro Dei revelatione haberemus. Sed alta rerum quæ prædicantur natura, exigit ut divina virtute roboretur mens, ad assensum, qui ad salutem valeat, præstandum. Mirum est Barclaium patres sibi patronos vindicare, qui Ecclesiæ auctoritatem adeo celebrant. Ut unum notem Augustinum, ipso loco qui objicitur, ostendit magisterio Ecclesiæ tradi veritates, quas unctio interior gratiæ commendat credendas; interpretatur scilicet Apostoli Joannis verba: "Unctio ipsius docet vos de omnibus;" et quærit: "Ut quid talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas?" et difficultatem solvit, dicendo inter alia: "Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt et admonitiones. Cathedram in cælo habet, qui corda docet."[5] In hujusmodi testibus adducendis, simplicitas et ingenuitas Barclaii non splendent.

(1) Ib. v. 15.
(2) c. i. v. 13.
(4) c. ii. 2.
(4) Prop. ii. § ii.
(5) In Ep. Joan. c. 2. tract. iii. n. 13.

C. XVIII. DE TRIBUNALI DOCTRINÆ.

Ex his quæ diximus sponte veluti sua præsulum Ecclesiæ in doctrina tradenda inerrantia fluit, quum enim Christus eorum ministerio veritates quas tradidit voluerit transmittendas et propagandas, adest certe ipse, juxta suam sanctam pollicitationem, ut suo muneri non desint. Cæterum non singulis Episcopis, multo minus Presbyteris, qui in eorum adjutorium adsciscuntur, tantum privilegium vindicatur, sed collegio ipsi Episcoporum, cum Christi verba non ad singulos seorsim, sed ad omnes simul sint directa. *Infallibilitas* quam Ecclesiæ vindicavimus penes collegium hoc manet, præsulum quippe est prædicare Evangelicam veritatem, quam fideles animo excipere debent; quapropter si contingere posset præsules plerosque errorem tradere, de totius Ecclesiæ doctrina actum foret. Cæterum opus non est omnes prorsus Episcopos convenire, ut doctrina collegio Episcoporum tribuatur; in cætibus enim quæ a plerisque fiunt, ab omnibus facta habentur, præsertim si præsidis, qui potiori gaudet auctoritate, accedat assensus. Damus libenter contingere facile posse, uti reapse sæpius contigit, unum alterumve, imo plurimos Episcopos, in errorem labi; sed Episcoporum cætui, præside Romano Pontifice, inerrantiæ privilegium ex Christi verbis vindicamus.

PROPOSITIO I.

Corpus Episcoporum cum capite in fidei solemni definitione errare nequit.

Probatur. Ex celebri illo testimonio quod sæpius adduximus, quo Christus docendi munus injunxit. Quibus ipse adest in munere docendi, errare nequeunt in solemni eorum et concordi doctrina: Christus autem Apostolico ministerio, Episcoporum scilicet cætui, adest vi suæ promissionis: nequeunt igitur errare. Efficax auxilium promitti liquet ex ipsis vocibus: "ecce ego vobiscum sum;" quæ passim in Scripturis efficaciam Dei auxilii indicant.[1] Quæ præcedit mentio potestatis sibi a Patre datæ id plane ostendit: "Omnis potestas data est mihi in cælo et in terra: euntes ergo docete."[2] Ne quis dubitare posset de auctoritate injungendi munus, se a Patre plenissimam habere potestatem dicit: ne de felici incepti exitu dubitaretur, se semper pollicetur adfuturum. Per "omnes gentes," "omnibus diebus, usque ad consummationem mundi," munus illud exercendum est; quo constat non ad solos Apostolos, sed ad Apostolicum ministerium, ubique, et semper, auxilium promissum spectare. Omnia quæ mandavit tradenda sunt, ideoque Christus adest ne aliquid oblivioni tradatur, vel additamento vitietur. Vadimonium certum est doctrinam Apostolici ministerii, Episcoporum scilicet cætus, semper integram futuram.

(1) Gen. xxi. 22, xxvi. 3, 24, xxxi. 3, 5, xxxix. 33.
(2) Mat. xxviii. 18.

Promiserat jam Christus se Apostolis Spiritus Sancti lumen impetraturum: "Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis." * * * "Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis."[1] Liquet Apostolos, cælesti hoc lumine illustratos, omnem veritatem quae ad salutem pertinet didicisse, omnia quæ Christus dixerat, ad memoriam revocata intellexisse. Ipsi igitur vi promissionis hujus ab errandi periculo servati sunt. Apud eos Paracletus, Spiritus veritatis, "in æternum" mansurus dicitur: εἰς τον αἰῶνα; quæ voces perpetuam durationem per se significant, nec restringi debent, nisi ex adjunctis plane constet eas ad tempus brevius referri. Jam verò nihil est in orationis serie quo earum significatio ad vitæ spatium Apostolorum restringatur: et locus parallelus, quo munus prædicandi injungitur amplissimam earum interpretationem postulat, ideo enim Christus Spiritum veritatis, Magistrum Apostolis in ævum promisit, quia doctrinæ munus omnibus diebus, usque ad expletionem ævi, erat exercendum, Πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας του αἰωνος Pertinet igitur promissio ad Apostolorum successores in ævum, quibus etiam spiritus veritatis datur magister, ut eos omnem veritatem doceat, eaque nulla sinat oblivione deleri quæ Christus tradidit. Obvius adeo est hic verborum sensus, ut ipse Rosenmüeller, qui voces ad vitam Apostolorum restringere voluit, promissionem omnes spectare Christianos postea dixerit: "Nec tamen ex sententia Jesu Apostolorumque hoc patrocinium Spiritus Sancti ad solos Apostolos spectat, sed ad universam Ecclesiam, et singulos christianos."[2]

Christus apud Joannem exhibetur mittens Apostolos, sicut ipse a Patre missus est: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos."[3] Missionem autem illam includere potestatem alios mittendi patet, neminemque posse prædicare absque auctoritate simili ratione communicata: "quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?"[4] Ergo Apostolicum ministerium divinam habet originem, divinum proinde efficaxque auxilium, quo doctrina integra servetur, sitque tutissima credendi norma. Ideo Christus a Marco refertur dixisse Apostolis: "Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur."[5] Hinc Joannes Apostolicam prædicationem normam qua error a veritate discerneretur appellavit, quia scilicet divina missione nitebatur: "Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum

(1) Joan. xiv. 16.
(2) Rosenmüeller in loc.
(3) Joan. xx. 22.
(4) Rom. x. 15.
(5) Marci xvi. 15.

veritatis, et Spiritum erroris."[1] Nihil est quo hæc omnia ad Apostolos restringantur; sed eadem plane est sanctio divina prædicationi Apostolici ministerii data, ut omnibus certò innotescat divinitus revelata fides. De omnibus igitur intelligere licet quæ de septuaginta duobus discipulis protulit Christus, utpote a se missis: "Qui vos audit, me audit."[2]

Hæc omnia ostendunt Apostolicum ministerium, quod Episcopis Apostolorum successoribus sub Apostolico Præsule constat, divina promissione muniri, Christum eis adesse docentibus, Spiritum Sanctum docere eos omnem veritatem, illustrando eorum mentes, ne quæ a Christo tradita, in Ecclesia perpetuo sunt agnita, haud rite intelligant; eosque, instar Christi, in fidei doctrina audiendos. Docent autem maxime dum solemnes edunt fidei definitiones: nullus ergo error fidei definitionibus a cætu Episcoporum cum Pontifice editis subesse potest.

Probatur II. *Ex totius antiquitatis sensu.* Episcoporum solemnes definitiones et judicia semper adducunt Patres, uti veritatis revelatæ certissima criteria, etiam contra paucos Episcopos dissentientes. Concilium Ephesinum œcumenicum in sua ad Theodosium et Valentinianum epistola ait: "Perabsurdum esse ducentorum et decem sanctorum Episcoporum numero, quibus et universa occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo, et per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero se opponere." Vide etiam quæ ex Irenæo, Tertulliano, aliisque de Apostolica successione disserentes, adduximus. Cyprianus de Christo loquitur: "dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt: qui audit vos, me audit."[3] Basilius ait "Justum est res judicari non ex uno, vel altero, qui non recte ambulant ad veritatem, sed ex multitudine Episcoporum per orbem terrarum nobis conjunctorum per gratiam Christi."[4]

Equidem si Episcopi plerique per orbem in solemni fidei definitione errare possint, jam actum est de Christi Religione, ipsi enim qui soli habent docendi auctoritatem, in errorem inducent auditores. Praeterea audienda est etiam in causa minori Ecclesia, utique per Præsules, qui ligandi solvendique habent potestatem, loquens, adeo ut pertinaciter ejus judicio repugnans instar Ethnici et Publicani sit habendus:[5] multo magis in fidei causa, ad quam præcipue instituta est. Judicium ejus de injuria quam aliquis sibi queritur illatam, est quidem errori obnoxium, pendet enim ex testimonio hominum: attamen est sacrosanctum habendum, quia præsumitur æquum, et rei veritate innixum. Sed quum agatur de doctrina, non nititur humanis tantum documentis, sed divina Christi promissione se adfuturum, remque respicit certo suæ custodiæ concreditam. Re quidem

(1) 1 Joan iv. 6.
(2) Luc. x. 16.
(3) S. Cyprian. ep. lxix. ad Florentium Pupianum.
(4) Ep. 75.
(5) Mat. xviii. 17.

vera nihil valeret judicium de doctrina, quod erroris periculo haud vacaret: nec enim quis teneretur animi præstare obsequium rei, de cujus revelatione non constaret. Ergo vel nulla est a Christo Ecclesiæ data judicandi de doctrina facultas, vel judicium omnino infallibile habendum est. Datam esse potestatem in fidei controversiis agnoscunt Anglicani; ipsique Presbyteriani, verbis licet veram auctoritatem negantes, judicandi tamen jus usurpant in comitiis Generalibus. Ea potestas etiam ex Christi mandato ut docerent fluit, et Apostolorum in concilio Hierosolymitano probatur exemplo. Omni igitur errandi periculo vacat Ecclesiæ judicium. In causa minori valet unius Episcopi judicium, quamdiu non est a superiore auctoritate rescissum, quia rei natura exigit tantum, ut, examine præmisso, æqua proferatur sententia, quam Præsul unus ferre potest: sed in causa fidei, quæ communis est, Episcopi in judicando conveniunt, vel saltem præsidi sui collegii judicanti assentiuntur, quia agitur de deposito omnibus commisso. Quum igitur unius Præsulis sententiae in causa speciali repugnans, instar Ethnici et publicani habeatur: qui Episcoporum concordi judicio de doctrina repugnat, velut Ethnicus habendus certo est. Tanta pæna non foret dignus; si judicium esset errori obnoxium: dicendum ergo illud omni erroris periculo vacare.

Obj. 1. Vi illarum Christi promissionum Apostoli singuli ab errandi periculo facti sunt immunes: ergo vel singuli Episcopi dicendi sunt infallibiles, vel promissiones Episcopos haud respicere fatendum est.

Resp. Theologi Catholici existimant Apostolos singulos post Spiritus Sancti adventum fuisse, docendi in munere, infallibiles, non tamen vi Christi promissionum quas recitavimus, eæ enim omnes, non singulos seorsim, respiciunt, sed ex ipsa rei necessitate, quia scilicet, quum ad fundandam Ecclesiam electi fuissent, et procul a se invicem per orbem versarentur, speciali indigebant Spiritus Sancti afflatu, ut integram traderent doctrinam. Hæc sententia, quæ Protestanticis quibusdam Scriptoribus etiam arridet, non dogmatis habet auctoritatem; sed fide divina credendum est collegio Apostolorum adfuisse cæleste lumen, ne erraret, sicut et singulis Apostolis in iis quæ scripto nobis reliquerunt. Collegii autem Apostolici inerrantia ex Scripturis quas allegavimus probatur, quæ Episcopale collegium, quod Apostolico successit, necessario complectuntur.

Obj. 2. Vi mandati Apostolis dati, singuli Episcopi, imo et Sacerdotes docent, baptizant, ligant, sel solvunt: ergo promissio etiam singulos spectat; nec aliud promittitur quam gratiæ auxilium, quo, si velint, sancte pieque suis fungi muneribus valeant.

Resp. Vi quidem illius mandati omnia sacra munera peraguntur, quæ Episcopi obeunt, tamquam Apostolorum successores, sacerdotes potestate ab Episcopis communicata. Mandatum et promissio omnes simul spectant, singulosque quatenus cum cæteris manent conjuncti. Nulla singulis seorsim ab aliis data est potestas, nec licet cuiquam ab aliorum consortio separato eam exercere. Petro singularis et eminens data est auctoritas,

quam tamen cum cæteris, sicut caput cum membris, ipse exercebat: cæteris, veluti collegio, tributa est, quam singuli cum cæteris sub capite, nemo a cæteris, præsertim a capite seorsim, potest vindicare. Singuli igitur potestatis et promissionis fiunt participes, in unitate tamen; adeo ut inerrantiæ gaudeant privilegio, quatenus collegium constituunt, docendi vero muneri singuli fungantur. Recole quæ præclare de unitate disseruit Cyprianus.[1] Promissio autem ad gratiæ auxilium qua rite peragi valeant sacra munera, non potest arctari, nam potestas et auctoritas certa plane designantur.

Obj. 2. Isaias ait: "Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, * * ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt.[2]

Resp. De Israeliticis pastoribus loquitur vates, quorum vitia potius quam errores plangit: quum addat: "unusquisque ad avaritiam suam." More igitur sacrorum scriptorum qui in vitia vehementer invehuntur, ea ubique obtinuisse queritur.

Obj. 3. Quum singuli Episcopi errori sint obnoxii, universi etiam; nam de universitate rite affirmatur, quod de singulis ejus membris dicitur.

Resp. Universitati sæpius competit, quod singulorum non est: nam leges ferre valet cætus publicus a populo constitutus, quin aliquis seorsim id possit. Sic ex Christi voluntate ac promissione, collegium doctorum, seu pastorum Ecclesiæ, gaudet privilegio, quod singulis non competit.

Obj. 4. Ex numero veritas Evangelica non pendet: nec certo determinari valet quando Episcopi plerique in eandem fidei definitionem consentiant.

Resp. Haud ex numero quidem veritas pendet, sed ejus cognitio certa derivatur ex testimonio eorum quibus Christus prædicandi Evangelium munus demandavit, se illis docentibus præsentem adfuturum promittens: nam "fides ex auditu."[3] Igitur ex communi Episcoporum per orbem doctrina, solemni præsertim definitione manifestata, novimus quid Christus Apostolis annuntiandum jusserit. Facile autem innotescit quid Episcoporum collegium doceat, nec opus est numerum calculo minutiori definire, quum longe plures, qui dici possunt morali quodam sensu universitas, semper veritatem sint tradituri. Hinc S. Augustinus de rebaptizantibus agens, ait: "Proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit."[4]

In Conciliis Œcumenicis, in quibus scilicet conveniunt ex toto Orbe Episcopi, judicia collegii Episcoporum imprimis clarent, ideoque definitiones fidei quæ ab eis prodeunt sunt specialiter vindicandæ. Ne

(1) Supra p. 135.
(2) Isaiæ lvi. 10.
(3) Rom. x. 17.
(4) l. iii. contra Cresconium, c. 3.

autem rebus quæ aliquam patiuntur apud Catholicos quæstionem implicemur, eas definitiones vindicandas suscepimus, quæ Pontificis et episcoporum plerumque, qui adsunt, consensione et auctoritate firmantur; de aliis quæ ad concilia spectant postea acturi.

PROPOSITIO II.

Definitiones fidei in Conciliis Œcumenicis latæ, Episcopis plerisque qui adsunt cum Pontifice Summo consentientibus, infallibiles omnino sunt.

Probatur. Episcoporum cætui docenti Christum adfuturum semper, ex promissionibus Apostolis factis, de ejus perpetua præsentia, et de Spiritus Sancti lumine, constat: Episcopi autem maxime docent, quando in unum convenientes ex omni orbis parte, definitiones fidei edunt, probante summo Præsule: proinde definitiones hujusmodi omni erroris periculo vacent necesse est.

Præterea postquam dixerat Christus Ecclesiæ delinquentem denuntiandum, eumque judicio illius subesse recusantem, veluti ethnicum et publicanum habendum: ut demonstraret quam vim haberet Ecclesiæ per præsules judicium, Apostolos alloquens, quæ in terris ligarent vel solverent, in cælis liganda et solvenda, testatus est. Adjecit concordem duorum ex Apostolos petitionem certo a Patre exaudiendam: "Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum."[1] Hæc ex orationis serie videntur ad congregatos ex Christi auctoritate referri, quum de auctoritatis exercitio in judicio proferendo mox locutus sit, quod ipsæ voces "in nomine meo,"[2] in Scripturis, potestatem et auctoritatem significantes, confirmant. De petitione effusa ab Apostolis, vel aliis Ecclesiasticum judicium exercentibus, licet explicare quæ de oratione exaudienda dicta sunt, nam, uti animadvertit Rosenmueller, "manifesta est connexio cum superioribus: quod hic solveritis, in cælo solutum erit.[3] Adest igitur Christus duobus, vel tribus, sua auctoritate congregatis, exaudit eorum preces ut rite valeant suo fungi munere; et firmat in cælis quæ decreverint. Cæterum quum doctrinæ depositum non duobus vel tribus sit commissum, sed cætui, præsertim vero ejus capiti, suæ auctoritatis limites excederent duo vel tres Præsules, qui vellent definitionem solemnem fidei edere: ideoque non possent sibi certo polliceri illud auxilium quo ab errandi periculo servarentur: quamvis cæteroquin valerent, ex ipsius promissionis vi, quæ intra suæ auctoritatis limites aggrederentur. Concilium autem Œcumenicum vere in Christi nomine congregatur, et divinum implorat lumen ad ea quæ Episcopis custodienda et definienda sunt commissa: ideoque Christus iis adest, Pater eorum exaudit preces, ligatur in cælo quod ligant,

(1) Mat. xviii. 20.

(2) Matt. xxviii. 20. Utroque loco occurrit eadem loquendi ratio εἰς τὸ ὄνομα. εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα.

(3) In locum.

solvitur quod solvunt; et qui Ecclesiam ita loquentem non audiverit, instar Ethnici et publicani est habendus.

Controversia de necessitate injungendi gentibus, ad fidem conversis, ritus Mosaicos, quæ Antiochiæ orta est, ad Apostolos, et Presbyteros, qui Hierosolymis versabantur, relata est: conveneruntque de ea cognituri. Disceptatione partium audita, Petrus acriter reprehendit eos qui onus haud ferendum gentibus imponere volebant, et per gratiam Jesu Christi se cæterosque ex Judaismo conversos salutem sperare dixit, qua etiam ratione conversos ex gentibus salutem assecuturos fide tenebant. Siluerunt statim omnes, omni deposita dubitatione, et Paulum et Barnabam, de miris Dei in salutem gentium operibus, arrectis auribus audierunt. Proposuit deinde Jacobus, Episcopus Hierosolymitanus, qui Apostolus plerisque habetur, ut scriberetur epistola qua monerentur fideles ab Ethnicismo conversi, ut abstinerent a fornicatione, et ab idolothytis, vel suffocatis. *Visum* est igitur Apostolis, et Presbyteris, cum tota Ecclesia, fidelium scilicet qui aderant cætu, ut quidam mitterentur, litteris muniti quibus judicium dissidentibus innotesceret. Omnium nomine scripta est epistola, in qua dicunt *visum* sibi, unanimi consensione, viros illos mittere ea relaturos: "VISUM EST ENIM SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria." Hæc verba decretum ex Spiritus Sancti lumine editum significant, nam vox illa ἐδοξε ter eo capite adhibita, ad placitum, vel decretum refertur, quæ ejus obvia est, et recepta significatio. Ipse Rosenmueller explicat: "Nobis Spiritu Sancto adjutis: ἐν διὰ δυοῖν, vel: Spiritui sancto per nos loquenti."[1] Ex tota hac narratione liquet controversiam summo judicio diremptam, et decretum Spiritus Sancti auctoritate munitum. Illud autem prolatum non ex Apostolica auctoritate extraordinaria, sed ordinaria illa auctoritate qua controversiæ dirimendæ semper forent, ex ratione procedendi colligitur, nam auditæ sunt partes, in cætu publico antequam quid decretum sit. Exemplar igitur Ecclesiastici judicii habendum est. Inde liquet esse in Ecclesia summam auctoritatem fidei controversias infallibili judicio dirimendi: quæ maxime se prodit in Concilio Œcumenico, Pontifice Summo, qui Petri est successor, cum episcopis ex orbe universo judicante. Nihil nunc interest singulorum in judicando partes accurate distinguere, quum satis sit illud vindicare judicium quod Pontificis et episcoporum consensione munitum prodit. Quod autem ad laicos pertinet, nihil dicitur quo eos aliquas habuisse in judicio partes insinuetur, nam Apostoli et Presbyteri tantum convenisse dicuntur, de re quæ in quæstione est posita cognituri; quamvis judicium eorum assensione sit dissidentibus commendatum, et iis probantibus electi sint qui litteras perferrent.

(1) In locum. "To us who are deciding under the influence of the Holy Spirit." Bloomfield in loc.

Probatur II. *Ex constanti omnium sæculorum fide, quam testantur Patres:* S. Athanasius: "Verbum autem illud Domini per Œcumenicam Nicææ Synodum in æternum manet."[1] S. Ambrosius: "Sequar tractatum Nicæni Concilii, a quo me, nec mors, nec gladius separare poterit."[2] S. Cælestinus P. scribens ad Patres Concilii Ephesini: "Non potest veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est: 'Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum.' Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba sanctorum?" S. Leo M. ad Leonem Augustum scribens, rogat ne patiatur retractari quæ Chalcedone statuta fuerant de incarnatione Christi: "Nulla permittatis retractatione pulsari, quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt: ut nihil regulæ, quæ ex divina inspiratione prolata est, addi possit, aut minui."[3] S. Gelasius: "Patres nostri, Catholici, videlicet, doctique Pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro veritate, pro communione Catholica secundum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, facta semel congregatione, sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare."[4] Vigilius P.: "Necesse est, quoties in nomine Domini ejus famuli ad tractanda quæ sunt ipsi placita colligantur, Sancti Spiritus non deesse præsentiam."[5] S. Gregorius: "Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor. * * * Quia dum universali sunt consensu constituta, se, et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit."[6]

Accedit quod quæcumque a Concilio veré œcumenico definita sunt, pro fidei dogmatibus semper sunt habita; et errores proscripti inter hæreses recensiti sunt. Sic Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, cæterique, erroribus suis in conciliis Generalibus damnatis, hæretici ab universa Ecclesia habiti sunt.

Obj. 1. Christus Matt. xviii. 20, loquitur de auxilio orantibus præstito, dixerat quippe versiculo præcedenti: "Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum:" "ostendens" uti animadvertit S. Cyprianus, "non multitudini sed unanimitati deprecantium plurimum tribui."[7]

(1) Ep. ad Afric.
(2) Ep. 21.
(3) Ep. cxv. alias lxxiii.
(4) Ep. ad Episc. Dardaniæ.
(5) Ep. ad Episc. Galliæ.
(6) Ep. xxv. alias xxiv. ad Joannem Ep. Cpolit.
(7) L. de Unit. Eccl.

Resp. Verba Christi de orantibus possunt intelligi, quibus Christus sua gratia adest; cæterum videntur præcipuo respicere exercitium auctoritatis, nam de audienda Ecclesia, et de ligandi et solvendi potestate antea fuerat sermo: quapropter totam suam vim tunc intelligenda sunt habere, quando in unum conveniunt Christi auctoritate Ecclesiæ totius præsules de fidei doctrina judicaturi. Adest paucis orantibus, suamque largitur gratiam pro eorum concordi supplicatione: adest congregationi præsulum, ampliusque tribuit auxilium, quod et eorum supplicibus precibus, et Ecclesiæ universalis urgentissimæ necessitati, juxta suam promissionem, debetur. Ideo autem unanimitatem exigi adnotat Cyprianus, quod extra unitatem Ecclesiæ nihil hujusmodi sperare liceat: "Quomodo autem potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, et cum universa fraternitate non convenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo, et ab ejus Evangelio separari?[1]

Obj. 2. Conventus ille Hierosolymitanus Concilii Generalis non habuit formam: nam nulla convocatio generalis legitur facta. Apostoli plerique non aderant, et solus Petrus judicis sustinuit partes, Jacobus enim episcopus Hierosolymitanus, non Apostolus erat,[2] et Paulus disceptaturus nomine gentium comparuit. Presbyteri, Sacerdotes scilicet, nec enim Episcopos in urbe Hierosolymitana mansisse verosimile est, et laici fratrum nomine designati, convenerunt una cum Apostolis in rem inquisituri: et decretum omnium nomine est latum. Vel igitur infallibilis judicandi auctoritas cætui unius urbis, uni vel alteri Episcopo cum Clero et populo, tribuenda erit: vel fatendum judicium illud totam suam vim a speciali Petri auctoritate derivasse; nemo quippe ei refragari est ausus: vel denique ideo dictum visum esse Spiritui Sancto, quod constaret ex dictis in Concilio ita Deum revelasse dando et gentibus Spiritum Sanctum,[3] quin ipsi conventui speciale aliquod Spiritus Sancti lumen vindicaretur.

Resp. De forma concilii non est quæstio, sed de judicii quod ab ipso editum est auctoritate. Non repugnamus si quis contendat cætum illum habuisse potius rationem Synodi Apostolicæ, in qua Petrus Apostolorum princeps litem diremit, Jacobo sibi assidente, Paulo et Barnaba etiam in eandem euntibus sententiam. Epistola omnium nomine est edita, ut quod, re investigata, omnibus placuisset, dissidentes Antiochiæ facilius exciperent. Judicium autem ipsum plane Spiritui Sancto tribuitur, illa enim formula non est narrandi, sed decernendi: "visum est Spiritui Sancto et nobis," et hendiadys est, quæ hunc fert sensum: visum est nobis, ex Spiritus Sancti illustratione judicantibus. Homines judicia sua et decreta consueverunt sibi adscribere: "Visum est Nobis." Decretum Apostolicum ex Spiritus Sancti lumine editum, ejusque munitum auctoritate, imprimis ei tribuitur: "Visum est

(1) L. de Unit. Eccl.

(2) Ita Grotius, Hammond, Bollandiani apud De Feller, Dictionnaire.

(3) v. 8.

Spiritui Sancto et Nobis." Quidquid sit de partibus quas singuli in eo decreto condendo habuerunt, liquet vim inviolabilem ei inesse, utpote judicio supremo in fidei causa, Spiritu Sancto afflante. Inde inferimus controversias quæ de doctrina oriuntur definiri posse supremo judicio, quod tunc saltem ferri patet, quando Episcoporum collegium adunatur, Petri successore eis, per se, vel per legatos, præsidente, et normam dictante judicii, cæteris assentientibus, vel quæ cæteris placuerunt, suo firmante assensu.

Presbyterorum nomine intelligi eo loci Episcopos putamus, quum ad eos, una cum Apostolis, relata sit quæstio, et cum iis convenisse dicantur, rem cognituri: si enim Sacerdotes simplices tantas sustinuissent partes in illo cætu Apostolico, numquam paterentur se tanto fraudari privilegio, quod tamen numquam sibi vetustis temporibus vindicasse noscuntur. Presbyteros autem etiam Irenæus vocavit eos "qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt,"[1] et "Presbyterorum successiones," passim nominat.[2] Fratres, simplices scilicet fideles, in Apostolicam ivisse sententiam ex narratione patet, eosque in epistola conjunctos recepta lectio exhibet, quamvis non desit codex, in quo particula "et" deficiente, iidem videantur fratres, qui presbyteri. Cæterum nihil moramur eos agnoscere, quum toti Ecclesiæ consilium de mittendis viris placuisse dicatur. Nullas tamen egisse partes in judicio liquet, sed Petro et Jacobo assensos. Quamvis igitur ob conjunctionem cum Apostolis, et Presbyteris, initio epistolæ, decretum eorum etiam nomine prolatum videri possit, ex tota tamen narratione assensum, potius quam judicium, iis tribuere necesse est. Nec mirum Apostolos voluisse dissidentes hac etiam ratione ad pacem reducere, ostendendo ipsos Hierosolymitanos, legis licet studiosos, Spiritus Sancti voluntate patefacta, acquievisse, et viros elegisse qui sensus eorum, judicio Apostolico conformes, testarentur. Nihil detrahitur hujus vi externo subsidio, quod infirmiores in fide ad assensum disponat, et gentis præjudiciis sit accommodatum.

Judicium autem illud non potest haberi prolatum Apostolica tantummodo auctoritate, quamvis enim Petrus præiverit, aliique omnes in ejus abierint sententiam, momentis rationum quas adduxit, et præcipua ejus potestate moti, decretum omnium nomine est editum, quapropter judicii Ecclesiastici formam præsefert. Nec videtur testimonium tantummodo Spiritus Sancti, quod Concilio retulit Petrus, vocibus illis indicari, quum plerumque placitum vel decretum ea ratione enuntietur. Non inde tamen sequitur infallibilem auctoritatem uni vel alteri Episcopo cum clero unius urbis tribui; sed judicio supremo a Concilio lato, in quo summi Pastoris cum episcopis consensio reperitur. Fatemur Concilii Œcumenici perfectam imaginem Synodo Apostolica haud exhiberi, sed Ecclesiastici judicii exemplar, quod plane ostendit rationem qua controversiæ circa fidem dirimendæ sint. Inde

(1) Supra p. 200.
(2) Supra p. 224.

agitari poterunt quæstiones quousque Episcoporum consensus ad judicii Pontificii firmitatem requiratur; sed extra controversiam esse debet, judicium a cætu Episcoporum ex universo orbe prolatum, Pontifice vel auctore, vel confirmante, quo nullum in Ecclesia solemnius est, Spiritus Sancti muniri auctoritate.

Obj. 3. Concilii Nicæni auctoritas infallibilis non est agnita, ejus scilicet definitioni plurimi restiterunt Episcopi, et varia adhibita sunt, per longam annorum seriem, tentamina, ad concordiam reducendam. Orthodoxi nonnulli Episcopi vocem a Nicænis Patribus adhibitam, tamquam fidei tesseram, ὁμούσιον, deserendam cupierunt. Plura deinceps congregata sunt Concilia, et fidei formulæ sunt editæ, voce illa omissa. Quod si certum apud omnes fuisset principium, definitionem Concilii Œcumenici esse ab omni erroris periculo immunem, et summum Ecclesiæ judicium, nullus tot tricis conatibusque fuisset locus. De Conciliis omnibus verba quae Augustinus de Nicæno protulit, possunt dici: "Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tamquam prædicaturus, proferre Concilium; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris.[1]

Resp. Agnita est quidem a Catholicis Concilii Nicæni veneranda et infallibilis authoritas, quæ inde patet quod, inter tot turbas, et conatus adeo multiplices et subdolos Arianorum, mansit illa fidei tessera ad nostra usque tempora. Nil mirum quod non statim acquieverint erroris fautores, quia speciosæ quædam rationes numquam desunt, quibus se injuria damnatos ostendant. Fraus visque Arianorum nonnullis Orthodoxis Episcopis fuit occasio dolendi vocem adhibitam, quæ tantæ discordiæ fomes habebatur: sed nemo Orthodoxus dubitabat dogma ea voce enuntiatum esse divinitus traditum. "Hoc est," inquiebat Augustinus, "illud Homousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos Catholicis Patribus veritatis auctoritate, et auctoritatis veritate firmatum est."[2] Noluit, tamen, in disceptatione cum Ariano ea auctoritate niti, ne videretur petere principium, quum Ariani Concilium legitimum fuisse negarent. Igitur seposita utriusque Concilii auctoritate, rem aggrediebatur peritus ille dogmatis Nicæni vindex, illud divinis probaturus documentis: prout consueverunt hodierni Theologi, dogmata Tridentina ipsius Concilii auctoritate frustra contra Protestanticos scriptores defensuri. Quod autem concilia alia post Nicænum coacta sint, Arianorum fuit arte effectum, qui, quovis quæsito prætextu, induxerunt Imperatorem Constantium ut Episcopos in unum cogeret; quam agendi rationem merito eis exprobravit Athanasius: "Qua igitur audacia, ut post tanti concilii auctoritatem, disceptationes aut quæstiones instituant?[3] Dicit etiam: "Quum nulla sit in Catholica Ecclesia Synodus existimanda præter unicam Nicænam, quæ omnium hæreseon

(1) l. 3. contra Maximin. c. xiv.
(2) Ibidem.
(3) S. Athan. ad Epictetum.

profligatarum, ac in primis Arianæ, trophæum habenda est.[1] "Nefas est quicquam ultra Nicænum concilium requirere."[2] Ipse celeberrimus Anglicanus Episcopus Bull agnovit Concilium Nicænum vi Christi promissionis se Apostolis semper adfuturum, ab errandi periculo, in tanto dogmate definiendo esse immune,[3] quod et de omnibus Conciliis vere Œcumenicis affirmat alius Scriptor Anglicanus Saywell.[4] Turbæ autem quæ post latam definitionem excitatæ sunt a vaferrimis erroris fautoribus, argumento non sunt principium de Conciliorum seu Ecclesiæ infallibili auctoritate non fuisse antea agnitum, homines enim semel errore imbuti principia, quæ prius sanctissima et certissima habuerunt, facile negligunt ac deserunt.

Obj. 4. S. Gregorius Nazianzenus ad Concilium invitatus animum suum sic aperuit: "Hoc animo sum ut omnem Episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit."[5]

Resp. Non ideo Sanctus ille doctor Concilii Œcumenici in fidei definitione auctoritatem negasse censendus est, quod senex jam, et in secessu degens, noluit sese rebus gerendis iterum immiscere, vel comitiis Episcoporum interesse. Arianorum arte, Imperatore favente, factum erat ut plerique conventus infelicem haberent exitum, Episcopis Arianis dolum vimque adhibentibus. In ipso Constantinopolitano Concilio, in quo error Macedonii proscriptus erat, quorumdam Episcoporum invidia Gregorius ad sese Ecclesiæ Constantinopolitanæ regimine abdicandum adductus erat. Merito igitur noluit otium sanctum deserere, iterumque se rerum pelago committere. Cæterum etsi quereretur de conciliis in quibus prævaluerat Arianorum fraus, et quæ alias ipse passus erat ægre ferret, agnovit Nicaenæ Synodi inviolabilem auctoritatem: "Nicænæ Synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes amplectimur, hunc enim tractatum scimus contra omnes hæreses invicta veritate oppositum."[6] Definitiones igitur fidei et nos veneramur, utpote Spiritu Sancto illustrante editas; quæ a nonnullis Episcopis dicuntur, vel geruntur, in sanctis illis comitiis, non eadem veneratione prosequentes.

Obj. 5. Concilii Constantinopolitani II. auctoritas per annos plurimos in Occidentis nonnullis provinciis rejecta est. Concilium Nicænum II. etiam a Francofordiensi Concilio, præsentibus legatis Pontificiis, est plane reprobatum, utpote imaginum cultum indebitum sanciens. Concilium Ariminense, Episcopis Nicænos numero longe superantibus, prorsus errasse,

(1) Ad Antioch.
(2) Ibidem.
(3) See life of Dr. John Bull, p. 236. Ed. Oxford, 1816.
(4) Saywell in præf. ad edit. Epist. Launoii, Cantabrigiæ an. 1689.
(5) S. Greg. Naz. ep. 55 ad Procopium.
(6) S. Greg. Naz. Orat. 32.

in comperto est. Ergo infallibilis Conciliorum Œcumenicorum auctoritas sæculis retroactis non est agnita.

Resp. Concilium Constantinopolitanum II., an. 553 coactum, non fuit Œcumenicum, nam Papa Vigilius, Constantinopoli licet tunc degens, noluit interesse, nec aderant qui Occidentis Ecclesias repræsentarent. Progrediente tamen tempore nomen et auctoritatem Œcumenici Concilii obtinuit, Pontificis assensu suis præstito decretis, quæ paulatim Pontificum opera apud Ecclesias Occidentis sunt excepta. Hæc œconomia, prudensque indulgentia ideo adhibita est, quia de fidei definitione haud agebatur, sed de tribus capitulis, seu scriptis, quæ in Oriente offensioni erant ob errores quibus scatebant, in Occidente verò vix pervulgabantur, et ob auctores, qui communionem Ecclesiæ in Concilio Chalcedonensi adepti erant, haud facile existimabantur errore infecta. Restitit idcirco, imprimis, eorum damnationi Vigilius, verens ne Concilii Chalcedonensis auctoritati vulnus inferri videretur: sed Orientalibus propositi sui tenacibus, justa librorum proscriptio ab ipso Pontifice est confirmata, et sui, et sequentium Pontificum industria, est etiam ab Occidentalibus agnita Ecclesiis. Ipsi Episcopi Istriæ et Venetiarum, qui sæpius tria capitula in suis conventibus probarant, tandem aliquando ad concordiam cum cæteris Episcopis adducti sunt. Quod ad secundum Concilium Nicænum attinet, ex versione decretorum haud accurata patribus Francofordiensibus exhibita, factum est, ut videretur cultum *latriæ* exhibendum imaginibus probasse,[1] quod verosimilius reddebatur ex ritibus Orientalibus, thus adolendi imaginibus, procumbendi coram iis, aliaque faciendi, quæ Occidentalibus, præsertim Gallis, non erant consueta. Cæterum de œcumenica illius Concilii Nicæni authoritate Gallis in Francofordiensi conventu adunatis non constabat, nam illud vocant novam Græcorum Synodum Constantinopoli habitam. Ex auctoritate Pontificis coactum quidem erat, qui per suos legatos aderat, suaque munitum est approbatione, nec tamen ejus decreta solemniter confirmata, et per Occidentis Ecclesias promulgata erant; quum enim Iconoclastarum turbæ in Oriente fere constitissent, necessarium haud visum est, ea tanta cum solemnitate edere. Hinc ipsi Pontificii legati in Conventu Francofordiensi non satis de rebus gestis Nicææ edocti fuerunt ut Gallis reprobantibus repugnare auderent, vel felici cum successu resisterent. Equidem quum Galli a ritibus quibusdam Orientalium abhorrerent, et idcirco haud facile ad Synodum Nicænam excipiendam adduci possent, Pontifices, qui in rei summa eos cum Orientalibus convenire noverant, ipsius Synodi œcumenicam authoritatem solemniori quodam decreto haud statim muniendam existimarunt, sed sapienti œconomia usi sunt, donec, re eliquata, omnes in decretis illis excipiendis convenerint. Concilium Ariminense quod objicitur, Œcumenicum plane non erat, nec enim Episcoporum numerus tantum sufficit, sed et libertas decernendi, et pontificis summi concors animus

(1) Vide Can. ii. Francof.

præcipue requiruntur: eas scilicet definitiones fidei defendendas suscepimus, quæ libere fiunt, Pontificia etiam interveniente auctoritate. Jam vero constat patres Ariminenses omni ærumnarum genere afflictos ab Imperatoris Constantii satellitibus, ut tandem aliquando Valenti et Ursacio Episcopis Arianis fidem adhiberent, et formulam quæ orthodoxum præseferebat sensum exciperent. Cæterum nec ipsi ullam errorem definiendo sanxerunt, sed voce ομοιος omissa, paci studuerunt, in eo tamen lapsi, quod tessera illa fidei seposita, error facile grassaturus foret. Fraude detecta paratos sese exhibuerunt subscriptiones suas revocare, et omnes Arianorum blasphemias condemnare, ut rem totam referens docet S. Hieronymus.[1] Pontifex etiam Liberius, de rebus gestis factus certior, acta illa in irritum B. Petri auctoritate misit.

Obj. 6. Concilia etiam Generalia civilium comitiorum instar haberi noscuntur: nam vel imperatoris potestas plerosque Episcopos in suas partes trahit, ut olim plerumque eveniebat, vel pontificis summi prævalet auctoritas, uti Tridenti contigit. Lites, jurgia, et partium studia, cum artibus omnibus quæ in re politica gerenda adhibentur, in iis occurrunt: nec ulla sinit ratio, ut definitiones inde profectæ a Spiritu Sancto manasse censeantur, præsertim quum Concilium hujusmodi Christus convocandum numquam jussisse legatur.

Resp. Concilia quidem hominibus constant, qui sæpius infirmitatem, et defectus nostrae naturæ adeo inhærentes ostendunt, quamvis et virtutes, et doctrinam, aliasque congregatorum episcoporum dotes eximias etiam agnoscere quisque cogatur. Cæterum non his innititur fides nostra, sed Christi promissione, qui Apostolico ministerio docenti se semper promisit adfuturum. Licet autem non legatur jussisse ut concilium convocaretur, se tamen præsentem adesse cætui suo nomine coacto professus est. Quidquid igitur de civilis potestatis vi, aut gratia, aut de Pontificia auctoritate, aut de ipsis Episcoporum defectibus in illis comitiis censeatur, judicium solemne ab hujusmodi cætu editum, Christi per Apostolorum successores docentis vox est, cui obaudire tenemur, ipso dicente: "qui vos audit, me audit."

Obj. 7. De Concilii œcumenica authoritate constare non potest, semper enim erit ratio aliqua suspicandi illud liberum legitimumque haud fuisse: et re quidem vera Concilii Lateranensis V., sicut et Basileensis, et Constantiensis, et Pisani, controvertitur adhuc auctoritas.

Resp. Potest quidem constare, et revera constat de plurimorum Conciliorum œcumenica authoritate, quae scilicet a Summis Pontificibus solemniter confirmata, totius Ecclesiæ assensu et fide innotescunt. In illis rerum adjunctis in quibus probabilis ratio dubitandi sit, licebit rem altius investigare, et Ecclesiæ clarius et solemnius expectare judicium. De fidei definitione ab aliquo Concilio Generali edita haud dubitatur, sed

(1) S. Hier. in dial. contra Lucifer.

omnis versatur lis circa acta aliqua, vel decreta Conciliorum quorumdam, quæ certe definitionum vim non habuerunt.

Obj. 8. Episcopi qui Concilio Generali intersunt longe minori sunt numero iis qui per orbem diffunduntur, et ex solo Oriente, vel Occidente plerumque congregantur, paucis omnino ex alia mundi plaga convenientibus. Non igitur possunt sibi vindicare privilegia quæ toti Episcoporum collegio sunt promissa.

Resp. Episcopi in unum coacti numero notabili sub capite totius collegii satis exhibent Episcopale collegium, et tribunal constituunt, quo in Ecclesia majus nullum possit constitui. Quæ, igitur, Episcoporum universitati pollicitus est Christus, in tanto tribunali suum consequi effectum debent: ut nihil dicamus de absentium silentio et assensu, quibus eorum cum Concilio concordia in rebus definitis probatur.

Statuta infallibili auctoritate Concilii vere œcumenici in rebus fidei, de Conciliis minoribus aliqua sunt dicenda. Ad provincialia Concilia vel nationalia fidei controversias definire, non pertinet sed rite urgent Conciliorum œcumenicorum definitiones. Constat etiam Concilia quibus præerat Patriarcha olimexortas hæreses sæpius proscripsisse.[1] Romani Pontificis auctoritate Conciliis Nationalibus solemniter adjecta, tanto robore munita habebantur, ut causa plane censeretur finita. "Jam," inquiebat Augustinus, de Pelagiano errore apud populum agens, "de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt: causa finita est; utinam aliquando finiatur error."[2] Ne aliquid quod controverti a Catholico homine possit, ponere vel statuere videamur, satis est ut dicamus definitiones fidei a Conciliis Nationalibus vel Provincialibus prolatas, et solemniter ab Episcopo Romano confirmatas, et per Ecclesiam universam promulgatas, quin Episcopi plurimi reluctentur, esse solemnia Collegii Episcopalis judicia quibus error non potest subesse.

De ipsis Pontificiis definitionibus solemniter *ex Cathedra*, ut aiunt, prolatis, et ad Ecclesiam universam directis, magno animorum æstu disputatum est, utrum iis insit vis et auctoritas omnino inviolabilis. Omnes conveniunt Catholici summi Pontificis primas esse partes in fidei controversiis dirimendis, et ad ejus tribunal errores contra fidem deferendos, ut examine instituto, et fide doctrinaque totius Ecclesiæ præ oculis habita, divino etiam enixis precibus implorato lumine, avitam fidem solemni suo judicio contra novitias quasque sententias tueatur, vel si opus sit, convocata Œcumenica Synodo, Petri instar, fratribus præeat judicio. Plurimi

(1) "Local Synods of Orthodox Bishops convened themselves, as they were well warranted to do, in vindication of the faith once canonized at Nice. But as to interpretation of the faith, in cases of novel impression, I believe, that no point is more evident from the annals of Christianity, than that no Local or National Synod, without Patriarchal authority, presumed to interfere by declaratory sanction." Church. p. 295.

(2) Serm. 132 de verbis Apost. v.

Theologi censent ex oratione Christi Domini: "Ego rogavi pro TE, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,"[1] factum esse, ut Petrus, ejusque successores numquam errare possint in solemni suo de fidei doctrina judicio, quo fratres in fide confirmare student, suum munus, tamquam supremi in terris doctores, vicesque Christi Domini gerentes, implentes. Id quidem certissimum videtur nullam umquam latam solemnem fidei definitionem ab aliquo Pontifice, quæ non fuerit ab Episcoporum collegio agnita et excepta: quæ enim objici solent de Liberii et Honorii lapsibus, nec satis probantur, nec ullam habent doctrinalis et solemnis definitionis speciem. Liberius vulgò existimatur exilii tædio ambiguæ formulae subscripsisse, Sirmiensi scilicet contra Photinum editæ, an. 351, communionis jura Ursacio et Valenti Arianis Episcopis tribuisse, et Athanasium damnasse. Hæc si vera sint, eum gravissime suo defuisse muneri probant, nec tamen solemnis definitionis habent rationem, quæ libere edi debet, et ad totam Ecclesiam dirigi, Pontifice eam tota sua auctoritate muniente. Cæterum Theodoretus, Græcus rerum gestarum scriptor, Liberium illustrem fuisse fidei defensione testatur, et Romam rediisse imperatore Constantio precibus matronarum Romanarum flexo. Pontificem ex urbe pulsum gloriosum prædicat veritatis athletam,[2] redeuntem vocat divinum et admirandum.[3] Quæ igitur tribuitur Athanasio de lapsu ejus narrationem operi ejus assutam non inverosimiliter conjicitur, nam constantiam, qua etiam exul restitit imperatori omnibus fuisse admirationi ipse alias testatur, et de eo et Osio dicit: "Hi enim quum viderent ea quæ contra nos agerentur, omnia pati maluerunt, quam aut veritatem, aut causam nostram prodere."[4] Hæc certe male cohærent cum his quæ de lapsu ejus referuntur.[5] De Honorio constat eum nullam solemnem definitionem edidisse de una voluntate in Christo; sed Sergio Constantinopolitano patriarchæ rescripsisse ut de questione tunc adeo agitata sileretur. Si igitur eum a Sexta Synodo damnatum tamquam hæreticum censeamus, prout ferunt ejus acta, dicendum Patres illius Synodi existimasse eum animo hæretico prava Sergii consilia fovisse: quo in judicio eos errasse, pace eorum, licet opinari: sed scripta ipsa plane nullam continent hæresim, nullam quamcumque fidei definitionem. Alia plurima quæ objiciuntur vix ullam præseferunt difficultatem, nam de rebus gestis Pontificum, vel sententiis suis privatis, non agitur, sed de solemnibus fidei definitionibus.

Non diffitemur eam nobis insitam esse sententiam Christum sua ora-

(1) Lucæ xxii. 32: "aliquando conversus" συ ποτε ἐπιστρέψας "tu quoque olim vicissim confirma fratres tuos." Grotius: επιστραφεισ Joan xxi. significat convertere se respiciendo, et inspectoris vigilantiam apte designat in Lucæ citato testimonio.

(2) Ὁ μεν δη νικηφόρος της αληθειας ἀγωνιστής.

(3) ἐπανηκε μεν λιβέριος ὁ θεσπέσιος.

(4) Apol. 2. sub finem.

(5) Epist. ad Solit. vitam agentes. Vide Acta SS. Tom. vi. ad diem 23 Septembris.

tione obtinuisse, ut, qui vices ejus in Ecclesia docenda et regenda in terris gerit, numquam erret in solemni fidei definitione, petra quippe est in qua nititur ipsa Ecclesia: "Cui propria authoritate regnum dabat," interrogat Ambrosius, "hujus fidem firmare non poterat, quem cum Petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit?"[1] "Ipse autem Dominus," inquit Epiphanius, "constituit eum primum Apostolorum, petram firmam super quam Ecclesia Dei ædificata est, et portæ inferorum non valebunt adversus illam. Portæ autem inferorum sunt hæreses et hæresiarchæ. Juxta omnem enim modum in ipso firmata est fides, qui accepit clavem cælorum, et solvit in terra, et ligat in cælo."[2] Pontificum igitur de fide decreta semper cum maxima veneratione a tota Ecclesia, et ab ipsis etiam œcumenicis Synodis sunt excepta; et quamvis ad animos conciliandos examini nonnumquam sint subjecta in sacris illis comitiis, non tamen veluti res dubiæ et incertæ, quas rescindere liceret, sed potius Scripturarum et Patrum testimoniis muniendæ, ut refragantium frangeretur pertinacia. Hinc S. Celestinus epistolam dogmaticam adversus Nestorium scribens, Cyrillo Alexandrino patriarchæ injunxit, ut ei subscribere Nestorius si nollet, post decem dies a communione Ecclesiastica abscinderetur:[3] et S. Leo suam fidei expositionem tamquam tesseram, quam omnino recipere oporteret, tradidit.[4] Uterque Pontifex Petri interpres a Patribus utriusque Concilii habitus est: "Anathema ei qui non ita credit. Petrus per Leonem locutus est."[5]

Patrum testimonia quamplurima possemus in medium adducere, sed unum alterumve satis erit indicasse. S. Petrus Chrysologus ad Eutychetem scripsit: "In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a Beatissimo Papa Romanæ civitatis præscripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria sede vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem." S. Bernardus, nomine omnium Episcoporum Galliæ in causa Abaelardi, ad Innocentium II. scripsit: "Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, et præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum. Hæc quippe prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua?"

Non tamen placet ea loquendi ratio qua Pontifex se solo infallibilis prædicatur, nam de eo tamquam privato doctore, privilegium inerrantiæ nemo fere ex Theologis Catholicis noscitur propugnasse; nec tamquam Pontifex solus est, ei quippe docenti adhæret Episcoporum collegium, uti

(1) S. Ambr. l. iv. de fide ad Gratianum.
(2) Epiph. l. ancor. p. 364.
(3) Act. ii. Conc. Eph.
(4) Ep. ad Patres Chalc.
(5) Conc. Chal.

semper contigisse ex Ecclesiastica historia liquet.[1] Pontificias autem definitiones ab Episcoporum collegio exceptas, sive in Concilio, sive in sedibus suis, vel subscribendo decretis, vel haud renitendo, vim habere et auctoritatem infallibilem nemo orthodoxus negaverit. Hinc Pelagianos, Synodum Generalem convocari postulantes, redarguit Augustinus: "Quid est ergo quod dicunt, 'simplicibus episcopis, sine congregatione Synodi, in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est?' * * * "congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente peruertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum potius vigilantia et diligentia pastorali, post factum de illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur."[2]

Ex auctoritate infallibili Ecclesiæ in doctrina Christi tradenda sequitur quidquid definitioni fidei repugnat hæresim esse, quæ idcirco definiri potest sententia adversa doctrinæ solemni Ecclesiæ Christi. Pertinacia quidem animi in sententia tuenda requiritur ut quis reus habeatur; sed ipsa sententia cuicumque definitioni contraria hæresis meritò dicitur, frustra sectariis vocem hanc aliquibus tantum erroribus, scilicet contra fundamentales articulos, accommodantibus. Rem explicat Tertullianus, Apostoli nixus auctoritate: "edocens unum omnes loqui et idipsum sapere, quod etiam hæreses non sinunt. Nec diutius de isto, si idem est Paulus, qui et alibi hæreses inter carnalia crimina numerat, scribens ad Galatas; et qui Tito suggerit hominem hæreticum post primam correptionem recusandum, quod perversus sit ejusmodi, et delinquat, ut a semetipso damnatus. Sed et in omni pæne epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulteræ doctrinæ: hæreses dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo et sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnatur, sibi elegit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt."[3]

(1) "Portæ inferi contra Ecclesiam non prævalebunt ex promissione Christi; quia supra petram ædificata est; quomodo igitur salva promissi divini veritate contingere posse fingitur, ut totum Ecclesiæ ædificium a suo fundamento dimoveatur, sive ut papa et Ecclesia, quam reliqui episcopi repræsentare dicuntur, inter se dissentiant?" Zallinger Inst. Can. l. V. c. v. n. 358.

(2) Aug contra duas epist: Pelag. l. IV. sub finem.

(3) De præscr. hær. c. vi.

C. XIX. DE CONCILIORUM AUCTORITATE.

Varia illa explicata ratione qua solemnes fidei definitiones ab Ecclesia eduntur, de Conciliis enucleatius dicendum est. Concilium apud Latinos, Συνοδος apud Græcos, est Ecclesiasticus conventus ex auctoritate habitus ad deliberandum de negotiis Ecclesiasticis. *Generale* Concilium, seu Οἰκουμενικη, est Episcoporum ex Christiano orbe cætus, præside totius collegii Episcopalis capite, Episcopo Romano, saltem per suos legatos. *Nationale* concilium, quod *Plenarium* quoque apud Augustinum dicitur, est Episcoporum unius nationis conventus, præside suo Primate, Patriarcha, vel alio præcipua ornato dignitate. *Provinciale* Concilium constat Episcopis unius provinciæ Ecclesiasticæ, sic enim consuevit vocari Metropolitæ ditio plures complectens diœceses. Ei præest Archiepiscopus. Concilia hæc omnia sunt Præsulum cætus. Nomen autem tribuitur etiam conventui Episcopi et cleri unius diœcesis, quamvis communius *Synodus Diœcesana* dicatur: quippe unius diœceseos Clero constat, præside Episcopo. Jam sæculo secundo Concilia haberi consueverunt, uti testatur Tertullianus, sub initium tertii sæculi scribens: "aguntur præterea per Græcias illa certis in locis concilia ex universis Ecclesiis, per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur? Et hoc quam dignum fide auspicante congregari undique ad Christum?"[1]

Convocatio Concilii Œcumenici pertinet nativo jure ad summum Pontificem, illius enim est Episcopos ex toto orbe in unum adunare, qui præcepto conveniendi eis potest imponere necessitatem; quod nemo præter illum qui jurisdictione in omnes præstat, valet. Ejus auctoritatem necessariò postulari, ut Concilium Œcumenicum rite habeatur, valeantque apud omnes decreta, liquet ex antiquissimis certissimisque documentis, "jubet enim," testante Socrate, Ecclesiasticæ historiæ, quinto sæculo ineunte Scriptore, "Ecclesiasticus canon, non oportere Ecclesias, præter sententiam Episcopi Romani canones edere,"[2] et in Concilio Chalcedonensi Dioscoro Alexandrino Patriarchæ objectum est a Sedis Apostolicæ legato, quod "Synodum ausus sit facere sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est."[3] Nec tamen diffitemur convocationis Concilii Nicæni litteras a Constantino Imperatore editas, alia etiam concilia Imperatorum jussu habita: illius autem rei plures dantur rationes, quod scilicet lege vetaretur conventus publicos haberi nisi ex Imperatoris auctoritate,[4] et quod Episcopis plerumque pauperibus commeatus hac ra-

(1) De Jejuniis, c. xiii.

(2) Τὸ ἐκκλησιαστικὸν κάνονος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησιὰς. Socrat. l. II. Eccl. hist: c. xiii.

(3) Act I. c. lxviii. tom. II. col. Hard. supra p. 165.

(4) Cod. Theod. tit. de episcopo et clericis. L. conventicula.

tione præberetur.[1] Imperatores in iis litteris edendis Sacerdotum, præsertim Summi Pontificis, precibus annuisse constat, quapropter Ruffinus Nicænam Synodum, "ex Sacerdotum sententia," convocatam a Constantino dicit;[2] et Silvester una cum Constantino convocationis auctor a sexto Concilio prædicatur: "Constantinus semper Augustus, et Silvester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa synodum congregabant.[3]

Hinc Episcopi Constantinopolitani Concilii I. se convocatos dicunt, post litteras a Pontifice ad Imperatorem scriptas,[4] et Pontificem eos Romam accersiisse ad Synodum per Imperatoris litteras:[5] et Episcopi Mæsiæ ad Imperatorem Leonem scribentes, Concilium Chalcedonense jussu Leonis Pontificis habitum dicunt,[6] quamvis Marcianus Imperator illud convocasse alias noscatur. Dicit S. Leo Concilia habita ex præcepto Imperatorum, et consensu Apostolicæ Sedis. Ex his liquet Pontificem suas egisse partes in convocandis Synodis Œcumenicis; nec interest utrum ipse Episcopos litteris congreget, vel alterius utatur opera, vel ratum habeat quod alius sponte sua gessit, dummodo auctoritas ejus tandem interveniat: sed jus suum plane est, suo inhærens muneri.

Episcopi soli jure divino ad Concilia Œcumenica vocandi sunt, et suffragium decisivum ferre valent, quamvis Sacerdotes tamquam Consiliarii interesse possint, laici etiam fideles, præsertim qui in Republica eminent dignitate, pro arbitrio tamen Episcoporum, et nullo cum jure suffragii. Episcoporum jus ex munere quod exercent plane sequitur, sunt enim ad regendam Ecclesiam a Spiritu Sancto constituti, Apostolorum potestatis facti participes. Eorum est depositum fidei custodire, et judicum de controversiis sustinere partes. Hinc Concilia semper Episcoporum[7] conventus designabantur, quamvis plerumque Presbyteri, aliique, etiam laici, magno numero interessent. Innumeram horum multitudinem Nicææ adfuisse testatur Eusebius;[7] sed Concilii acta solis Episcopis a Constantino ipso tribuuntur. Consonat omnium sæculorum usus, omnibus Ecclesiæ monumentis probatus.

Episcopos autem omnes per orbem, etiam qui *in partibus infidelium* dicuntur,[8] jus habere interveniendi, ob sacram qua ornantur dignitatem, liquet, adeoque ad omnes dirigendæ sunt convocationis litteræ. Quos constat excommunicationis sententia ligari jure illo privantur. Ut Œcu-

(1) Vide Cod. l. xii. de cur. publ. tit. 2 et tit. 3 *evectiones*. etiam Theodoret. hist. l. I, c. vii.

(2) Ruff. l. I, hist. Eccl. c. i.

(3) Act. 18 in Serm. Prosphonetico.

(4) Ep. ad Damasum.

(5) Ibidem.

(6) Conc. Chalc. Act. col. Conc. Hard.

(7) De vita Const. l. III. c. viii.

(8) Vide Ferraris, *Bibliotheca*, *Concilium* n. 29.

menicum dicatur Concilium numerum notabilem adesse oportet, et ex plerisque orbis provinciis, quamvis plerumque pauci ex dissitis veniant. Nullus certus exigitur numerus, sed decreta toti collegio adscribuntur, quandocumque convocatio fuerit generalis, et plurimi convenerint, præsertim qui cæteris præest, Episcopus Romanus, saltem per legatos.

PROPOSITIO I.

Soli Episcopi nativo suo jure, seu potius divino, habent suffragium decisivum in Conciliis quibuscumque.

Probatur. Soli Episcopi regiminis habent potestatem, quippe quos Spiritus Sanctus posuit ad regendam Ecclesiam : ad regimen autem maxime spectat in Conciliis decernere : ergo jus hoc muneri Episcopali inhæret, ex Christi institutione. Suffragatur omnium sæculorum a Christo usus. Episcopi soli in Concilio Nicæno judicarunt, quapropter fides eorum nomine semper celebrata est.[1] Sic ipsi litteras direxerunt ad Ecclesias Alexandriæ, aliasque, quibus quæ in causa, Arii gesserant referunt : "οἱ ἐν Νικαία σύνοδον συγκροτησαντες ἐπίσκοποι."[2] Eorum decreta vocat Julius Pontifex trecentorum suffragia των τριακοσιων τας Ψηφους.[3] Ita et Liberius[4] et Damasus[5] trecentorum decem et octo episcoporum Nicææ fidem laudant. Sic etiam in Constantinopolitano Concilio,[6] Ephesino,[7] Chalcedonensi,[8] Episcopis fidei formula, quæ Nicææ sancita est, tribuitur.

Concilium Constantinopolitanum I. ad Theodosium scribense, se Episcoporum synodum nominat : ἡ ἁγία σύνοδος των επισκοπων.[9] Imperatores Theodosius et Valentinianus Canidianum Comitem ad Concilium Ephesinum miserunt, ut ordinem tueretur, "sed ea lege et conditione, ut cum quæstionibus et controversiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil commune habeat : (nefas est enim qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immis-

(1) παν γαρ ειτι δ' αν εν τοις αγιοις των επισκοπων συνεδριοις επραχθη, τουτο προς την θειαν βουλησιν εχει την αναφοραν. Ibidem c. 20. Vide etiam Gelasium c. 35. Labbe ii. 262 et Hard. i. 448. Alia testimonia plurima in erudito opere J. B. C inch on church government, Dublin, 1812, videre est.

(2) Apud Gelasium c. 33. col. 440 col. Hard. t. i.

(3) Apud Athanas. Apol. 2.

(4) ὑπο τριακοσίων δέκα και ὀκτὼ ὀρθοδοξων ἐπισκοπων. Ad Macedonianos col. 744. col. Hard. t. i. ex Socrate l. iv. c. xii.

(5) Labbe ii. 892. Hard. i. c. 772.

(6) Can. i. c. 809.

(7) Act. i. p. 1364.

(8) Labbe Conc. iv, p. 472 usque ad 507. Ad finem Act. v.

(9) Col. 808 Hard. t. i.

cere)."[1] Alia adducendi testimonia postea erit occasio, quamvis in re tot monumentis probata videatur supervacaneum.[2]

Obj. In Concilio Hierosolymitano Presbyteri Apostolis assidebant, eosque ad regendam Ecclesiam constitutos dixit Paulus.

Resp. Jam vidimus Presbyterorum nomine designari Episcopos, imo Apostolos non semel; qua ratione etiam ab Irenæo appellantur, licet ipse charisma certum veritatis cum Episcopatus successione conjunctum doceat. Præterea non negamus sacerdotes Conciliis interesse posse, Episcopis annuentibus, ut consiliis suis et scientia eos adjuvent, id enim semper consuetum est; sed jus decisivum eis competere nullum Scripturæ vel traditionis documentum probat. Nullum certe apparet ejus vestigium in Concilio Hierosolymitano.

Obj. 2. Fuerunt procul dubio Sacerdotes simplices qui Concilio intererant, nec enim tanta erat Episcoporum copia ut plures in una versarentur urbe, nec id unquam sivit Ecclesiæ disciplina, quæ unius Episcopi regimen in unaquaque diœcesi statuit. Eos autem suffragio suo diremisse controversiam liquet, quum ad eos, una cum Apostolis, esset relata, et litteræ communi omnium nomine, scriptæ, et dogmata ab iis judicata dicantur τὰ δόγματα, τα κεκριμένα υπο των αποστολων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ.[3]

Resp. Manifesta est ratio cur plures in una urbe versari potuerint Episcopi, quod scilicet Ecclesia undequaque brevi diffundenda esset, Episcopis, occasione data, in singulis urbibus constituendis, et ut successioni consuleretur, ne martyrio, vel morbo ablatis, deesset qui novum ordinaret episcopum. Ex vicinis Ecclesiis etiam conveniebant communium negotiorum causa, quod contigisse, Paulo eos Miletum arcessente, liquet ex veterum testimonio, et ex ipsa Apostoli concione, in qua eos veluti totam Asiam minorem habitantes, alloquitur, se triennium apud eos versatum dicens, quod temporis spatium Ephesi non substitit.[4] Ecclesiæ autem disciplina exigit ut uni concredatur regimen, sed nullatenus vetat plures in una urbe morari, quod plurimis ex causis contingere potest. Jus suffragii ullum exercuisse Presbyteros in Concilio Hierosolymitano haud constat, quamvis libenter demus eos assensos fuisse Petro, prout aliquis codex habet.[5]

(1) Eph. Conc. c. xx. col. 1346. t. i. Hard.

(2) "There exists not in the christian system a principle more solidly fixed, or more potently efficacious, or more favored by all the social tendencies of this immortal system, than the legislative and judicial rights of bishops. This chieftancy is not the result of wealth, nor the offspring of ambition, but the necessary consequence of unity, as well as the divine institution of the New Law." Clinch Letter I. p. 5.

(3) Act. xvi. 4.

(4) "Markland rightly infers from verse 25, that Paul convoked not only the Presbyters of Ephesus, but of the district; no part of it being far from Ephesus, (namely, Asia proper, the ancient Ionia.)" Bloomfield in loc.

(5) Συγκατατεθεμένων δὲ τῶν πρεσβυτέρων τοῖς ὑπὸ τοῦ Πετρου ἠρημένοις, ἐσίγησεν ἅπαν. Vide Griesbach in loc.

Obj. 3. Presbyteri sacerdotes simplices a Jacobo designantur,[1] nec enim moribundis Episcopum adesse est necessarium: imo a Paulo, Timotheum edocente qua ratione cum delinquentibus se gerere debeat: "Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue: ut et cæteri timorem habeant."[2]

Resp. Si uno alterove loco vox illa eo sensu accipiatur, non ideo ubique est necessariò eadem ratione intelligenda. Apud Jacobum videtur eam interpretationem admittere, quamvis nil vetet de Episcopo eam accipere, quum ab initio Episcopus in præcipuis urbibus constitueretur, paucis adhuc creatis sacerdotibus. Non ideo necesse erat Episcopum arcessere, ordinatis Sacerdotibus, quibus portionem suæ potestatis communicavit, ut sacra peragerent munera. Alio loco Episcopus ab Ambrosio intelligitur, Timotheus enim præerat collegis suis per totam Asiam minorem, ideoque monitus est ne accusationem facile adversus eos reciperet: "Quoniam hujus ordinis sublimis honor est, hujusmodi enim Vicarii Christi sunt, idcirco non facile de hac persona accusatio debet admitti: incredibile enim debet videri istum qui Dei antistes est, criminose versatum." Ad scandalum tollendum, si palam deliquerit, "publice præcipit arguendum, ut cæteri terreantur, quod non solum ordinatis proficit, sed et plebi: quando enim vident dignitosum virum erroris causa corripi, necesse est ut caveant sibi."[3]

Obj. 4. In omnibus Conciliis Sacerdotes adfuerunt, et in nonnullis subscripserunt decretis, instar Episcoporum. Eos igitur necessarios saltem consiliarios Episcoporum, seu jure *consultivi* suffragii frui dicendum est.

Resp. Aderant plerumque aliqui Sacerdotes, quos itineris comites, et consiliorum participes, sibi libere adsciverunt Episcopi. Subscripserunt decretis qui absentium Episcoporum procuratores erant, vel qui speciali quadam dignitate ornabantur, sed consentiendo, non definiendo. Qui Episcopi Romani legatione fungebantur, quæ in mandatis habebant ex ejus auctoritate exequebantur, ejusque nomine decreta sua subscriptione muniebant. Aliqui Cardinales Presbyteri, et Generales Ordinum Religiosorum, et Abbates, jus etiam suffragii definitivi, ex Pontificis concessione, Episcopis haud reluctantibus, in recentioribus Conciliis assecuti sunt: sed jus nullum stricte dictum vi sui muneris habent sacerdotes ut interveniant, vel suffragium quodcumque ferant. Qui admittuntur Theologi consultores, sententias suas interrogati exponunt, ideoque votum consultivum a nonnemine habere dicuntur;[4] quod nobis iis tantum qui jus habent suffragium dandi, quamvis non numeretur inter decisiva, competere videtur.

(1) Jac. v. 14.
(2) 1 Tim. v. 19.
(3) Ambros. in loc.
(4) Vide Ferraris, Bibliotheca, Concilium, n. 31.

Obj. 5. Saltem in Synodis Diœcesanis habent Sacerdotes jus suffragii, et quidem definitivi: secus frustra conveniunt, solo Episcopo omnia suo arbitrio decernente.

Resp. In Synodis Diœcesanis jus obtinent Parochi aliique nonnulli suffragii quod vocant consultivi; sed tota potestas penes Episcopum est cujus est *auctoritas*, scilicet statuenda proponere; eaque, auditis suffragiis, decernere, prout in Domino judicaverit.[1] Nec frustra vocantur sacerdotes, quum ad leges rite ferendas plurimum præstet sapientium audire consilia, et a rerum peritis instrui. Quod si cuique videatur nimia hac in re Episcoporum potestas, meminisse debet eam intra quosdam limites exerceri, nec enim quid valet contra Universalis Ecclesiæ leges. Cæterum non nostro ingenio Ecclesiæ regimen est moderandum, sed antiquitatis venerandæ exemplis insistendum est, quibus edocemur ad unum omnem solicitudinem esse delatam ad schismatum tollenda semina.

Præsidere Conciliis Œcumenicis summi Pontificis est jus nativum, quum enim cæteris Episcopis præstet gradu, primum in conventibus occupet locum necesse est. Petrum cætui Hierosolymitano præfuisse ex ejus historia colligitur, nam suam interponit sententiam ut litem tandem finiat, eoque audito omnis conquievit disceptatio. Ex omnium Conciliorum monumentis constat Pontificem semper præfuisse, quotiescumque aderat; eum autem per legatos, Episcopos, seu Presbyteros, seu diaconos, præfuisse aliis, licet adessent patriarchæ Alexandrinus et Antiochenus, etiam constat; quod argumento luculento est juris ab omnibus agniti. Concilio Chalcedonensi legati Leonis M. præfuerunt, uti ex actis patet. Patres illius Concilii ad Pontificem postea scripserunt: "Tu quidem, sicut caput membris, præeras in his qui tuas vices obibant." Subscripserunt legati hac formula: "Ego —— vice Domini mei Papæ Leonis, synodo præsidens, subscripsi." Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, ex speciali Cælestini Pontificis mandato, quod inter acta concilii refertur,[2] præfuit Concilio Ephesino; cui postea legati adjuncti sunt, habentes in mandatis, ut si concertatio oriretur, nullas in ea susciperent partes, quum eorum esset de cæterorum sententiis judicare. Vitus et Vincentius præsederunt Concilio Nicæno, et subscripserunt ante patriarchas. Osius quidem episcopus Cordubensis primum occupavit locum, sed vices procul dubio tenebat ipsius Pontificis Romani, quod testatur Gelasius quinto sæculo, Eusebium appellans: nec alia quidem adsignari posset ratio, cur Episcopus oppidi in Hispaniis congregatis ex orbe Episcopis præesset; constat enim non meritorum, sed dignitatis sedis in Conciliis haberi rationem. Concilio Constantinopolitano I., quod secundum inter Œcumenica numeratur, non præfuit Pontifex, nec enim Concilii Œcumenici habuit rationem, ex solis Imperii Orientalis episcopis a Theodosio imperatore coactum. Nomen et

(1) Benedictus xiv. de Synodo Diœces. l. III. c. xii. §. 7.
(2) Act. i.

auctoritatem deinceps obtinuit, Damaso Pontifice cum Concilio Romano nonaginta episcoporum, ejus decretis robur adjiciente. Concilio etiam Constantinopolitano II. non præfuit Vigilius Pontifex, quamvis eo ipso tempore in urbe illa moraretur, et instantissimæ ei porrectæ sint preces ut Patrum consessui vellet præsidere: ad eum quippe scripsit Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, nomine Concilii: "Petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, de tribus capitulis quæri et conferri." Noluit tamen interesse quum de horum damnatione ageretur, de scriptis scilicet Theodori Mopsuesteni, Ibæ, et Theodoreti, quæ damnari non posse censuit absque gravissima Occidentalium offensione, cum schismatis periculo.

Summi Principes sæpius Conciliis interveniebant, et locum occupabant conspicuum, pro imperii majestate, sed negotiis Ecclesiasticis non sese immiscebant, spectatores tantum, testes, patroni et vindices consessus. Ideo Constantinus M. breviter allocutus Patres, *sermonem omnem deinceps concilii Præsidibus concessit.*[1] Et Marcianus Imperator qui Chalcedonensi concilio aderat, sibi nullam vindicavit auctoritatem: "Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus."[2]

In Conciliis hæc methodus consuevit adhiberi. In omnibus quæ quæstionem admittunt, libere proferuntur Episcoporum sententiæ, nec facile dirimuntur lites quæ inter Catholicos doctores oriuntur, quæ scilicet modum dogmata explicandi, potius quam fidei summam respiciunt. Quidquid ab avita fide, a certis dogmatibus Ecclesiæ, discrepat manifesto, statim respuitur: et omnis opera in eo ponitur ut testimoniorum pondere penitus obrutum jaceat. Præsto sunt Scripturæ, Patrum scripta, Conciliorum decreta, et omnia vetustæ fidei documenta, ut clarius pateat veritas, et exhibeatur. Suffragia Patrum exquiruntur, post rerum examen, jure proponendi et rogandi sententias, quod auctoritatis nomine apud veteres venit,[3] præsidibus Concilii plerumque servato. Juxta majorem suffragiorum numerum canones de disciplina, leges scilicet de administratione Ecclesiæ, feruntur; sed in fidei definitionibus omnium fere exquiritur consensus. Si Pontifex in mandatis dederit legatis suis quid ipse censeret, vel si præiverit judicio, plerisque assentientibus, editur definitio. Secus ejus confirmatio exigitur ut inviolabilem apud omnes Catholicos obtineat auctoritatem. Patres Chalcedonenses amplexi fuerant Leonis epistolam, tamquam fidei

(1) Euseb. l. 3 de vita Constantini c. 13.

(2) Act. vi. Conc. Chalc.

(3) In Concilio Romano an. 484, dicitur morem esse ut Episcopus Romanus "cuncta constituat," vi promissionis Petro factæ "quam vocem sequentes cccx. et viii. S. Patres apud Nicæam, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctæ Ecclesiæ Romanæ detulerunt; quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes * * * custodiunt." Labbe, iv. 1125, 1126. Vide Clinch, p 288.

normam, Petrumque per Leonem loqui prædicaverant; sed ultra progressi, canones condiderunt inter quos unus tribuebat Antistiti Constantinopolitano secundum in Hierarchia locum. Scripserunt idcirco ad Pontificem, canonis hujus præsertim confirmationem enixe petentes: "Rogamus, igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et Summitas tua filiis quod decet adimpleat."[1] Renuit tamen Pontifex ea quæ in hac re gesta sunt firmare, utpote juribus Alexandrini et Antiocheni patriarcharum, a Nicæno Concilio agnitis, adversa; ideoque in vetustioribus canonum collectionibus canon ille desideratus est.[2] Necessitas confirmationis Pontificiæ ex regula illa, quam ex Socrate laudavimus, patet: non oportere Ecclesias absque consensu Romani Episcopi canones edere *κανονίζειν*. Hinc sedes Apostolica, testante Gelasio, "unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quam beatus Apostolus Petrus Domini voce perceptam, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet."[3]

Ea igitur nobis habentur Concilia Œcumenica, quæ convocante Pontifice fiunt, vel saltem ejus consensu prævio, vel subsequente, quæque ejus firmantur auctoritate. Utrum Concilium Œcumenicum dici posset quod ex Episcopis universi orbis constaret, Pontifice certo ac legitimo renuente, inquirendum non duximus, nam dissidium hujusmodi caput inter et membra numquam futurum, divina nixi Ecclesiæ constitutione, confidimus: Christus quippe eam constituit domum fundamento innixam, corpus capite membrisque constans.[4] Igitur quæ agitatæ sunt quæstiones de Concilii Œcumenici ad Pontificem relatione, utrum illud eo præstet auctoritate, negligendas putamus; quum ex Scriptura vel traditione nullum noverimus Concilium indubiæ auctoritatis, quod *acephalum* sit. Quæ Constantiæ acta sunt, in comitiis veluti generalibus Ecclesiæ, ad pacem reducendam, tribus de Pontificatu contendentibus, ex jure veluti innato quod habet Ecclesia ut sibi consulat, certi Pontificis electione, facta nobis videntur. Decretis de fide robur Œcumenici Concilii accessit, certo Pontifice electo, qui decreto speciali quæ in causa fidei acta sunt firmavit.[5] Cæterum si cui hæc nostra sententia non arriserit, consilium quod suscepimus non debet improbare, illud specialiter vindicandi, quod omnium Catholicorum consensione probatur, nempe Concilia Œcumenica esse quæ ab Episcopis

(1) Epistola synodica ad Leonem col. 659 tom. ii. Conc. Hard. *παρακαλουμεν τοίνυν, τίμησον καὶ ταῖς σαῖς Ψήφοις τὴν κρίσιν, ὥσπερ ἡμεῖς τῇ κεφαλῇ τὴν ἐν τοῖς καλοῖς συμφωνίαν εἰσενηνόχαμεν, οὕτω καὶ ἡ κορυφὴ τοῖς παισίν ἀναπληρώσοι τὸ πρέπον.*

(2) Vide Gotti De Rom. Pont. auctor. col. III. n. x.

(3) Ep. iv.

(4) Docet Damasus "concilium illud non fore catholicum, quod sine auctoritate sedis Apostolicæ fieret; neque ulla concilia rata legi quæ apostolica auctoritate fulta non fuerint." Ep. ad Stephanum et Syn. African.

(5) Vide *Du Pape*, par De Maistre l. 1. ch. xii.

universi orbis celebrantur, præside et probante Summo Pontifice : cætera negligendi " quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide."[1] " In eo enim," inquit *Lud. Thomassin*, " sita est tota hallucinatio catholicorum doctorum, paucorum adversus plures, novorum adversus veteres, ipsorummet adversus seipsos intestino dissidio altercantium, quod auctoritatem unam indiscretam et individuam Pontificis, et episcoporum, sedis Apostolicæ et Ecclesiæ Catholicæ, Papæ et concilii, capitis et corporis dissecare, et sibi collidere ausi sint. Ex adverso autem id obtinuit a cunabulis Ecclesiæ, id obtinet etiam nunc, et ipsis cernentibus, ac mirantibus obtinet invictissime, ut una illa sit Ecclesiæ Catholicæ nunc per caput solum, nunc per corporis concentum cum capite sese exerens, una, inquam, et indivulsa auctoritas." * * * " Reapse ubi semel illud dubiorum Pontificum schisma sedatum est, nulla Synodus a Pontifice, nullus Pontifex a Synodo dissidere visus."[2]

De necessitate habendi concilia œcumenica quæri solet. Ea non esse absolute necessaria patet, nam Christus nullibi præcepit ea habenda, quamvis congregatis suo nomine se adfuturum promiserit ; et tria lapsa sunt sæcula antequam primum habitum sit. Re quidem vera difficile plerumque est Episcopos ex orbe universo in unum convenire, præsertim quum principes sæpius hostes sint fidei, vel collidant inter se, nec facile sinant præsules e sua ditione egredi, ut sileamus de itineris et cætus ipsius incommodis et impensis, quas tolerare ægre possunt præsules pauperes, gravesque ætate. Igitur divinæ Christi sapientiæ consonum erat penes hujusmodi conventus regimen ordinarium Ecclesiæ non constituere ; sed uni committere, qui in negotiis maximi momenti posset collegas sibi, consiliorum, judiciorumque participes, adhibere. Jure optimo Augustinus Pelagianos in conciliis Africanis, quæ sua auctoritate roboravit sedes Apostolica, damnatos, Concilii Generalis prætexentes necessitatem, rejecit, uti supra vidimus. Cæterum cum magno rei Christianæ profectu aliquando habentur Concilia Œcumenica, ob graviora fidei negotia, vel communem Ecclesiæ utilitatem, uti liquet ex Concilio Tridentino, cujus opera et fides claruit, et mores emendati sunt, et tota Ecclesia refloruit.[3]

(1) 1 Tim. i. 4. Consulit insignis præsul Argentinensis in *Discussione Amicali*, vol. 1, p. 181, ut Ultramontenses Theologi, sic enim placuit eos vocare, desinant ea prædicare sanctæ sedis privilegia, quæ reditum ad Ecclesiam difficiliorem hæreticis efficiant ; quod consilium eo usque nobis probatur, quod nihil ultra fidei certa dogmata exigatur credendum ; sed non ideo licet pro nostro arbitrio sedis illius jura sacra arctare, quæ rite intellecta nihil habent quod cuicumque offensioni esse debeat : nec enim civili reipublicæ, nec singulorum fidelium, vel præsulum juribus officiunt.

(2) Diss. xvii. in Syn. Rom. an. 532. n. 78. cit. a Gerbert De Communione Potestatis Ecclesiasticæ.

(3) " Istoria del Concilio di Trento, dal Pallavicino. Introduzione c. viii." Egregie hoc opere pseudo-historiam Concilii a Sarpi conscriptam mendaciis scatere demonstratum est.

Quæ in Conciliis Œcumenicis decernuntur, diversam, pro rerum varietate, obtinent auctoritatem. *Fidei definitiones*, quæ verbis maxime perspicuis et solemnibus solent proponi, anathemate plerumque contra sentientibus illato, summam habent vim, et toto mentis assensu sunt excipiendæ, uti ex jam dictis patet. Argumenta autem et testimonia, et explicationes, quibus dogmata roborata exhibentur, non tantam habent auctoritatem, quum doctrinæ summam auxilium divinitus promissum spectet. Si Concilium anathema inferat detorquenti Scripturæ testimonium ab obvio sensu, v. g: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto." * * * "Hoc est corpus meum;" ea testimonii explicatio ad fidem pertinet. *Leges* de Ecclesiæ administratione, et rebus sacris, totam spectant Ecclesiam, universosque ubique fideles obligant, post promulgationem, de qua alias dicetur. Plura sæpius contigit agitari in his Conciliis negotia, præsertim mediis sæculis, de Imperatoris Frederici depositione, de Templariorum criminibus, de bello Crucesignatorum, et de inermibus, præsertim Sanctimonialibus, contra grassantes sævientesque hæreticos Albigenses tutandis. Hæc aliaque plurima hujusmodi, veluti in comitiis generalibus Reipublicæ Christianæ tractata, a summa fidei sunt omnino distinguenda: et de iis judicandum, temporum et adjunctorum habita ratione.[1]

Concilia Provincialia, quæ scilicet constant unius provinciæ Ecclesiasticæ præsulibus, congreganda olim erant bis singulis annis;[2] sed Tridentina lex ea quolibet saltem triennio coadunanda tantum præcipit.[3] Penes Metropolitam, vi sui muneris præcipui, est convocandi jus. Senior Episcopus suffraganeus, impedito Metropolita, potest triennalem illam convocationem facere. Omnes Provinciæ Præsules, qui jurisdictione pollent, convocandi sunt; et convenire stricta lege tenentur, nisi gravi impediantur causa, de qua Concilium ipsum cognoscit, quod fraterno consortio absentem privat: "usque ad futurum concilium cunctorum episcoporum charitatis communione privetur.[4] Coadjutores Episcopi, si placeat intervenire, sedent inter Episcopos Provinciales loco suæ promotionis:[5] alii Episcopi, nulli Metropolitæ subjecti, tenentur Tridentina lege ad eligendum Metropolitam cujus Conciliis intersint, quorum decreta vim obtinent in suis diœcesibus, manente quoad cætera exemptione. Facta semel electione non licet mutare

(1) "The church had its councils or convocations of the clergy, which formed the nations professing Christianity into a connexion resembling a federal alliance, and those councils sometimes settled the titles and claims of princes, and regulated the temporal affairs of the Christian powers. The confederacy of the Christian nations was bound together by a sense of common duty and interest in respect to the rest of mankind." Commentaries on American Law, by James Kent, New York, 1836, part 1, lect. i. p. 9, 10.

(2) Conc. Nic. Can. v. Labbe Conc. ii. 238.

(3) Sess. xxiv. de Ref. c. 2.

(4) C. si quis episcoporum 14 dist. 18.

(5) S. Cong. Rit. 20 Sept. 1596, apud Ferraris, Voce, Coadjutor, n. 65.

consilium, sed ejusdem Metropolitæ synodis interesse Episcopus alias exemptus tenetur.[1] Metropolita præsidet Concilio, et nominat sacerdotes Officiales, Procuratores, præsertim et Secretarium, ex assensu tamen præsulum, quorum exquirit sententias.[2] Quilibet Episcopus unum alterumve Theologum sibi adsciscere consuevit, *consultorem*. Capitula, scilicet collegia canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, jus habent interveniendi, sicut et Abbates, et omnes qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent.[3] Sacerdotibus etiam aliis fit aditus ad querelas exponendas.[4] Qui *procurationis* habent litteras ab Episcopis impeditis sedent cum Episcopis,[5] suffragium consultivum ferunt, imo decisivum si Concilio placuerit,[6] et decretis subscribunt.[7]

In cætu prævio in quo designantur officiales, pleraque ad ordinem Concilii spectantia statuuntur. Congregationes Sacerdotum ad rerum examen deputantur, qui in consessu publico, Episcopis et Sacerdotibus simul convenientibus, referunt quæ plerisque visa sint: Episcopi autem seorsim convenientes condunt decreta, juxta majorem suffragiorum numerum.[8] In plerisque Conciliis decreta Archi-episcopi nomine, ex consilio tamen et consensu suffraganeorum Episcoporum, eduntur.[9] Ultra hebdomadam continuari non potest Concilium, nisi ob imminentia negotia.[10] Ultima solemni sessione lectis decretis, et probatis, subscribunt Præsules et Procuratores in altari: nec tamen promulganda sunt, donec Romam missa, probata sint: licet autem ipsis qui subscripserunt reclamare, si in aliquibus quis se senserit gravatum.[11]

Concilia Provincialia " pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis,"[12] habentur. Nihil valent decernere contra Universalis Ecclesiæ leges,[13] nequidem suffragante consuetudine adversa, quam licet aliquando oporteat tolerare, non tamen decreto roborare, nisi Pontificia implorata auctoritate.[14] Ejus decreta a Pontifice probata vim obtinent per totam provin-

(1) Conc. Trid. supra cit.

(2) Conc. Rem. an. 1564 apud Hard. t. x. col. 481. Conc. Cameracense t. x. col. 610. Conc. Remense an. 1583, col. 1311.

(3) Gavantus in praxi Conc. Prov. n. 8, 9.

(4) C. Propter Ecclesiast. 1 dist. 18.

(5) Conc. Rem. col. 481.

(6) Benedict XIV. de Syn. l. III, c. xii, §. 6.

(7) Conc. Narbonense an. 1609, c. xxix. in fin. tom. 11. col. Hard. c. xxxii. et Mechlin. col. 1206.

(8) Ferraris, Bibliotheca, Concilium Prov. n. 44.

(9) Rhemensia, Mediolanensia, et alia.

(10) Apud Ferrarim, n. 42.

(11) Conc. Narbonense supra cit. Vide etiam Benedict. XIV. de Synodo l. XIII. c. ii.

(12) Trid. Sess. xxiv. de Ref. c. 2.

(13) Bened. xiv. de Synodo Diæc. l. xii. c. 1.

(14) Ibidem l. viii. § 8.

ciam, nec valet ipse Archiepiscopus ea relaxare,[1] nisi in decretis res præsulum arbitrio fuerit permissa, vel in specialibus rerum adjunctis præsumi facultas valeat. Totum Episcoporum singulorum studium in eo ponendum est ut leges provinciæ stricte serventur, quæ eo dirigi debent ut universalis Ecclesiæ leges demandentur executioni: eo enim magis splendebit unitas ordoque, quo hæ ubique obtinent.

Synodus Diœcesana ex lege Tridentina in qualibet diœcesi quotannis est habenda. Qui ex Sacerdotibus sæcularibus Parochiale obtinent munus, debent omnino intervenire;[2] item Regulares qui curam obtinent animarum.[3] Episcopus suo jure omnes officiales synodi designat,[4] etiam Procuratorem Cleri, cujus est excipere et exponere querelas, vel vindicare jura.[5] *Auctoritas* tota penes Episcopum est, qui *statuta* proponit, eaque, auditis objectionibus, vel firmat, vel mitigat, prout in Domino censuerit.[6] Potestas Episcopi in eo versatur ut generales Ecclesiæ leges, vel speciales Provinciæ executioni demandet, adjectis, si visum fuerit, censuris in eas violantes: nec valet aliquid iis contrarium decernere. Potest tamen aliqua præcipere et statuere ultra leges generales, prout rerum specialis conditio exegerit, quin aliquam controversiam, quam Ecclesia agitari sinit, suo judicio dirimat.[7]

C. XX. DE DISCIPLINA ECCLESIÆ.

Concilia præter fidei definitiones pleraque statuunt quæ ad exteriorem statum Ecclesiæ, ejusque administrationem pertinent, quæ disciplinæ nomine veniunt. Hæc omnes complectitur ritus sacros, salva sacramentorum substantia, quæ a Christo est; omnia jura sacra, iis exceptis quæ Christus ipse statuit; omnes leges Ecclesiasticas, etiam eas quas Apostoli, tamquam Ecclesiæ rectores statuerunt, totamque externam formam, et gubernationem Ecclesiæ, ad quam etiam pertinet pœnas irrogare, dogmatibus divinitus revelatis, et Hierarchia divinitus statuta semper salvis. Totam disciplinam Apostolis et cæteris præsulibus Ecclesiæ Christus Dominus permisit, plena eis facta facultate omnia pro sua prudentia moderandi. Amplissima hæc potestas ex eo liquet, quod eos miserit sicut missus est ipse a Patre, et potentiæ supremæ quam in cælis et in terris accepit, præmiserit mentionem

(1) Bened. xiv. de Syn. l. xiii. c. v. 8.
(2) Ibidem, l. iii. c. 5.
(3) Ibid. l. iii. c. 1. § viii.
(4) l. iv. c. 1.
(5) Ib. § iv.
(6) Ib. l. iii. c. xii. § vii.
(7) Vide totum opus Benedicti xiv. de Synodo Diœc. et Gavanti opus; *Praxis accurata Synodi Diœcesanæ.*

mandato, quo docere et baptizare eis injunctum est, ejusdem potestatis utique factis quodammodo participibus. Quæ ligaverint liganda sunt in cælis, quæ solverint solvenda sunt: proinde eorum est, pro temporum locorumque varietate, ea statuere quæ ad sacrorum munerum decus, ad ordinem servandum, et ad fidelium ædificationem videantur pertinere, eaque, mutatis adjunctis, tollere, si e re Ecclesiæ fuerit.

PROPOSITIO.

Habent Ecclesiæ Præsules, servato ordine sui gradus, auctoritatem disciplinam moderandi, et variandi, pro temporum locorumque varietate.

Probatur. Quum amplissimis verbis data sit Apostolis, et eorum successoribus potestas, debet ad omnia extendi in ordine spirituali, quæ sua veluti natura excepta non sunt: res autem quæ ad disciplinam pertinent nihil in se habent, cur exceptæ intelligantur: ergo habendæ sunt veluti arbitrio, æquitati, et prudentiæ præsulum commissæ. Equidem Apostoli et Presbyteri, Episcopi scilicet, in Concilio Hierosolymitano eam explicuerunt sui muneris partem, dirempta enim, supremo judicio, lite de immunitate gentium a ritibus legis, statuerunt tamquam necessariam abstinentiam a suffocato, a sanguine, et ab idolothytis, eamque districte injunxerunt.[1] Hæc a Paulo fratribus per Syriam et Ciliciam, quos præcipue decretum respiciebat, maxime inculcabatur: de eo enim narratur quod eas peragraverit regiones, "præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum."[2] Ipse et Timotheus, "cum pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, et senioribus, qui erant Jerosolymis."[3]

Paulus etiam se potestate Ecclesiæ ordinem statuendi usurum apud Corinthios significavit: "Cætera autem cum venero disponam.[4]" Diem primam hebdomadæ veteri Judæorum sabbato ab Apostolis substitutam, quamvis ex Scripturis non liqueat, certa tamen et concordi omnium sæculorum ab eorum temporibus, traditione et usu constat.[5] In eo maxime claruit amplissima eorum potestas, quod divino præcepto de diei septimæ sanctificatione veluti neglecto, desiit quippe obligare, novam induxerint obligationem diem alteram, Dominicam merito dictam, ob Christi de morte triumphum celebratum, divino cultui dicandi. Jejunium duobus hebdomadæ cujuslibet diebus ab Apostolis institutum refert Epiphanius.[6] Jejunium

(1) Act. xv. 29.
(2) Ibidem v. 41.
(3) Act. xvi. 4. τὰ δογματα, τα κεκριμένα.
(4) I Cor. xi. 34. διαταξομαί.
(5) Vide Cave's Primitive Christianity p. I. c. vii.
(6) Hær. lxxv.

etiam quadragesimale perpetuo in Ecclesia servatum, ab antiquissimis scriptoribus ad Apostolos auctores refertur. Liturgiæ substantia, quæ ubique eadem est, ex Apostolico fonte manasse merito censetur. Jura præcipua, quibus præter Episcopum Romanum Alexandrinus et Antiochenus antiqua consuetudine potiri a Nicæno Concilio agniti sunt, Apostolicam originem produnt. Ritus præcipui in Baptismo ubique servati,[1] et alia omnia quæ ubique per totam Ecclesiam viguisse noscuntur, quin eorum institutio a Conciliis, Pontificibusve, sanctione aliqua innotescat, jure optimo, juxta Augustini regulam, ab Apostolis tradita creduntur.

Suffragatur tota antiquitas Christiana quæ eandem Præsulibus Ecclesiæ potestatem inesse agnovit. Canones qui in Conciliis tum Œcumenicis, tum particularibus, sunt lati, indubia sunt monumenta ejus exercitii. Severior inducta est tertio sæculo disciplina, et Pœnitentiæ gradus distincti, relicto penes Episcopos indulgentiæ loco. Post rerum vices rigor ille relaxatus est. Plures constitutæ sunt leges quæ omnes Christifideles obligabant; plurimæ quæ solum spectabant clerum, definiebant jura, præscribebant munera, plectebant delicta. Infinitus esset qui vellet omnia hujus potestatis recensere argumenta.

Consonum fuit divinæ Christi sapientiæ, fundamentis suæ reipublicæ jactis, quæ nemo loco movere posset, amplissimam cæteroquin potestatem ejus rectoribus facere, quum enim constaret hominibus ex qualibet natione, et per sæculorum seriem esset duratura, inter infinitas gentium temporumque varietates et vices, sapientissimum erat consilium perpauca statuere quæ varietatem non admitterent, et amplissimam facere rectoribus quos designavit facultatem cætera omnia, prout visum fuerit, statuendi, moderandi, et pro necessitate mutandi: sic enim et omnium provisum est utilitati; et unitati etiam in eo consultum est, quod judicium penes præsules foret.

Obj. 1. Disciplina penes ipsum cætum fidelium est, ubicumque terrarum, cui Christus omnem necessariam potestatem contulit. Matt. xviii. 17, 18. I Cor. v. 4, 5, 13. II Cor. 2, 6, 8. Ita Baptistarum confessio c. xxvii.

Resp. Rectores posuit Christus quibus potestatem omnem delegavit, uti ex ipsis objectis locis constat, nam Apostolos allocutus est apud Matthæum, et Paulus potestatem ipse exercuit, nemine sibi assidente, quamvis spiritu veluti adscitis Corinthiis, quorum causam agebat, incestuosum plectendo; nec nisi eo indulgente reus fraterni consortii juribus est iterum donatus. Nihil certe ex illis locis colligitur quo cætum fidelium sua veluti auctoritate aliquid in disciplina statuere vel tollere posse conficiatur.

Obj. 2. Ipsi Patres Ecclesiæ claves datas tradunt, Augustino dicente, Petrum claves dum acciperet Ecclesiam repræsentasse. Christus etiam ad Ecclesiam discordias referendas jussit.

Resp. Potestas Ecclesiastica in rebus supra naturam versatur, ideoque a

(1) Vide opus jam laudatum Cave, p. 1. c. x.

Deo solo potest provenire: constat autem non fidelium cætui, sed Petro et Apostolis eam tributam. Quod autem dicant Patres nonnulli Ecclesiæ datas claves, facile intelligitur, quum in omnium utilitatem data sit, perpetuò mansura, qua ratione loquendi utimur etiam impræsentiarum, de potestate per Præsules exercenda disserentes. Petrus idcirco Ecclesiam repræsentasse dicitur, quod sibi tamquam ejus Primati data sit potestas, in ejus utilitatem exercenda: "cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam," uti ait Augustinus.[1] Sic Pastor ovile repræsentat, rex regnum, episcopus diœcesim, pater familiam. Quod autem ad Ecclesiam querelæ sint referendæ ex Christi præcepto, de præsulibus intelligendum plane est, nam postquam dixerat Ethnicum habendum quicumque Ecclesiam non audiret, statim Apostolos allocutus est: "Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo."[2]

Obj. 3. Saltem Ecclesia quæque Nationalis auctoritatem habet statuendi, variandi et abolendi ritus; nec ea potestas arctari debet. Art. xxxiv. Anglic.

Resp. Non unius gentis Ecclesiam constituit Christus, sed omnium gentium, et totius ovilis curam uni concredidit, quem cæteris Apostolis præfecit, unitatis servandæ causa. Ergo nulla particularis Ecclesia jura habet specialia ex Christi institutione, sed ordinem sequi debet in Ecclesia Universali statutum, nisi quatenus indulserit suprema ipsius Ecclesiæ auctoritas. Unitas necessariò servanda est, et auctoritati obtemperandum.[3]

Obj. 4. Illa in re disciplinari varietas quæ penes Episcopos dicitur, pugnat cum jactata fidei et dogmatum per omnia sæcula unitate: disciplina enim dogmatibus nititur. Sic pœnitentiæ antiquus rigor cum recentiori indulgentia omnino pugnat, et tota facies Ecclesiæ alia exhibetur.

Resp. Unitas necessariò exigit dogmatum concordiam, et regendi eandem potestatem: sed cætera pleraque variari possunt. Est quidem intimus nexus dogmata inter et disciplinam, quatenus hæc illis nititur, et eorum est index; quapropter jure meritoque pœnitentiæ canonibus utuntur

(1) Tract. 124. in Joan. n. 5.

(2) Matt. xviii. 18.

(3) "All difference between church and church in points of discipline is bad, unless immemorial and prescriptive: or unless induced by the manifest and incontrovertible necessity of *self-preservation*, that is to say, of the preservation of Christianity itself; or unless introduced to the church at large under that authority, and by that mediation, which the world of Christians has recognized as the arbitrator, and pacifier, and chief of its federal system. In proportion as any local church will nationalize its discipline without the previous conditions, which I have mentioned, in the same proportion does it become selfish and inhospitable; in the same proportion does it tend to overrate its own innovations, and to undervalue the blessing of *one heart and soul*, animating the world and owning kindred in truth and in practice, with every true believer in Christ." Clinch, p. 123.

Theologi, ut probent fidem Ecclesiæ semper fuisse pœnas temporales subeundas ad peccata luenda; sed nova disciplina non novum dogma necessariò inducit, manet enim certum apud omnes principium, licet ob hominum infirmitatem jam non injungat Ecclesia severiora illa opera, quæ Novatianis grassantibus, visa sunt injungenda, ad tollendam nimiæ indulgentiæ, quam objiciebant, in gravioribus remittendis delictis, speciem. Qui putant aliam esse Ecclesiæ faciem hodiernam ab illa priorum sæculorum, debent animadvertere omnia in rerum conditione plurimum mutata, solamque superesse Ecclesiam fide eadem, eodemque regimine, per tot vices consistentem.

C. XXI. DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Conciliorum et Pontificum auctoritas in judiciis de fidei controversiis maxime explicatur. Ad hæc referenda sunt quæ de morum principiis aliquando proferuntur, ad doctrinam scilicet pertinet morum statuere regulas, et pravis contra eas hominum commentis damnatis, puritatem et sanctitatem Evangelii vindicare. Id tamen animadvertendum nonnullas aliquando proscribi sententias ob nimiam earum latitudinem, quippe quæ universaliter acceptæ, et in agendi normam assumptæ, possent laxioribus favere moribus, quamvis forsan in aliquo rerum eventu, perspectis adjunctis, possent sustineri. Ad Ethicen autem ampliorem explicationem remittimus.

Cum docendi et definiendi auctoritate intimo nexu conjungitur Ecclesiæ judicium de libri alicujus sensu orthodoxo, vel hæretico: nam pertinet ad doctrinam eos designare libros quibus veritates revelatæ proponuntur, et fideles errorum monere, quibus alias facile imbuerentur, ex librorum qui specie catholici sunt lectione. Hanc potestatem exercuit Concilium Constantinopolitanum II. quod V. Concilii Œcumenici nomen et authoritatem obtinuit; quodque tria capitula, scripta scilicet Theodori Mopsuesteni episcopi, epistolam Ibæ Edesseni ad Marim Persam, et libros Theodoreti adversus S. Cyrillum, damnavit.

Eo in judicio Christi promissiones Ecclesiæ factas allegavit, ut authoritatem et fidem conciliaret: et re quidem vera valuit apud Ecclesiam universam, quamvis vehementius aliquamdiu restiterint plures Ecclesiæ occidentales, quæ œcumenicam Synodi auctoritatem non agnoscebant, et injuriam Chalcedonensi Concilio, quod Ibam et Theodoretum in episcoporum cætum exceperat, inferri putabant. Studium Pontificum ut ubique obtineret, ostendit illis esse persuasum, judicium semel latum, et a Vigilio Pontifice confirmatum, retractari non posse, sed id habere ponderis, quod aliis de fide decretis Ecclesiæ inest. *Œconomia* quidem usi sunt, non statim ab Ecclesiæ consortio præcidendo, qui reluctabantur, quia eos fide consentientes noverant, sed errore facti laborare, quod libros Chalcedonensibus

patribus censerent probatos: nunquam tamen destiterunt donec dissipata omni nebula, judicium apud omnes exceptum sit, pertinacibus episcopis Istriæ tandem abscissis.

Hæc Ecclesiæ auctoritas infallibilis in sensu librorum determinando in quæstionem est vocata, damnato libro Jansenii episcopi Iprensis, qui "Augustinus" dicitur; quum enim inde extractæ fuerint quinque propositiones, quæ totius operis substantiam virusque complectebantur, et in quibus ejus cardo vertebatur, negarunt libri patroni eas eo contineri, saltem eo sensu quo damnatæ sunt: et Pontifices mentem auctoris non esse assecutos fidenter affirmarunt. Multæ secutæ sunt lites, tricæque, Jansenianis eorum placita intra Ecclesiam propagare studentibus, cujus auctoritati in re fidei plenum profitebantur obsequium, errorem *facti*, uti dicebant, in judicio contra Jansenii librum lato allegantes. Eis favere visa est Theologorum certa sententia in factis errari posse, quum ex hominum pendeant testimonio. Cæterum toto cælo distant inter se facta *personalia*, in quibus uti ait S. Thomas, "possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes;"[1] et facta *dogmatica*, quæ personam non respiciunt, sed libri sensum: hæc enim jure optimo ad doctrinam referuntur; et totum Ecclesiæ judicium nititur collatione principiorum quæ libro continentur cum doctrina divinitus tradita. Si ejusmodi judicio error subesse posset, impune grassarentur hæreses, quum quisque verbis Ecclesiæ dogmata profitens, ea pro arbitrio explicaret, quin libri ejus certo innotescerent vitandi: quod Jansenianis contigit, qui ipsa sui magistri placita propagare studebant, menti ejus adhærere profitentes, quæ a Calviniana quinque propositionum interpretatione longe aberat. Allegabant etiam insignes Theologos docuisse Patres VI. Synodi judicando de Honorii Pontificis, ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham, epistolis, errasse, qui scilicet hæretico Honorio anathema idcirco dicebant, quamvis nulla hæresis iis epistolis contineatur. Sed nec hi patroni adhibendi sunt, nec enim ullum protulit judicium Concilium illud de Honorii epistolis, sed ipsi dicebant anathema, (si genuina sint acta) quod scilicet visus fuerit Monothelitis hæreticis connivere, silentium utrique parti injungendo, quum Catholicæ veritatis liberam prædicationem contra novitium errorem urgere oporteret. Putabat Bellarminus eos epistolarum tenorem non rite intellexisse, nec animum Pontificis æque interpretatos, sed falsis rumoribus deceptos, et iniquis suspicionibus abreptos injuriam orthodoxi præsulis memoriæ irrogasse.[2] In re hujusmodi errari posse in comperto est, factum enim est personale, quamvis scriptorum lectio eos movisse dicatur, non sola tamen, nec de eorum sensu prolatum est solemne judicium. Qui Ecclesiæ auctoritatem hac in re propugnant, ea tantum tuentur judicia solemnia quæ libri sensum, prout jacet, respiciunt. Hæc in Galliis per sæcula fere duo exarserunt dissidia, inter

(1) Quodlibet 9. qu. 8. art. ult.
(2) L. 4 de Rom. Pont. c. xi.

Catholicos et Jansenianos; sed Pontifices institerunt, donec ab omnibus de hæresi suspectis juramentum exigi consueverit, se damnare ex animo librum Jansenii *in sensu ab auctore intento*, scilicet quem suo expressit libro. Hermes, Theologus Germanus, qui industria magna et eruditione fidem Catholicam propugnare studuerat, plura excogitavit minus accurata, et a sana doctrina aliena, quæ S. Sedes novissime damnavit. Ejus placitis nimis inhærentes aliqui ejus discipuli, Jansenianorum premere fastigia dicuntur, libros scilicet non rite intellectos affirmantes : sed manet judicium fixum.

Judicia Ecclesiastica aliquando feruntur contra librum, quin certas aliquas propositiones feriat; quo in casu tenendum est librum pravam aliquam doctrinam continere, nisi forsan constet eum cum cæteris scriptis damnari *in odium auctoris*, uti dicitur; quod plerumque contingit de hæresiarchis, aliisve insignibus impietate: Ecclesia enim ut hæreseos odium manifestet, et ut periculo eripiat fideles, latet quippe sæpius sub herba anguis, consuevit scripta omnia primipilorum hæreseos procul a filiorum suorum manibus esse jubere.

In globo, uti Theologi loquuntur, damnantur nonnumquam propositiones plurimæ, congestis scilicet censuris, quin dicatur quæ unicuique conveniat. Hæc damnationis forma a Concilio Constantiensi, a Leone X, et a pluribus Pontificibus adhibita, inservit ut respuantur propositiones, utpote aliqua ex notis appositis dignæ. De iis fusius loqui necessarium hic non videtur.

Quid valeat Ecclesiæ judicium de viri alicujus jam defuncti sanctitate et gloria quæritur : constat quippe martyres tribus prioribus sæculis magnæ venerationi habitos,[1] alios autem pietate illustres parem honorem et cultum sequentibus sæculis obtinuisse. Id autem sæpe contigit ex rei ipsius claritudine, quum enim fidelis aliquis magna cum animi constantia Christum coram Ethnicis fuisset confessus, et inter tormenta lætus obiisset, martyrii memoria quotannis est celebrata, ex fidelium pietate, et Episcoporum assensu. Sic etiam miræ nonnullorum virtutes, quas nonnumquam miracula in vita, et post mortem, eorum invocata ope, patrata, probabant, similem provocabant cultum. Martyrii vel vitæ sanctioris celebritas, et miraculorum frequentia, fecerunt ut cultus quorumdam per universam diffunderetur Ecclesiam ; dum alii nonnisi in quibusdam provinciis colerentur. Qui in Monasteriis vitæ sanctitate claruerunt, sanctorum albo, quod servabant in posterorum exemplum, inserebantur. Ad sæculum usque duodecimum varii fuerunt hac in re mores, donec pontifex Alexander III, ad præcavendos abusus et errores, auctoritatem Sanctos solemniter declarandi, seu, ut aiunt, *canonizandi* sibi reservaverit: ex quo tempore magna adhibita est cautela

(1) Extat epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Polycarpi martyrio apud Eusebium. Inde patet martyrum memoriam quotannis celebrari jam consuevisse, medio sæculo secundo, et eorum reliquias magni habitas.

ne in re tanti momenti aliquis error subesse posset. Haud ægre fatemur fieri potuisse ut aliquis, ex populari opinione et fama, alicubi in veneratione haberetur, qui revera Sanctus non esset: non ita tamen per totam Ecclesiam, vel magnam ejus partem solemnem habuisse cultum, vel solemni decreto inter Sanctos referri. Requidem vera Christum numquam rem adeo fædam in sua Ecclesia ubique obtinere permissurum existimandum est, ut cultus solemnis damnato homini exhibeatur. Speciale Spiritus Sancti lumen Pontifici in canonizatione sanctorum adesse pie credimus, quamvis non fide divina. Pleraque quæ in Breviario referuntur magnam merentur fidem, sed quædam minus certa irrepserunt, ex suppositiis actis martyrum desumpta, vel ex medii ævi legendis, vel aliis documentis haud omnino certis. Id autem dubium non reddit martyrium ipsum, vel vitæ sanctitatem, sæpius enim utrumque certissima traditione, et publico cultu, ab ipso quo floruit sanctus tempore, est celebratum; diu antequam aliquis aggressus fuerit rerum gestarum seriem scripto celebrare.

Judicia Ecclesiastica de personis, seu de speciali aliquo casu, non adeo sunt certa, aliquando enim opinione, vel testium fide, qui fallere possunt, nituntur; quapropter Innocentius III. de excommunicato, qui pœnitentiæ indiciis datis discessit haud absolutus, permisit, ut prævio absolutionis ritu, pro eo, tamquam Ecclesiæ membro, oraretur; hoc autem præmisit sagacissimus Pontifex principium: "judicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam et fallere sæpe contingit, et falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: et qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus."[1] Cæterum ne alicui fiat injuria, Ecclesia formam processus jam ab antiquissimis temporibus instituit, testes examini subjecit, reo se defendendi fecit facultatem, aliasque plurimas adhibuit cautelas, ut quod rectum justumque decerneretur: nec nisi rerum veluti evidentia coactus, potestatem suam censuras irrogando exercere consuevit.[2] Quo magis valuit *in foro externo*, eo cautius lentiusque in criminum indagine processit; sed sublata illa judicii forma et solemnitate in nonnullis regionibus, ea tamen ubique semper adhibenda est diligentia, qua rerum veritas constet. Ubi nulli citari valent testes, nullaque vis sententiæ in foro civili agnoscitur; imo imminente litis periculo sub prætextu famæ læsæ, cum scandalo apud hostes fidei, si allegetur crimen, et ipsorum testium infamia vel pudore, mirum non est Ecclesiasticam potestatem omni externo præsidio destitutam, et odio et discrimini facile objectam, pleraque omittere quæ alias servanda forent, ut omnibus judicii æquitas pateret. Sed de his fusius alio loco.

Sectæ etiam sibi vindicant judicandi potestatem, et criminum graviorum

(1) Cap. A Nobis de Sent. Excom.

(2) Vide Devoti Instit. Can. l. iii. it. 1. § xxvi.

reos, vel sectæ dogmata præcipua impugnantes e suo gremio nonnumquam dimittunt,[1] quamvis se errori in ipsis dogmatibus definiendis agnoscant obnoxios. Injuria autem fieri videtur, dum incerta dogmata in legem judicandi usurpantur, et tribunal pure humanum fidei causam agit, hæresim quam vocant puniendo exclusione a cætu. In sola Ecclesia Catholica æquitas judiciorum in reos contra fidem apparet, quippe quæ veritate dogmatum certo cognita nititur.

C. XXII. DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Potestas quam Præsulibus Ecclesiæ vindicavimus, docendi munus præcipue spectat, una cum sacramentorum dispensatione, et animarum regimine. Provenit a Deo, et ad salutem dirigitur, totaque in eo est ut homines singulos subsidiis supernaturalibus adjuvet, et totam Rempublicam Christianam moderetur, et gubernet. Quum Ecclesia non unius gentis contineatur limitibus, sed per totum terrarum orbem usquequaque diffundatur, ea in imperio, regno, vel republica civili quacumque esse dici nequit. Sunt quidem fideles, qui ad Ecclesiam pertinent, in republica, vel regno, et munia omnia optimorum civium persolvere tenentur, sancte servando leges patrias, et magistratus honore prosequendo: sanctiora munera in Republica Christiana persoluturi. Plurimum laborarunt fidei hostes ut hæc Christiani hominis erga utramque societatem, civilem scilicet et spiritualem, munia secum invicem pugnare ostenderent: et omnem adhibuerunt artem, ut Ecclesiæ potestatem in filios suos imminuerent et impedirent, prout fit plerumque. Sed Constitutione fœderatarum provinciarum omnis denegatur potestas Congressui liberum Religionis exercitium impediendi,[1] quapropter rebus spiritualibus non se immiscet Civilis auctoritas. Præstat tamen, ad accuratam rerum distinctionem, libertatem Ecclesiæ, et supremam in rebus spiritualibus auctoritatem, specialiter vindicare.

PROPOSITIO I.

Potestas Ecclesiæ præsulum in iis quœ ad salutem et animarum regimen pertinent, est plena et suprema; nec pendet ullatenus a potestate civili.

Probatur. Potestas quœ a Deo ipso provenit et amplissimis verbis est data, non pendet ab alia potestate, quæ in res circa quas illa versatur nullam omnino auctoritatem a Deo recepit, nec ullam ex natura rei antea possidebat. Deus autem potestatem Ecclesiasticam Apostolis tribuens, nec eos civili potestati subjici in ea exercenda se velle declaravit, nec ad id rei natura

(3) Presbyterian form of government. ch. viii.
(4) Amendment to the Constitution of the United States, Article 1.

tenebantur: ergo potestatem in his rebus supremam et independentem acceperunt. Equidem Christum non voluisse Apostolos in exequendo ministerio sibi commisso civili potestati subjici patet, verbis enim amplissimis auctoritatem illis demandatam significavit, quin de civili potest ae aliquid diceret: "quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo," et suæ potestatis præmissa declaratione, munus docendi et baptizandi injunxit. "Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi."[1] Et alias: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos."[2] Quum Christus a civili potestate minime penderet in cœlesti tradenda doctrina, auctoritas Apostolis concessa, quæ ab ipso manat, suæque adsimilatur, non est censenda ullatenus a potestate civili pendere. Sic etiam Petro pascendi oves cura, instar Christi, qui pastor est bonus, demandata est, et suprema auctoritas in regno spirituali, scilicet Ecclesia, clavium symbolo designata: nullo dato indicio alterius a qua penderet potestatis. Imo Christus Apostolos monuit eos coram tribunalibus adducendos, et omne suppliciorum genus sui causa a principibus sæculi passuros, hortans ut non timerent eos qui vitam hanc eripere valent. Eorum igitur auctoritatem Evangelicæ veritatis diffusioni adversam nihili faciendam docuit, limitibus civilis potestatis alias indicatis: "reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo."[3]

Apostolus Paulus docet Episcopos a Spiritu Sancto positos ad regendam Ecclesiam Dei,[4] et pastores et doctores a Christo datos in consummationem Sanctorum, et in ædificationem corporis Christi. Monuit etiam Timotheum et Titum, ut munere suo magna cum fiducia fungerentur: "non enim dedit nobis Deus spiritum timoris."[5] Nihil dixit quo insinuaretur principes sæculi aliquas habere partes in rebus spiritualibus, vel eorum auctoritatis adversæ rationem habendam. Equidem Christus et Apostoli civili auctoritati in ordine civili obtemperandum docuerunt; sed nullam eis competere potestatem in res spirituales, exemplo et agendi ratione satis ostenderunt. Patet igitur nullam a Christo civili potestati in eas auctoritatem tributam, sed totam Ecclesiæ præsulibus. Auctoritatem autem in res spirituales ex natura veluti rei, potestati civili non esse annexam, liquet ex fine propter quem hæc statuta est, bonum nempe hominum temporale; ad quod tantum obtinendum hac potestate principes magistratusque civiles fruuntur: potestas autem Ecclesiastica, docendi nimirum veritates a Deo revelatas, sacramenta administrandi, leges condendi quæ obices salutis tollant, et subsi-

(1) Mat. xxviii.
(2) Joan xx. 21.
(3) Mat. xxii. 21.
(4) Act. xx. 28.
(5) 2 Tim. i. 7.

dia ad sanctitatem adipiscendam suppeditent, est plane supra naturam, adeoque nemini competere potest, absque speciali Dei concessione.

Probatur ex historia Ecclesiæ. Per tria priora sæcula fides propagata est, et omnia sacra munia peracta, frustra sævientibus imperatoribus Ethnicis. Postquam imperatores ipsi Christianam amplexi sunt fidem, fuerunt quidem ex illis qui rebus Ecclesiasticis sese nimis immiscerent, præsertim Arianismi fautores ; sed piissimi principes se nullum jus in res sacras habere fassi sunt, et liberam reliquerunt præsulibus facultatem eas suo arbitrio moderandi. Sic Basilius Imperator in VIII. Concilio Œcumenico laicos monuit iis non licere de Ecclesiasticis causis sermonem movere, " hoc enim investigare et quærere, Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui Ecclesiasticas et cælestes claves adepti sunt, non nostrum qui pasci debemus qui sanctificari, qui igari, vel a ligamento solvi egemus."[1] Præsules autem sæpius Principes, ut sese officio continerent, monuerunt. Sic cum laude commemorat Athanasius quæ Osius Constantio respondit : " Ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit ; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Quemadmodum, qui Tibi imperium surripit, contradicit ordinationi divinæ, ita et tu cave ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. ' Date,' scriptum est, ' quæ sunt Cæsaris Cæsari ; et quæ sunt Dei Deo.' Neque igitur nobis in terris imperium tenere, neque Tu thymiatum et Sacrorum potestatem habes Imperator "[2]

Gelasius P. ad Anastasium Imperatorem scribens, eum sui officii memorem facit : " Absit, quæso, a Romano principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam. Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas Sacra Pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis : inque sumendis cælestibus Sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quam præese. Nosti itaque inter hæc, ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium Tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ ; quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysterus ?"[3]

(1) Act. x. col. 920. t. v. col. Hard.
(2) Ep. ad Solit. vitam agentes, p. 456, ed. Bas. 1564.
(3) Ep. iv. ad Anast. col. 893. t. ii. col. Hard.

Ex unitate quam necessariam Ecclesiæ proprietatem demonstravimus, ipsius potestatem supremam esse, et a civili nullatenus pendere, jure meritoque infertur. Si enim ullatenus a principibus vel magistratibus quibuscumque penderet Ecclesiasticæ potestatis exercitium, sacra communionis jura inter fideles diversarum gentium vix servari possent; disciplina regimenque Ecclesiasticum pro magistratus civilis arbitrio variaretur; ipsaque fides gravissimo periculo objiceretur:[1] magistratus scilicet liberam veritatis prædicationem coerceret. Tota Ecclesiæ historia rem facit exploratam, gravissima enim dissidia et calamitates ex civilis potestatis interventu plerumque contigerunt. Imo hodierna rerum conditio in pluribus regnis in quibus civilis potestas sese rebus Ecclesiasticis immiscet, libertatem electionis præsulum, horumque in coercendis subditis arbitrium imminuendo, ostendit unitatem hac ratione magnum pati detrimentum. E contra ubicumque Ecclesia sua gaudet libertate, fidelibus Episcopo suo subjectis, Episcopis Pontifici, pulcherrimus est ordo, unitatis custos.

Objiciunt 1. Dominationem vetuit Christus, et Apostolus Petrus, Paulus autem se fidei haud dominari professus est.

Resp. Jam alias ostendimus Christum tyrannidem, fastumque vetuisse, ne Apostoli præsulesque, instar regum Ethnicorum, potestate sibi tributa gloriarentur, eaque in subditorum gravamen uterentur. Humilitatis igitur commendat exercitium, ut quo magis auctoritate præstant, præeant omnium virtutum exemplo. Id etiam inculcat Petrus. Paulus autem se Corinthiorum fidei non dominari dicit, quod fidei quam profitebantur occasione nullam in eos exerceret tyrannidem, sed potius eorum felicitati studeret, fides enim omnis boni illis erat occasio. Plura scilicet apud Corinthios Apostolicæ potestatis exercitium provocabant, quæ pœnis severissimis se plexurum, ni corrigerentur, minatur. Scribendum tamen prius duxit, itinere dilato, ut pœnarum metu, et suasione delinquentes ad bonam redigerentur frugem. Ne autem existimarent auctoritatem hujusmodi dominationem præseferre, adeo ut fides illorum tyrannidi eos subjiceret, monet eos gaudium, animique veram lætitiam Apostolico ministerio comparari; quum fide in Christo starent, cœlestium bonorum facti participes. "Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum"; non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri: nam fide statis."[2] Cæterum se vera potestate præditum exhibet:

(1) Vide Zallinger l. v. Jus Eccles. pub. n. ecclvi. 1.

(2) II Cor. i. 23. Menochius recte interpretatur "Non dixi *parcens*, vobis, quod dominemur vobis fide, id est propter fidem vestram." Hanc explicationem præbet Macknight, textum Græcum appellans: ουχ ὁτι κυριευομεν υμῶν της πίστεως nam articulus pronomen præcedere debet, ut "fides vestra" intelligeretur, uti ad Rom. c. i. 8. Erasmus Macknight etiam præiverat ἑνεκα Græcorum more supplendum docens. "The Apostle could not say with truth that he and his brethren had not dominion over the faith of all who professed to believe the Gospel." Macknight in locum. τῇ γαρ πιστει ἑστήκατε Videtur conditionem eorum qui in Christo stabiliuntur, ejus donorum facti par

"ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem."[1]

Obj. 2. Potestas illa suprema vel pœnas irrogare valet temporales, utpote ad homines coercendos necessarias, vel inanis erit: jam verò eas absque civilis potestatis injuria ferre nequit. Ergo frustra dicitur suprema.

Resp. Quæ a Christo tributa est Ecclesiæ potestas spiritualis est, ad animarum salutem directa: nec ideo inanis vel levis momenti; censuræ enim, quarum summa est excommunicatio, conscientiam ligant, utpote quæ in cælis ratæ habentur. Equidem Paulus veram potestatem in Corinthium delinquentem exercuit, quamvis pœna ab humanis suppliciis longe differret.[2]

Obj. 3. Ecclesia quæcumque necessariò subjacet Reipublicæ civili, quæ nullum sectarum agnoscit discrimen.

Resp. Nullam Respublica civilis sibi in sacra vindicat auctoritatem, ideoque non pugnat cum suprema Ecclesiæ in rebus sacris potestate. De cælesti Religionis republica docet præclare Augustinus: "legibus terrenæ civitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat. * * * Hæc ergo cælestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem; non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur; nihil eorum rescindens, nec destruens, imo etiam servans ac sequens: quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem qua unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit. Utitur ergo etiam cælestis civitas in hac sua peregrinatione pace terrena, et de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, humanarum voluntatum compositionem, quantum salva pietate ac religione conceditur, tuetur atque appetit."[3]

Obj. 4. Suprema auctoritas civilis debet omnes cives regere, Apostolus enim præcipit: "Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit."[4]

ticipes, indicare, non solam fidei firmitatem. Confer Rom. V. 2. et xi. 20. *συ δε τη πίστει ἕστηκας.* Dixerat quippe Apostolus hoc loco Judæos tamquam ramos fractos, ab arbore vitæ excisos, Christianos vero jam docet ei insertos, fide scilicet Deo intime conjunctos, et pinguedinis gratiæ cælestis participes factos. Gaudium inde ortum significat, sicut et alias: *Πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης ἐν τῷ πιστευειν.* Rom. xv. 13.

(1) II Cor. xiii. 10.

(2) "There is a power within the church to cast those out which do not belong to it; for if any *neglect to hear the church*, saith our Saviour, *let him be unto thee as a heathen man and a publican.* By great and scandalous offences, by incorrigible misdemeanors, we may incur the censure of the Church of God, and while we are shut out by them, we stand excluded out of heaven." Pearson on the Creed, Art. IX. Verba quidem sunt hæc ad fallendum composita.

(3) Aug. de Civ. Dei, l. XIX. c. xvii.

(4) Rom. xiii. 1.

Invigilare etiam debet publicæ saluti, quæ ex Religionis negotio maxime pendet.

Resp. Auctoritas civilis cives omnes respicit in iis quæ ad pacem salutemque publicam directe pertinent, sed nihil valet in rebus supranaturalis ordinis, quæ totæ ex Deo divinisque institutis pendent. Omnis anima sublimioribus potestatibus subjicitur in iis quæ cujusque potestatis ditione continentur; ideoque Christifideles debent omnia boni civis munia explere. Vigilantia rectorum Reipublicæ in eo ponenda est, ut ordo paxque societatis servetur, ideoque puniunt eam violantes prætextu Religionis: sed non debent suam extendere auctoritatem ad res sacras, quas Præsules suo jure moderantur, cum magno morum et publicæ salutis profectu.

Obj. 5. Bonus civis non potest auctoritatem republica superiorem agnoscere; ideoque Catholici patriæ et reipublicæ hostes censendi sunt, principem alienum agnoscentes.

Resp. Nullam agnoscunt Catholici auctoritatem in rebus civilibus præter patriæ rectores legitime constitutos. Patriam amant, concivibus student omnia persolvere charitatis officia; interim Deo inserviunt, Ecclesiæ præsulibus in rebus spiritualibus obtemperantes "in ea republica cujus conditor rectorque Christus est: si et ipsam rempublicam placet dicere, quoniam eam rem populi esse, negare non possumus."[1]

Obj. 6. Suprema illa Ecclesiæ auctoritas civilem auctoritatem evertit, vel infirmat, præsertim quum Romano Pontifici, tamquam Monarchæ, Catholici se subjici profiteantur: quod Bonifacius VIII. de fide tenendum definivit, omnem humanam creaturam de necessitate salutis ei subjiciendam, etiam in temporalibus.[2] Ergo evanescit fides patriæ et reipublicæ debita, vel tota a Pontificis nutu pendet.

Resp. Quæ Ecclesiæ vindicatur auctoritas nullo modo officit civili potestati, est enim ordinis diversi. Pontifex Romanus vices Christi, cujus regnum non est hujus mundi, gerens, nos regit, non regum terrenorum, sed pastoris instar, pabulo doctrinæ, et legibus sanctis, quæ omnes ad animæ salutem diriguntur. Temporali ejus principatui subjiciuntur qui civili ejus ditione tenentur, non autem fideles per orbem, qui patriis adhærent institutis, et ea totis viribus propugnant. Quod Bonifacius VIII. de fide tenendum docuit, spectat ad subjectionem hominum omnis vitæ conditionis Episcopo Romano, tamquam supremo in terris Ecclesiæ rectori. Recepta habet lectio: "Subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis." Quod si alia lectio verior cuiquam videatur, non ideo definitio de subjectione principum in temporalibus est intelligenda, nam disceptando, potius quam definiendo, dicit Pontifex: "Si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali:" Ad omnem

(1) Aug. de civ. Dei. l. ii. 21.

(2) Cap. Unam Sanctam, Extrav. De Majorit. et Obedientia.

tollendam ea de re ambiguitatem, Clemens V. constitutione speciali res revocavit ad eam conditionem in qua fuerant ante editum Bonifacii decretum. Quod autem subjectio Romano Pontifici, tamquam Ecclesiæ Universalis capiti, pronuntietur necessaria, jura principum vel rerumpublicarum non lædit: nam respicit ea quæ ad salutem pertinent. "Unam sanctam Ecclesiam, Catholicam, et ipsam Apostolicam, urgente fide credere cogimur et tenere. * * * Unum corpus, unum caput:" sed plenam et perfectam, in omnibus quæ civilem ordinem spectant, magistratibus et legibus profitemur obedientiam et præstamus; nec in his Pontificis a nutu pendemus. Quæ inter regna Catholica et Pontificem, mediis præsertim sæculis, intercessit relatio, Republica quadem Christiana ex omnibus gentibus, sensim sine sensu coalescente, et Pontificis in gravioribus negotiis a principibus et populis appellato judicio, et implorata auctoritate,[1] non potest in argumentum trahi, in diversa rerum conditione; nec debet iniquis suspicionibus præbere locum, quum Catholici ubique patriis institutis ex animo adhæreant, Pontificis in Ecclesiæ regimine agnita auctoritate suprema.

Obj. 7. Civilis libertas cum suprema illa Ecclesiæ potestate stare nullatenus potest: quum tota regiminis Ecclesiastici forma monarchiam redoleat.

Resp. Civilis libertatis studium cum perfecta Ecclesiæ præsulibus obedientia facile conciliatur, quum illa etiam amplissima populi a dominorum tyrannide vindicet jura, quin quæ Deo persolvere debet quisque munera infirmet. In ipsa nostra Republica qui maxime libertate gloriantur, non Dei excutere volunt jugum, quod suave norunt et leve, bonum utique iis qui a juventute usque ad extremam ætatem illud tulerint. Quo magis a terrena dominatione populus est liber, eo magis indiget sacris Religionis

(1) Liceat viri, in vicino *statu* Neo-Eboraceno, scientiæ juris celebris magistri, et per annos plurimos supremi Cancellarii, verba recitare, ad minuendam invidiam quæ ex Pontificum rebus gestis medio ævo orta est.

"The Emperor Charlemagne made distinguished efforts to improve the condition of Europe, by the introduction of order and the propagation of Christianity; and we have cheering examples, during the darkness of the middle ages, of some recognition of public law, by means of alliances, and the submission of disputes to the arbitrament of a neutral power. * * * Of all these causes of reformation, the most weight is to be attributed to the intimate alliance of the great powers as one Christian community. The influence of Christianity was very efficient towards the introduction of a better and more enlightened sense of right and justice among the governments of Europe. It taught the duty of benevolence to strangers, of humanity to the vanquished, of the obligation of good faith, and of the sin of murder, revenge, and rapacity. The history of Europe, during the early periods of modern history, abounds with interesting and strong cases, to show the authority of the church over turbulent princes and fierce warriors, and the effect of that authority in meliorating manners, checking violence, and introducing a system of morals which inculcated peace, moderation and justice." Kent's Commentaries, vol. i. p. 1.

vinculis quibus veluti sua sponte ligetur, mores ut componat eosque evitet excessus, quibus libertas in licentiam vertitur. Quod ad formam regiminis Ecclesiastici pertinet, Christum habet auctorem, nec humanis institutis est facile conferenda.[1] Est quidem supremus rector, cujus tamen potestas in ædificationem populi Christiani, juxta Christi æquissimas leges, est exerenda. Sed sunt per orbem præsules qui regiminis sunt participes, ad illud evecti merito virtutis, non generis nobilitate. In eo autem reipublicæ Christianæ præstantia claret, quod justitia sit ejus regula, et ad Dei gloriam et animarum salutem dirigatur, et omnibus etiam e plebe pateat aditus ad summas dignitates, quæ electione consueverunt tribui: et in ordinibus Religiosis formam quandam præclaram republicæ videre sit.

Mittimus ea quæ afferre solebant Anglicani exempla ex Veteri Testamento, quibus ostendant reges aliquando ad res sacras auctoritatem suam extendisse; nemo enim non novit in republica Hebræorum ministerio *ordinario* et *extraordinario*, Deum usum fuisse, adeoque dispensatione quændam regibus aliquando munera commissa, quæ alias a Sacerdotibus, vel prophetus fierent: quod quidem de Davide et Salomone præsertim animadvertendum est. Reges etiam divinæ leges se ministros exhibuerunt in impiis tollendis, vel cultu vetito abolendo: quæ autem ex speciali Dei sanctione fiebant non possunt iis suffragari quibus id muneris non est divinitus injunctum.

Ex iis autem quæ statuimus sequitur,

I. Leges omnes civiles quæ de rebus spiritualibus et sacris agunt, ex natura rei nullam vim habere. Igitur nulla valet lex qua libera doctrinæ prædicatio, vel exercitium cultus divini, vel auctoritatis Ecclesiasticæ in rebus spiritualibus, impediatur.

II. Quum ipsa suprema potestas civilis nihil possit in rebus spiritualibus, quicumque ex ea auctoritatem derivant, vel ex mandato, vel vi sui muneris, nihil possunt jure aggredi quod res sacras respicit.

(1) "Whatever be the *authority*, which exists in the christian system, that authority, in its application, must be as different from the execution of worldly force, as it is superior in its origin. To seek for parallels between the *genuine* idea of christian polity, and the several species of profane or human organization of force, I consider to be extreme absurdity. To defend the government of the church as a pure *monarchic*, or as an *aristocratic*, or as a *republican* system, or as resulting from any temperament of these three forms, must necessarily lead into error; and so far, must estrange the mind from the whole of the salutary and everlasting purposes of the gospel, which except in the Catholic church are not known; or cannot be realized. If it were lawful to circumscribe the christian state by any general name, it might more aptly be called a federal system; because its essential compact is *unity*. There is no *monarchy* in the christian church, but that of Christ; there is no *aristocracy*: there is no power of the *commons*. There are ministries and officers distinct, and there are subjects amenable to these offices. But the highest magistrate of spiritual things can only be the next representative of Christ for christians; and Christ has declared, that he came not to have servitude performed unto himself, but to perform it, and to lay down his life as a ransom for multitudes." Clinch. p. 48.

III. Ecclesiæ Præsules libero plenoque jure, juxta Ecclesiæ ipsius sanctiones, suis fungi muneribus debent, quin impediantur a laicis quibuscumque.

Limites utriusque potestatis, civilis et Ecclesiasticæ, non semper feliciter sunt designati. Fuerunt qui dicerent rectores civiles corporibus, præsules animabus imperare; quod tamen haud idoneum est discrimen, utraque enim potestas homines habet subditos, et quamvis civilis auctoritas agenda præscribat, de animo quo fiant parum solicita, totus tamen homo præcepto ligatur, propter conscientiam enim, et non tantum formidine pænæ debet agere. Quæ ad ordinem salutemque publicam quoquo modo conducant a nonnullis civili auctoritati vindicantur: quæ ad salutem, Ecclesiæ relinquuntur; sed vaga nimis est distinctio, pleraque enim possent ad utrumque finem aliqua ratione referri. Placet igitur ea civilis auctoritatis spartam esse legitimam, quæ *directe* pertinent ad ordinem publicum, et reipublicæ profectum ea Ecclesiæ subjici, quæ *directe* animæ salutem respiciunt.

In Republica nostra Ecclesia plena gaudet libertate in prædicatione doctrinæ, exercitio publico cultus, designatione pastorum et Præsulum, et litterarum commercio apud sedem Apostolicam: principium enim est apud omnes exploratum civilem potestatem nihil posse in his quæ spiritualia sunt: quod utinam! semper intelligerent principes et republicæ omnes, quibus principium idem jactantibus sæpius contigit negotiis Ecclesiasticis sese immiscere. Jura sacra conscientiæ etiam constitutione hujus provinciæ, seu *Status*, sarta tecta servantur.[1] Cæterum vix ulla agnoscuntur Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum virorum privilegia,[2] sed personæ omnes et bona Ecclesiastica curiæ civili subjiciuntur. In plerisque provinciis Ministri quicumque sectarum, sicut Ecclesiastici omnes, a civilibus muneribus excluduntur, quamdiu ministerio addicti manent.[3]

Privilegia juraque in plerisque Catholicis regionibus olim agnita recensere vix juvat: ea tamen penitus ignorasse Theologum non decet. Ecclesiastici viri imprimis curiæ Episcopali subjecti sunt, in qua de criminibus agebatur, reique capitalis delicti, prævia degradatione, tradebantur brachio sæculari, ut legibus satis fieret. Bona Ecclesiastica plerumque gaudebant exemptione a publicis oneribus;[4] attamen quum ex constitutionibus omnium fere Europæ regnorum, nec regibus ipsis olim liceret tributis gravare subditos, sed omnes civium ordines, pro suis opibus, rogati conferrent, consueverunt Ecclesiastici regiam prævenire voluntatem, in publicis necessitatibus, et donationis nomine magna conferre subsidia.

(1) Declaration of rights, Sect. iii.

(2) "They are exempt from military duty, and from working on roads. * * * In most other respects the law makes no distinction between them and other citizens." Chitty's Blackstone, l. 1. ch. xi. note 1.

(3) Vide Constitution of New York, Delaware, Kentucky, &c. &c.

(4) Aliquando Ecclesiæ lege eximuntur a consuetis oneribus, quæ *tax* nomine veniunt; quod in hoc *statu* contingit.

Causæ omnes in quibus de jure ad beneficia agebatur, vel alias de bonis temporalibus cum spiritualibus connexis, ad Ecclesiasticum forum referebantur; sicut et causæ matrimoniales ob sacramenti sanctitatem, et ne cum verecundiæ detrimento ad publicum tribunal traherentur.[1] Apud Anglicanos curia Ecclesiastica adhuc habetur, et decernit de decimarum, aliorumque stipendiorum Ecclesiasticorum solutione, de causis matrimonialibus, et de re testamentaria.[2]

C. XXIII. DE SALUTE IN SOLA ECCLESIA.

Quum Ecclesiam a Christo Domino institutam esse constet cui rectores præfecti sunt, docendi et regendi induti auctoritate, in ea tantummodo, credendo et obediendo iis quæ tradunt præsules, salutem obtinendam esse censendum est: nec enim nisi per Christum, et subsidia quæ ipse nobis reliquit, salutem licet sperare. Ea quidem fuit omnium Sæculorum a Christo vox et fides, adeo ut ipsi decimi sexti Sæculi Novatores eam in suis fidei professionibus verbis amplissimis enuntiarint. Sensim tamen sine sensu ad eam devenerunt sentiendi et opinandi libidinem, ut jam charitatis nomine dignentur eam quam exhibent errantibus fallacem securitatem, nec audeant interitus minas eis amplius intentare. Presbyteriani quidem adhuc in sua fidei confessione nullam dari dicunt ordinariam salutis possibilitatem extra Ecclesiam,[3] quam tamen laxiori sensu intelligunt. Anglicani reprobant dicentes unumquemque juxta legem sectamve suam salutem posse assequi; nec tamen quid ad salutem exigatur definiunt.[4] *Amici*, quos *Quakeros* vocant, tenent universis prorsus hominibus lumen interius dari, quo quæ ad salutem spectant noscere valeant, et salutem reapse assequi, etsi ignorent historiam Jesu.[5] Catholica doctrina in Concilio Lateranensi III. exposita est his verbis: "Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur."[6]

(1) Blackstone animadvertit; "these causes partly from the nature of the injuries complained of———soon became too gross for the modesty of a *lay* tribunal, l. iii. c. vii. n. 93. Oportuit dicere, "for a *public* tribunal," sed semper se parum æquum Clero et Ecclesiæ prodit.

(2) Ibidem.

(3) "Out of which there is no ordinary possibility of salvation. cxxv.

(4) Art. XVIII. "They also are to be had accursed, that presume to say, that every man shall be saved by the law or sect which he professeth, so that he be diligent to frame his life according to that law, and the light of nature. For holy Scripture doth set out to us only the name of Jesus Christ, whereby men must be saved." 39 Articles.

(5) Vide Prop. v. vi. et Apol. Barclay.

(6) Con. Lat. III. cap. firmiter.

Attamen, absque ulla erroris nota, docuerunt Theologi præstantissimi posse salutem consequi, non tantum infantes á quocumque fuerint baptizati, hi enim baptismo Ecclesiæ membra fiunt, sed alios plurimos adultos, qui baptismo suscepto mysteria præcipua fidei fuerint edocti, eaque divina adjuti gratia profitentur, erroribus cæteroquin illaqueati, absque animi pertinacia, quæ hæresis virus est, et crimen.[1] Qui, igitur, *ignorantia invincibili* laborant alicujus fidei veritatis, infortunio suo, potius quam culpa, errori a majoribus hausto adhærentes, ea tamen animi dispositione qua veritatem satis propositam amplecterentur, censentur ad Ecclesiam pertinere, quamvis in Sectis eos versari contigerit. Omnes autem qui veritati cognitæ repugnant, vel eam renuunt profiteri, humanas divinis anteponentes rationes, hominumque gloriam magis quam Dei diligentes, vel turpi lucro inescati, vel qui ex animi superbia veritati satis promulgatæ haud assentiuntur, extra Ecclesiam plane sunt, ideoque a salute alieni. De cæteris valeat celebre Augustini effatum : "Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed a seductis et in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi."[2]

De iis qui baptismum non acceperunt non est concors sententia Theologorum ; constat quippe votum illius suscipiendi exigi, ut quis justitiam salutemque assequatur : utrum vero illud censendum sit contineri proposito generali omnia quæ Deus jusserit faciendi, quin aliquid de baptismo ipso audierit, disceptatur. Plures existimant explicitum baptismi votum, una cum fide explicita mysteriorum præcipuorum, Trinitatis, scilicet, et Incarnationis, requiri, adeo ut nemo alterutro carens justitiam consequatur, etiamsi ignorantia nulla sua culpa contingat. Sunt tamen insignes Theologi qui putant eos quibus Evangelium non est annuntiatum, posse salutem assequi iis conditionibus quibus ante primam ejus per Apostolos promulgationem haberi poterat, scilicet, si ex interiori gratiæ lumine et motu fide divina teneant Deum existere, et requirentibus se esse remuneratorem, quod ex primæva revelatione ad universos fere homines transmissa, quamvis erroribus sæpius offuscetur, noscere licet : et si Deum reapse toto corde requirant, de peccatis pœnitentes, et mandatis ejus parere parati.[3] Id certum est ipsam infidelitatem quam vocant pure negativam, eorum scilicet quibus Christus non est prædicatus, peccatum non esse ; contraria enim

(1) Vide opus novissime Romæ editum : *Prælectiones Theologicæ a Joanne Perrone, e. S. I. vol. i. Prop.* xi. *p.* 340.

(2) Ep. 43. al. 162.

(3) Vide utriusque sententiæ patronos commemoratos a B. Alphonso de Ligorio l. II. c. 1. n. 2. Theol. Mor. Cardinalis Gotti inter mitioris sententiæ fautores nominatur.

Baji propositio est damnata.[1] Certum quoque est fidem divinam requiri, nec sufficere humanam quandam et naturalem persuasionem; eamque debere Dei existentiam et præmia largientem famulis suis explicite spectare, cætera saltem implicite.

Hæc sententiarum latitudo de eorum conditione quibus Evangelium non est annuntiatum, displicuit plurimis Protestantibus, qui alioquin duritiei nos insimulant, quod salvandum negemus, qui vel unum fidei articulum, satis propositum, animo pertinaci neget. Cæterum non nostra, sed Evangelii est doctrina, quam omnes retro tenuerunt sanctissimi scriptores, charitatis licet studio insignes.

PROPOSITIO I.

Nullus hereseos reus, scilicet qui animo pertinaci rejicit aliquam veritatem revelatam satis sibi propositam a legitimis Verbi præconibus, potest in ea animi conditione salutem assequi.

Probatur. Christus mittens Apostolos dixit: "Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur."[2] Liquet igitur eum qui renuit credere Evangelio ab Apostolis, vel Apostolico ministerio, prædicato, non posse salutem assequi: evangelium autem omnia quæcumque tradidit Christus complectitur, uti constat ex loco parallelo Matthæi,[3] quo idem munus a Servatore Apostolis demandatum explicatur. Ergo quicumque omnibus non crediderit, condemnabitur. Consonat Paulus: "Ideo habentes administrationem * * non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum: in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei."[4] Ministerium, quo se fungi dicit Apostolus, διακονίαν, veritatem Evangelicam, absque ulla erroris admixtione, respicit; quam qui respuerint, tenebris a dæmone menti offusis impediri eos ex laudatis verbis patet, et in perditionis statu versari. Scribit etiam ad Titum: "hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus."[5] Hæreticus homo, uti supra vidimus ex Tertulliano, est quisquis suam sententiam divinæ doctrinæ ab Ecclesia propositæ anteponit quod ex loci contextu colligitur, dixerat enim Paulus: "Stultas autem quæstiones, et genealogias,

(1) Prop. 68.
(2) Marci. xvi. 15.
(3) Matt. xxviii. 20.
(4) II. Cor. iv. 1.
(5) Titus iii. 10.

et contentiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ.[1] Videtur igitur gradum facere ad hæresim, ad quam ducunt vanæ illæ de lege controversiæ: quapropter monet Titum, hominem jam pertinacem erroris vindicem esse devitandum, utpote de cujus salute vix ulla supersit spes, quum electione novi dogmatis subversus sit, fide amissa, et peccet, et damnationi æternæ obnoxius fiat. Alia Scripturæ testimonia dabit Pearson.[2]

Id ab initio rei Christianæ omnibus persuasum est. S. Ignatius M. scribit: "Si quis hæreticos secutus fuerit, hæres regni cælorum non erit."[3] S. Irenæus: "hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, a cælesti igne comburentur, quemadmodum Nadab et Abiu. Qui verò exurgunt contra veritatem, et alteros adhortantur adversus Ecclesiam Dei, remanent apud inferos, voragine terræ absorpti, quemadmodum qui circa Chore, Dathan, et Abiron."[4] S. Cyprianus dæmonis fraudi tribuit, quod hæresibus homines ad interitum trahantur.[5] "Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit."[6] S. Ambrosius: "Omnes quoque hæreticos et schismaticos a regno Dei, et ab Ecclesia intellige separatos: et ideo non Dei, sed immundi Spiritus omnes schismatum hæreticorumque liquido claret esse conventus."[7] Alia plurima Patrum testimonia facile esset coacervare, sed supervacaneum est. Solum superest effugium Protestantibus ut dicant agi de hæresibus contra ipsos articulos fundamentales; sed manifestum est Patres nullum hujusmodi discrimen nosse, et omnes hæreses perniciem animæ afferre censuisse.

(1) Titus iii. 9.

(2) "The necessity of believing the Holy Catholic Church appeareth first in this, that Christ hath appointed it as the only way unto eternal life. We read at the first, that *the Lord added to the church daily such as should be saved;* and what was then daily done, hath been done since continually. Christ never appointed two ways to heaven; nor did he build a church to save some, and make another institution for other men's salvation. *There is none other name under heaven given among men whereby we must be saved*, but the name of Jesus: and that name is no otherwise given under heaven than in the church. As none were saved from the deluge but such as were within the ark of Noah, framed for their reception by the command of God: as none of the first-born of Egypt lived, but such as were within those habitations, whose door-posts were sprinkled with blood by the appointment of God for their preservation, as none of the inhabitants of Jericho could escape the fire or sword, but such as were within the house of Rahab, for whose protection a covenant was made so none shall ever escape the eternal wrath of God, which belong not to the church of God." *Pearson on the Creed, Article IX.*

(3) Ep. ad Phil.

(4) l. iv. adv. hær. c. xliv.

(5) Vide supra p. 135.

(6) lib. de unitate Eccl.

(7) l. 7 in c. xi. Luc.

Suffragatur ratio, posita revelatione. Deo per legatos nos edocenti denegare fidem in re aliqua est summa sapientiæ divinæ injuria: vel enim ratio ipsa divinæ auctoritati reluctatur, quod impium est, vel de divina revelatione non satis constare contenditur, quod in Dei cedit injuriam, quatenus non satis consuluisse censetur certæ promulgationi suæ doctrinæ.

Obj. 1. Quæ ex Scripturis adducta sunt non probant doctrinæ hodiernorum præsulum necessario credendum, sed Evangelio ab Apostolis prædicato, hi quippe specialiter sunt missi, et divinitus afflati, adeo ut excusatio nulla esse potuerit non credentibus. *Macknight, in locum Titi.*

Resp. Evangelica prædicatio non suam mutuata est vim ab Apostolis, sed a Christo qui eos misit, quique promisit se usque ad mundi finem Apostolico ministerio adfuturum. Est igitur nulla justa excusatio non credentibus, quum eadem semper sit ratio credendi, divina Christi auctoritas.

Obj. 2. Evangelium salutem per Christum præcipue significat: hæresis vero negationem doctrinæ fundamentalis pertinacem, violata Ecclesiæ pace. Igitur de quocumque errore intelligi nequeunt objecta testimonia. Ita fere *Doddridge*, a Macknight laudatus.

Resp. Bonum quidem nuntium Evangelium significat, sed eo nomine veniunt omnia quæcumque mandavit Christus, uti ex collatis Matthæi et Marci, de munere Apostolis injuncto, textibus liquet; nec alias intellexit Paulus, qui totum Dei consilium, veritatem integram revelatam, absque ulla adulteratione, ea voce complexus est. Hæresis autem est privata cujuscumque sententia, veritati ab Apostolico ministerio propositæ contraria: nam vox electionem sententiæ significat, usuque sacrorum Scriptorum ad errorem contra fidem exprimendum determinatur. Nihil est quo probetur errorem necessario debere fundamentalia, uti aiunt, dogmata respicere; sed e contra constans omnium sæculorum usus probat quemcumque errorem pertinaciter propugnatum, etsi pax generalis Ecclesiæ non ideo turbetur, ea voce designari.

Obj. 3. Hæresis ab Apostolo intelligitur error ex prava animi indole ortus: nec enim quæ animo insederit sententia, etsi forsan falsa, potest in culpam reputari, si eam quis amplexus fuerit post preces effusas, et examen diligens. Ita *Macknight*, a definitione *Doddridge* dissentiens.

Resp. Apostolus eo loci hæreseos fontem non indicat, sed merito dicit hæreticum peccare, et ob arbitrii sui et intellectus abusum damnandum. Alias quidem satis ostendit superbiam eo ducere, postquam enim plurima de omnium muneribus tradiderat Timotheo, adjunxit: "hæc doce et exhortare. Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ; superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt."[1]

(1) I Tim. vi. 2.

Cæterum maluit apud Titum hæresim ipsam denotare, utpote per se crimen gravissimum, quod hominem ad certum interitum perducere natum est. Quod autem *Macknight* sibi persuadere non valeat hominem reum esse, qui precibus et examine prævíis, in aliquem incidit errorem, nihil officit Apostolo declaranti hæreticum plane perditum esse hominem: occulta enim sæpe serpit superbia, qua veritatis aditus occluditur, et homo in ejus pœnam sibi relictus errat cum suæ salutis dispendio. Cæterum humilium precibus qui veritatem toto corde exquirunt, et subsidiis quæ Christus dedit, utuntur, nil negat misericors luminum Pater.

Obj. 4. "Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum."[1] Ergo omnes sectæ Christianæ in via salutis sunt.

Resp. Cognitio Dei, et Christi Jesu ad salutem necessaria, est fides omnium quæ Christus docuit: nam si qualiscumque sufficeret cognitio, Socciniani certe, qui Christum a Deo missum agnoscunt, salutem possent assequi, quos tamen a salute alienos habent plerique Protestantes. Captivetur igitur necesse est intellectus in Christi obsequium, et omnis scientia extollens se adversus scientiam Dei destruatur.

Obj. 5. Plures inter sanctos coluntur qui errores, inter hæreses nunc enumeratos, magno animi nisu, imo pertinacia quadam defenderunt. Sic Millenariorum error Justinum aliosque habuit propugnatores; rebaptizantium, Cyprianum, plurimosque præsules. Ergo error circa articulum minorem saluti non officit.

Resp. Error non officit saluti, sed animi in eo tuendo pertinacia, quæ tunc habetur quando Ecclesiæ docenti quis recusat assentiri, suam supremo ejus judicio opinionem anteponens. Patres nonnulli sanctitate licet insignes, minus recte de nonnullis doctrinæ capitibus senserunt, antequam solemni Ecclesiæ judicio res foret eliquata: nemo autem ex illis fidei definitiones rejecit. Quæ tamen de millennio Justino aliisque Patribus arrisit opinio, longe distat a Corinthiorum impuris somniis. Quæ Cypriani fuit de baptismate ab hæreticis collato sententia, decreto Stephani Pontificis vetita est, ne in regulam adhiberetur, sed nulla solemni definitione est proscripta. Quamvis, igitur, ipse vel alii humani quid passi videantur, ut suis sententiis nimis inhærerent, non tamen pertinaces et rebelles Ecclesiæ definienti extiterunt.

Obj. 6. Ideo hæresis culpa gravis habetur, quod divinæ sapientiæ veritati, et majestati detrahit: atqui nemo ei detrahere vult, quum non Deo ipsi, sed homini Dei auctoritatem sibi vindicanti fides denegetur.

Resp. Insania quidem foret Deo ipsi loquenti denegare fidem, sed in Deum peccatur, dum eæ quas revelavit veritates, ab iis promulgatæ quibus id muneris demandavit, temere rejiciuntur, nam eos sui instar audiendos

(1) Joan. xvii. 3.

præcipit, Christus quippe dixit "qui vos audit me audit: qui vos spernit me spernit, et qui me spernit, spernit eum qui misit me."[1]

Obj. 7. Hæresis de qua loquuntur sacri scriptores est error contra Christum Deum, vel alius certe gravissimus. Hæreticos hujusmodi appellat *magistros mendacii qui introducunt sectas perditionis, et eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.*[2]

Resp. Utique sacri Scriptores de iis disserunt hæresibus quæ jam grassari cæperant, hæ tamen non tantum Christo Deo adversabantur, sed aliis etiam fidei veritatibus: Hymenæum enim et Philetum, dicentes resurrectionem jam esse factam, a veritate excidisse, et fidem aliorum subvertisse tradit Apostolus.[3] Hymenæum et Alexandrum naufragos circa fidem Satanæ se tradidisse testatur, forsan anathemate percutiendo, ut a blasphemiis tandem aliquando sese abstinerent.[4] "Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.[5]

Obj. 8. Alienum est a divina pietate tot Christi cultores ob errores circa res minoris momenti æternis mancipare suppliciis.

Resp. Nulla doctrina solemniter ab Ecclesia definita, et proposita, parvi fieri potest, nam Deus inquit: "Ego sum Dominus Deus tuus docens te utilia."[6] Quicquid Deus revelaverit utilitatem sane magnam habeat necesse est, saltem ratione habita cæterarum veritatum quibuscum, indissolubili veluti nexu, conjungitur. Totam quidem revelationem incertam reddit, qui ipsam auctoritatem qua innotescit in quæstionem vocat, aliquam doctrinam denegando. Si liceat dogma unum denegare, cætera omnia impune etiam denegabuntur, nam de Deo revelante non constat nisi per Ecclesiam, quæ nobis veritates credendas proponit. A divina pietate alienum non est, eum qui præconibus fidei pertinaciter recusat assentiri, damnare, cum divinam plane spernat in iis auctoritatem: "qui vos spernit me spernit."[7] Apostolus sane de omnibus qui non obediunt Evangelio ait: "pœnas dabunt in interitu æternas."[8]

Obj. 9. Vetat charitas ne alios damnandos prædicemus.

Resp. Nobis jus non est aliquem, arbitrio veluti nostro, damnandi, nec conditiones statuere salutis, sed quæ Deus decrevit humiliter addiscere, aliisque annuntiare. Fidem ad salutem requiri, S. Paulo docente, didicimus, sine fide autem impossibile est placere Deo,[9] eamque esse intellectus captivitatem in Christi obsequium, eodem magistro, novimus. Dum igitur

(1) Luc. x. 16.
(2) II Pet. ii. 1.
(3) II Tim. ii. v. 17.
(4) 1 Tim. i. 19.
(5) II. Joan. i. 9.
(6) Isaiæ xlviii. 17.
(7) II Thess. 1. 9.
(8) Luc. x. 16.
(9) Heb. xi. 6.

prædicamus fidem omnium quæ Christus docuit esse necessariam, nec unum dogma absque salutis discrimine in quæstionem vocari posse, divina nitimur auctoritate; nec charitatem violamus, sicut nec Apostolus qui pœnas æternas incredulis minatus est. Cæterum solidissima hæc fidei principia vindicantes, neminem judicamus, fatemur quippe animi pertinaciam ipsam esse hæreseos essentiam; et quamvis præsumendum videatur eam plerumque reperiri in iis quibus veritates revelatæ a legitimis præconibus Evangelii proponuntur credendæ, si " * * etiam opertum est. Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum;"[1] tamen quum corda soli pateant Deo, et subsidia gratiæ mira varietate distribuantur, judicium de singulis qui decedunt Deo servamus.

Obj. 10. Homo integer vitæ, in homines beneficus, et in Deum pius, Deo acceptus esse debet, quamcumque formam cultus sequatur, vel cuicumque adhæreat sectæ.

Resp. Deus intellectus et voluntatis meretur obsequium, et veritas ejus non minus quam sanctitas est honoranda. Qui mores componit suos juxta rationis dictamina, debet etiam Deo revelanti credere, et cultum, prout ipse præscripsit, præstare. Si divinam revelationem integram et perfectam haud amplectatur, et ea ratione Deum haud colat, quo ipse se jussit colendum, non potest Deo gratus esse. Variis erga homines officiis eorum conciliamus affectum, sed Deum nonnisi fidei humilitate et mandatorum observantia demeremur. Hinc non dubitavit Augustinus scribere: "Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum."[2]

Obj. 11. Fides ex hominum arbitrio non pendet, Dei enim donum prædicatur: ergo nec error circa fidei doctrinam potest culpa haberi, quum oriatur ex doni gratuiti defectu. Præterea intellectus humanus liber non est, judicium enim, etiam nobis invitis, fit argumentis menti exhibitis.[3] Quod quis rejiciat aliqua dogmata, ex voluntate non provenit, sed ex minori argumentorum pondere, vel ex intellectus viribus tenuioribus. Infinita pene sententiarum varietas de rebus Religionis, quæ supra hominis captum sunt, magis excusanda videtur, quam ipsa quæ in rebus humanis contingit.

Resp. Donum Dei fides certo habenda est, homo tamen sæpius fit reus sui cordis portam obice quodam claudendo. Christus ipse id docet apud Joannem: "qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim

(1) II Cor. iv. 3.

(2) Ep. cxli. alias clii. ad populum factionis Donatianæ.

(3) "No man can change his opinion when he will." Jeremy Taylor's liberty of prophesying, p. 286.

eorum mala opera."[1] Deus "omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,"[2] ideoque, qui, data occasione, veritatem non agnoscunt, suo vitio lumen cæleste excludunt. Intellectus humanus in se liber non est, quum sit percipiendi potentia, sed adeo cum voluntate connectitur, ut ex ea plurimum pendeat: ideo culpandus est homo, qui, pravam fovens voluntatem, de rebus Religionis cogitare negligit, precesque Deo, omnis doni largitori, fundere, ut velit suo lumine mentem illustrare; et qui non omne adhibet studium in salutis negotio. Si quædam rejiciat dogmata, non id argumentorum defectu contingit, nam omnia dogmata eadem nituntur Dei auctoritate; nec ad vires infirmas mentis referendum est, nam simplices et sapientes veritatis divinæ argumenta certissima agnoscunt; sed ex nimia sui fiducia, vel præjudiciis, vel terrenæ utilitatis studio, vel alio ex capite hujusmodi plerumque oritur. Infinita illa sententiarum diversitas excusanda certe foret, si Deus nil revelasset, vel revelationis haud dedisset indicia; sed lumine Evangelii fulgente, et Christo per Apostolicum ministerium docente, non eadem erit venia. Ideo dixit: "Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo."[3]

COROLLARIA.

I. Hæresis, quæ in pertinaci rejectione veritatis alicujus revelatæ, satis propositæ, sita est, grave est contra Deum peccatum.

II. Ubi illa animi pertinacia deest, deficientibus subsidiis ad veritatis notitiam, *ignorantia invincibili* quis laborare dicitur, ideoque ab hæreseos labe excusatur.

III. Quum interiora gratiæ auxilia, sicut et exteriora, innumera sint, Deus enim ubique adest, multisque et miris modis hominem ad se vocat, et attrahit, non facile sectariis blandiri debemus, se ignorantia excusandos affirmando, absque discrimine; nec tamen durius aliquid de singulis qui decedunt proferre, Deo enim soli corda patent.

IV. Constans venerandorum Patrum sermo eo tendit ut, hæretici sui periculi moneantur, ea tamen ratione, quæ Dei gloriæ et animarum salutis studium prodit, non animum infensum; hæreses enim odisse et summopere detestari oportet, utpote divinæ veritati adversas, errantes diligere, et omni officio charitatis ex animo prosequi. Cavendum ne quid nimis, vel fidei zelo, vel popularis captandæ auræ gratia.

Sicut hæreseos naturam plerique recentiores ad errorem contra dogmata præcipua restringunt, sic et schismatis novam præbent notionem, quippe scissionem et divortium quod ex hæresi oritur schisma vocant. Catholici

(1) Joan. iii. 18.
(2) I Tim. ii. 4.
(3) Joan. xv. 22.

e contra schismatis nomine intelligunt divortium ab Ecclesiæ unitate, etiamsi omnia fidei dogmata retineantur. Schismatici dici consueverunt Græci, eo quod pleraque dogmata retinuerint, nec ex propugnata hæresi primum divulsi a nobis sint: ambitio quippe Photii, qui Constantinopolitanam occupavit sedem, detruso legitimo Patriarcha Ignatio, prima discidii fuit occasio. Geminæ quidem sunt sorores hæresis et schisma, nec facile separantur, quum eidem auctoritati, divinitus statutæ ad veritatem et ordinem tuendum, reluctentur: "neque enim aliunde hæreses obortæ sunt," inquit verissime Cyprianus, "aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur."[1] Schisma omnino fit, quando ipsa suprema regiminis auctoritas rejicitur: sed schismatis quoque est genus, divortium a legitimo præsule, qui communione sanctæ sedis fruitur: nam per præsulem communicant fideles cum summo Pontifice. Contingere autem potest ut quis bona fide schismatico adhæreat, eum legitimum putans esse præsulem, vel inter schismaticos degat, quin noverit quo tenentur reatu. De iis loqui volumus, qui, mala fide, vel sua certe culpa, schismate irretiuntur.

PROPOSITIO II.

Schismatici non possunt salutem assequi.

Probatur. Qui Ecclesiam non audiunt, juxta Christi verbum, instar Ethnicorum et publicanorum habendi sunt, alieni proinde a salute: schismatici vero Ecclesiam non audiunt, nec enim subesse præsulibus legitimis volunt, nec ordinem servare cujus Ecclesia est custos: ergo nequeunt salutem assequi. Scribit Apostolus ad Hebræos: "Obedite præpositis vestris, et subjacete eis."[2] Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. Hic plane designantur præsules, qui locuti sunt verbum Dei, nam eadem vox Græca utroque loco occurrit: ergo qui refragantur, violant ordinem præceptumque divinum: nemo autem violati præcepti reus, potest in ea animi conditione salutem assequi.

Probatur II. Ex constanti et universali scriptorum Christianorum doctrina. S. Ignatius, jam laudatus cum aliis, quando de unitate agebatur: "Ne erretis fratres mei: si quis schisma facientem sectatur, regni Dei hæreditatem non consequitur."[3] S. Cyprianus per totum librum de unitate, et passim per omnia ejus scripta.[4] S. Augustinus: "foris ab Ecclesia constitutus, et separatus a compage unitatis, et vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris."[5]

(1) Cypr. ep. lv.
(2) Heb. xiii. 17.
(3) Ep. ad Phil. c. iii.
(4) Supra p. 143.
(5) Ep. clxxiii. alias cciv. ad Donatum.

Probatur. III. Omnibus testimoniis quæ probant Christum rectores in Ecclesia posuisse, præsertim supremum, delegata ampla facultate regiminis, cum divina sanctione: qui enim huic potestati resistit, Dei ordinationi manifesto resistit, et proinde damnationem justissimam et certissimam sibi inducit. Equidem schismaticus divinæ majestatis læsæ reus est, ordinem evertere conatur summa sapientia Dei Filii dispositum, Ecclesiam objicit maximo discrimini, charitatis vinculis disruptis, in plurimas discerpit partes, quam unam esse Christus, paulo ante mortem, enixissime precatus est.

Obj. 1. Apostolus ad Corinthios, schismate licet divisos, scribens, eos sanctos appellat, "cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi."[1]

Resp. Dissensiones, et contentiones de quibus queritur Apostolus, nondum in schismata ejusmodi de quibus agimus, eruperant, quamvis enim se audisse dicat schismata inter eos esse, vocabulum mitiori sensu usurpat,[2] de singulorum inter se dissidiis, studiisque partium: convenientes scilicet ad agapen celebrandam, et Eucharistiam, haud expectabant fratres, sed pro suo arbitrio, fraterna charitate posthabita, epulum sibi sumpserunt. Sic etiam Paulo aliqui gloriabantur magistro, alii Apollo, alii Cepha, in doctrina quidem unanimes, in hominibus gloriantes, cum charitatis jactura.[3] Sanctos autem vocatos dicit ob eorum vocationem ad Christi fidem, qua ad vitæ sanctitatem tenebantur. Omnes autem qui invocant nomen Christi, ii sunt qui, fide consentientes, eum implorant in Ecclesiæ unitate. Ideo hortatur Ephesios, ut sint "soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.[4]

Obj. 2. Cephas, Paulus, Barnabas, licet aliquando inter se dissiderent, a salute non erant alieni.

Resp. Nemo ex illis ab Ecclesia universali abscissus est. Cephæ ratio agendi ob periculum offensionis haud probabatur Paulo, qui saluti et libertati gentium consuluit, eum reprehendendo. Barnabas, Marcum comitem itineris assumpsit, et a Paulo, qui eum ob priorem culpam noluit iterum admitti, discessit;[5] sed illa amplior indulgentia, et itineris divortium, communionem nullatenus abrupit.

Obj. 3. De instituto a Christo regimine non satis constat, ut quis schismatis criminis arguatur, quod a cujusdam Ecclesiæ vel sectæ Christianæ discedat communione.

Resp. Constat omnino, nam selegit Apostolos, amplissimisque verbis eis pollicitus est, et concessit potestatem, ipsa a patre sibi concessa potestatis plenitudine in vadimonium data. Quis posset sibi fingere Christum

(1) I Cor. i. 2.
(2) I Cor. xi. 18.
(3) C. i. 10, 11.
(4) Eph. iv. 3.
(5) Act xvi. 39.

fidelium multitudinem per orbem nullo communionis sanctæ vinculo voluisse connecti, vel nullam qua omnes ligarentur instituisse auctoritatem? Profecto regnum desolationi objectum, domus divisa, brevi ruitura, foret societas hujusmodi.[1]

Obj. 4. Saltem Protestantibus schismatis vitium objici non potest, nec enim ab Ecclesia discesserunt. Lutherus ipse professus est se sub Papatu vivere velle, dummodo Evangelium liceret prædicare. Anglicani ipsam Ecclesiam reformarunt, nulla nova conflata secta. Quod si schismatici habendi sint, quod Præsules Romani vel Concilium Tridentinum eos anathemate percusserint, sic et veteres sanctissimi viri quos Victor, Stephanus, aliique, eadem tyrannide opprimere conati sunt, schismaticis forent accensendi.

Resp. Schisma maximum a Luthero fuit factum, præter enim monstra horrenda doctrinæ quæ mens fervidior peperit, violavit et subvertit totum Ecclesiæ ordinem. Quod autem se ea conditione sub Papatu remanere diceret, quod Evangelium liceret prædicare, irridendo pro more dixit, Evangelii nomine nova sua commenta dignans. Anglicani sacra communionis jura per tot sæcula cum Romana Petri sede servata abruperunt, ut Henrici VIII. novam cupientis conjugem voluntati obsequerentur. Fuit quidem secta nova, quæ regem caput agnosceret, contra majorum suorum et omnium gentium Christianarum morem. Fuit nova Secta sub Eduardo et Elizabeth, nova profitens dogmata, nova ratione præsules sibi creans, rege vel regina fonte agnita omnis Ecclesiasticæ auctoritatis. Nullo communionis vinculo cum præsulibus illis qui ab Augustino per decem fere sæcula cathedras Episcopales in Anglia tenuerant connexi sunt: neque cum vetustis Britonibus, quos sibi patres, decem sæculorum hiatu, frustra invocant. Schismatis reos eos cæterosque omnes sectarum Protestanticarum auctores vel fautores, arguimus: "ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum."[2] Quod si contendant se pulsos fuisse Pontificiis anathematibus, vel Tridentinis, meminerint non frustra posuisse Deum mucronem spiritualem in manu Ecclesiæ, sed ordinem, auctoritatem, veritatem eo defendendum: quod præstiterunt Pontifices et Patres Concilii secundum potestatem datam a Domino.[3] Longe dispar fuit Præsulum conditio, qui ad tempus veteri inhærebant consuetudini, et pietatis et fidei zelo excedebant, quosque Pontifex non omnino percussit anathemate, vel certe non reliquit tanto

(1) "Pastores instituit ac doctores, quorum ore suos doceret, (Eph. 4, 11): eos auctoritate instruxit: nihil denique omisit quod ad sanctum fidei consensum, et rectum ordinem faceret." Calvin. l. IV. Inst. c. i.

(2) I Joan. ii, 19.

(3) "It is necessary to believe the Church of Christ which is but one, that being in it we may take care never to cast ourselves, or be ejected out of it." Bp. Pearson on the Creed, Art. IX.

vinculo irretitos. Res jam satis explicata est dum de Ecclesiæ unitate, et potestate Pontificis ageremus.[1]

Liceat tandem dicere Augustini verbis: "Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis ignorantiæ."[2]

Si durius aliquid a Nobis in hoc tractatu dictum cuipiam videatur, dum sponsæ Christi privilegia vindicare studeremus, jure nostro usos nos esse animadvertat, veritatem, quæ in Christo est, ex intima animi nostri persuasione et fide propugnando. Iis quos ab Ecclesia separatos ostendimus omnia bona precamur, sed illud præ aliis Christiano homini optandum, ut lumine gratiæ illustrati, et sectarum præjudiciis depositis, antiquam exquirant matrem.

Eos igitur verbis Cypriani alloquimur: "Cum unanimitas et concordia nostra scindi omnino non debeat, quia nos Ecclesia derelicta foras exire, et ad vos venire non possumus, ut vos magis ad Ecclesiam matrem et ad nostram fraternitatem revertamini, quibus possumus hortamentis petimus et rogamus."[3]

Nota.—Discrimen inter Cepham et Petrum a S. Clemente servari notavimus, p. 158, nota: attamen textus pleniore et attentiore lectione contrarium apparet, quum subjungat, veluti Corinthiorum minuendo priorem culpam: "propendebatis enim in Apostolos testatæ sanctitatis, et in virum ab illis probatum;" quibus verbis Paulum, Cepham et Apollo designat. Absit ut velimus opinationis nostræ invitos adhibere patronos! Cæterum Petrum unquam Corinthi versatum interpretes plerique non censent, et aliquem fidei præconem qui post Paulum Corinthios edocuit, sicut Apollos, pronum est intelligere. De Cepha a Paulo reprehenso Clemens non agit, ideoque litem dirimere non valet. *Binterim* veluti vetus præjudicium eorum sententiam qui Petrum a Paulo reprehensum putant, explodit.[4] Bergier et De Feller, acutissimi scriptores, manifestò favent Cephæ Antiochiæ reprehensi a Petro distinctioni. Vide utriusque opus egregium, *Dictionnaire de Theologie*, *Dictionnaire Historique*. Venia nobis detur cum his subdubitantibus, nec enim contra tantam scriptorum turbam certi aliquid affirmare audemus.

(1) Supra p. 168, 169.

(2) L. de utilitate credendi, c. xvii. n. 35.

(3) Ep. xliv. p. 103 ed. Wirceb.

(4) "Ein falsches Vorurtheil," Denkwürdigkeiten, dritter band, erster theil, Mainz. 1826, p. 19.

TRACTATUS III.

DE VERBO DEI.

C. I. DE VERBO INTERIORI.

Librorum Veteris et Novi Testamenti fide historica vindicata, iis usi sumus, ut Societatis a Christo institutæ, Ecclesiæ scilicet, proprietates et auctoritatem demonstraremus. Docendi munus Apostolis injunctum, et tribunal erectum, quod per omnia sæcula Christi doctrinam integram traderet, vidimus. Nec tamen docentibus in Ecclesia aliquam tribuimus potestatem intellectui humano dominandi, figmenta sua pro dogmatibus haberi jubendo; sed ea tantum promulgandi quæ a Deo revelata fuisse ipsi certissime norunt. Revelatione divina prædicatio omnis et fides niti necessario debet: Dei enim est intellectus creati obsequium, summo veluti jure, exigere. Id igitur jam occurrit quærendum, ubinam revelationis documenta reperiantur, seu quod sit verò Dei ad homines verbum. *Gaspar Schwenckfeldius* sæculo decimo sexto verbum scriptum tamquam litteram occidentem rejecit, soloque spiritu interno contentos nos esse jussit: nec satis ab hujusmodi placitis recesserunt *amici*, qui et *Quakeri* audiunt. Hi quidem, verbum Dei regulam fidei agnoscere profitentur, non tamen Scripturas, nisi secundariam quandam regulam, et imperfectam, quum primaria, plena, et perfecta regula sit immediata Dei revelatio, seu verbum interius.[1] Scripturas admittunt continere quæ Deus hominibus quibusdam interius revelavit, qui scilicet scripto consignarunt, quæ, ipso menti lucente, intellexerunt. Ut autem agnoscantur et intelligantur scripturæ, unumquemque interius a Deo dicunt illustrari, adeo ut non scripturis credant, sed immediatæ Dei revelationi cui eas consonas reperiunt. In divina illa luce qui sint libri canonici, et quo sensu sint intelligendi, percipiunt, et omnem veritatem quæ ad salutem pertinet, Spiritu docente, discunt. De interiori illa revelatione ex Scriptura nolunt judicari, quamvis hæc illi concordet; sed Spiritus Dei, magister veritatis, super omnia est. Tota igitur fides respicit interius illud verbum, cujus aliquam enuntiationem in Scripturis videre est, quam tamen spiritualis homo tantum intelligit.

(1) " Because they are only a declaration of the fountain, and not the fountain itself, therefore they are not to be esteemed the principal ground of all truth and knowledge, nor yet the primary rule of faith and manners." Propos. III.

PROPOSITIO

Verbum interius, seu immediata Dei revelatio menti uniuscujusque, non potest fidei regula statui.

Probatur. Omnibus illis argumentis quibus constat Deum revelationem hominibus fecisse, cujus annuntiandæ munus Apostolico ministerio est commissum. Liceat aliqua testimonia in memoriam revocare.

"Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur."[1] Ergo prædicatio Evangelii, Apostolici ministerii opera, est fidei regula; non interior quævis revelatio. "Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris."[2] Prædicatio Apostolica iterum statuitur norma, ad quam fides est dirigenda.

Fidem nulla alia ratione, juxta ordinem divinitus statutum, concipiendam indicat Apostolus: "Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? * * * Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.[3] Quod autem *Amici* illa Apostoli verba de adversariis, quos sibi veluti objicientes exhibet, explicare velint,[4] contextui et scopo manifestò repugnat: nam in eo est ut ostendat Judæos Christum, quem prædicabat, rejiciendo, excidere a salute. "Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quod si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris."[5] Salutem illam omnibus Christum invocantibus oblatam dicit: sed quomodo possint omnes eum invocare quærit, quum Christus necessario annuntiandus sit, ut quis eum fide invocet, quod Isaiæ testimonio confirmat. Utitur deinceps Psalmistæ vaticinio, ut ostendat gentibus et Judæis Christum annuntiandum, quæ verba nonnisi manifesta vi illata de interiori tantum lumine explicantur. Nec ex eo quod præcones fidei non ubique auditi fuerint dum scriberet Paulus, sequitur eum de interna revelatione loqui; nam non constat eum de prædicatione jam facta loqui, sed de ea quæ facienda erat, prout vates in visione contemplatus fuerat; quamvis revera Evangelica prædicatio ubique, quodammodo, in orbe cognito insonuerit, et Romanorum fides in universo mundo cum magna admiratione celebraretur.

Equidem si illa interior Dei lux sit primaria et perfecta fidei regula, frustra institutum est ministerium, frustra scripti sunt libri sacri, Spiritu Dei unumquemque immediate docente omnem veritatem.

(1) Mat. xvi. 16.
(2) I Joan. iv. 6.
(3) Rom. x. 14, 17.
(4) Barclay's Apology, Prop. V. and VI. §. xxiii.
(5) Rom, x. 8.

Insuper aditus fit manifestus unicuique suæ mentis somnia pro divinis revelationibus accipiendi, omni sublato remedio: nam spiritualis homo a nemine judicandus dicitur, quippe qui Spiritum Sanctum habet magistrum. Ratio autem docendi quæ nata est ad fallacias inducendas, Deo utpote plane indigna, et hominum conditioni et necessitatibus haud congrua, tuto Deo abjudicatur. Equidem quum facile unusquisque sibi illudat, posset in gravissimos errores incidere, vel etiam ad facinora quæque ruere, Deo veluti auctore: quod sæpius contigisse constat ex probatissimis historiæ documentis. Hæc autem consectaria sunt principii, quod per se pandit viam mentis illusionibus.[1]

Obj. 1. "Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis." * * "Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere; quia spirituaaliter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia; et ipse a nemine judicatur."[2] En plane revelationis immediatæ systema.

Resp. Probe distinguenda est exterior ratio communicandi notitiam veritatum a Deo revelatarum, ab interna luce qua mens ad assensum disponitur. Neminem posse ad fidem pervenire absque interno Spiritus Sancti lumine, dogma est Catholicum, quod olim Augustinus contra Pelagium invicte defendit. Magisterium autem divinitus institutum, ad annuntiandas veritates quas Christus tradidit, testantur ubique sacræ paginæ Novi Testamenti, clamat tota antiquitas christiana. Qui igitur hoc magisterium rejicit, frustra appellat scripturas, quæ gratiæ necessitatem adstruunt, earum enim utraque de re auctoritati stare oportet. Facilem quidem excipiunt quæ objiciuntur explicationem. Apostolus monet Corinthios se eos instituisse, non philosophorum more, ea enim annuntiabat quæ "nemo principum hujus sæculi cognovit," altissima mysteria, Dei revelatione patefacta. Hæc autem revelatio non in mente constitit, nam "Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit."[3] Spiritus Dei solus potuit homines ad fidem tantorum mysteriorum evehere, numquam enim præcones auditoribus persuasissent, nisi lumen interius affulsisset. "Sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in

(1) Vide *Milner's End of Controversy, Letter* VI. In ipso Georgio Fox, sectæ auctore, et Jacobo Naylor, insigni ejus assecla, magna data sunt illusionis exempla. Naylor veluti Messias ovans civitatem Bristol ingressus est, turba clamante, "sanctus sanctus, sanctus, hosannah in excelsis."

(2) I Cor. ii. 10.

(3) Joan i. 18.

virtute Dei."[1] Totus igitur in eo est Apostolus, ut ostendat veritates Evangelicas non humano ingenio excogitatas fuisse, nec arte mentibus hominum insinuatas; sed a Spiritu Dei profectas, et simpliciter enuntiatas, ejus gratia altius mentibus insedisse. Exterius magisterium persæpe commemorat, etiam dum Spiritus facit elogia: "quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes."[2] Revelavit igitur Deus per spiritum suum, in Apostolorum mentes illapsum, juxta Christi promissionem, ut ipsi cæterorum fierent magistri; revelavit ipsis fidelibus, non quidem tanta luce eos perfundendo, ut per se nosse possent arcana illa cælestia, sed eos illustrando ut præconibus Evangelii supernaturalem assensum possent præstare. Animalis autem homo, qui juxta solius rationis principia, vel humano sensu de rebus divinis judicat, eas stultitiam redolere putat, quia scilicet juxta supernaturalia principia investigandæ forent. Spiritualis autem homo, qui ex divina gratia præconibus Evangelii assensus est, judicat omnia, agnoscit cælestem sapientiam in omnibus, nec ipse ita judicans, juxta certissima fidei principia, valet ab aliis judicari, falsa quippe sunt aliorum judicia his repugnantia.

Obj. 2. "Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto."[3] Ergo quæ habetur Jesu notitia absque interna spiritus revelatione est mendax et larvata. Ita Barclay.[4]

Resp. Utique Spiritus Sancti gratia omnino requiritur, ut quis fide divina agnoscat Dominum Jesum: sed non ideo ipsa gratiæ inspiratio fit regula fidei; summa quippe sapientia statuit Christus ministerium quod veritati perhiberet testimonium, ne omnia incerta forent, hominibus sibi ludibrio factis, ægræ mentis somniis; sed simul sibi partes præcipuas in fidei negotio servavit, nec enim quis nisi ex Spiritus Sancti inspiratione potest prædicationi supernaturalem præbere assensum.

Obj. 3. Semper Deus per Spiritum suum se suis filiis revelavit. Sic ab Adamo usque ad Mosen, et etiam post datam legem sæpissime. Christo adveniente, Spiritus datus est Apostolis, et primis fidelibus, et datur etiam hodiernis temporibus.

Resp. Utique Deus sese manifestavit primis hominibus, sed non universis, quæ enim illis communicavit, mandavit ut filiis suis nota ea facerent.[5] Quæ vatibus revelata sunt scripto plerumque sunt consignata, et quæ Apostoli, Christo docente, et Spiritu Sancto illustrante, didicerunt, magna ex parte scripta reperiuntur, et in Ecclesia perpetuo conservata sunt, eadem fide excipienda; sic enim revelationi semel factæ sua ser-

(1) I Cor. ii. 4.
(2) Ib. v. 13.
(3) I Cor. xii. 3.
(4) Prop. ii. §. vi. Proof. ii.
(5) Ps. lxxvii.

vatur integritas, et Deo loquenti obsequium præbetur. Post Apostolos, quibus totum Dei consilium de hominum salute revelatum est, alia nulla revelatio est expectanda, præter auxilium quo mens ad credendum roboretur. Quod si Deus voluerit aliqua suis famulis specialiter revelare, non ideo regula quam statuit Christus, quo revelationis suæ communicetur notitia, deserenda erit.

Obj. 4. Nisi revelatio interna sit nobis fidei regula, non eadem erit fides nostra ac sanctorum veterum: at Apostolus unam dicit fidem ea ratione qua unus est Deus.[1]

Resp. Apostolus loquitur de fide Christi discipulorum, ad eos quippe scripsit, hortans ut unitatem Spiritus in vinculo pacis servarent, quum "unus Dominus, una fides, unum baptisma" eis foret. Cæterum ea nobis est fides quæ sanctis per omnia sæcula fuit, credimus enim Deo loquenti, quamvis aliqua magis explicata sint progrediente tempore, Christo in terris viso, quæ proinde explicite profitemur, antiquis ea nonnisi veluti in involucro tenentibus.

Obj. 5. Christus Paracletum suis discipulis pollicitus est, nec ulla sinit ratio ut de solis Apostolis explicetur, nam in œvum dandus erat.[2] In omnem veritatem dux promittitur: ὁδηγήσει ὑμας εἰς πᾶσαν τὴν ἀληθειαν.

Resp. Quum Apostolos allocutus sit speciatim, ut eos de proxima sua absentia consolaretur, ad universos suos discipulos verba referre non licet, nisi aperta suffragante ratione. Quod in ævum mansurus Spiritus dicatur, ostendit Apostolorum successores ea promissione includi, non item universos fideles, ipse enim finis ob quem promittitur, magisterii munus manifesto respicit: plenissima quippe institutio iis erat necessaria quorum erat alios docere. Spiritum quidem bonum dabit Deus petentibus se, omnes scilicet enixe flagitantes illud accipient lumen quo valeant fidei præstare obsequium: sed omnes non egent ut a Spiritu directe doceantur omnem veritatem, quum pastores et doctores sint in eum finem divinitus dati.

Obj. 6. Scribit Joannes Apostolus: "Non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo."[3] Unctio illa Spiritus est igitur omnium vere fidelium.

Resp. S. Joannes externum magisterium necessarium procul dubio habuit, verbumque suo ministerio enuntiatum fidei regulam, uti ex citatis ejus verbis inter probationes vidimus. Ipsa epistola scripta est ut edocerentur et firmarentur fideles: "hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos."[4] Quod subjungit, seductorum magisterium excludit, quum enim ex Christi gratia

(1) "That the faith is one, is the express words of the Apostle, Eph. iv. 5, who placeth the one faith with the one God, importing no less than that to affirm two faiths, is as absurd as to affirm two Gods." Barclay, Apology, Prop. ii. § ix.

(2) Joan. xiv. 16.

(3) I Joan ii. 27.

(4) Ibidem v. 26.

in certa veritate ab Apostolis tradita conquiescerent fideles, necesse non habuerunt illis pseudo-magistris uti. Optime autem eos divinitus doctos ponit, ut ostendat Apostolos ipsos non suas sententias, sed divina dogmata prædicasse; quæ interiori gratiæ unctione suaviter mentibus insinuabantur.

Obj. 7. " Hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : dabo leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum : et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum."[1]

Resp. In eo distinguitur fœdus novum a veteri, quod lapidibus non sit insculptum, sed mentibus gratia divina veluti inscriptum. Cæterum illud promulgandi munus Apostolis datum est, quos ad docendum misit Christus. Non igitur hæc doctrina a propheta excluditur; sed amplissima Dei cognitio prædicitur futura, adeo ut non valde in ea inculcanda foret insistendum : contra ac evenerat ante Christum natum, hominibus plerisque ad deorum plurium cultum proclivibus.

Obj. 8. Ecclesiæ dicit vates : " ponam * * universos filios tuos doctos a Domino."[2] Quod laudat Christus : " Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me."[3]

Resp. Interioris gratiæ necessitatem ibi adstruit Christus : " Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum."[4] Docti a Domino idcirco dicuntur Christifideles, quod interius illustrati ad fidem prædicationi præstandam disponuntur, sicut Petrus, cui divina revelatio de Christi divina origine et natura est facta, hac ratione ad omnia quæ tradidit amplectenda, motus est; noverat enim, etsi specialis de quacumque doctrina non affulserit revelatio, eum verba vitæ æternæ habere.[5]

C. II. DE VERBO SCRIPTO.

Plerique Protestantes verbum Dei scriptum appellant, illudque solam et adæquatam fidei regulam prædicant. Omnem Dei revelationem eo contineri asserunt ipsi *Unitariani*, quamvis Scripturas divinitus inspiratas non agnoscant. Cæterum eas magnificis efferunt verbis, eas divina oracula, et scriptum Dei verbum designantes. Rationem ducem in earum interpreta-

(1) Heb. viii. 11.
(2) Isaiæ liv. 13.
(3) Joan vi. 45.
(4) v. 44.
(5) v. 69.

tione sequentes, quæcumque humanum intellectum superare videntur, ad rationis terminos revocare student, nihilque credere volunt quod quodammodo non intelligant.[1] Spiritus igitur Sancti lumen et auxilium non agnoscunt, quum nec ipsum Spiritum subsistere contendant, quamdam enim Dei efficaciam eo nomine in Scripturis indicari dicunt. Cæteri plerique Protestantes Scripturam regulam plenam et unicam fidei profitentur, sed Spiritus Sancti lumine se illustrari affirmant ut eam agnoscant, et veram ejus significationem.

Illud autem haud refellendum putamus, Scripturam esse *judicem controversiarum*, vocibus enim abutuntur qui id affirmant: judex quippe sententiam proferre debet qua lis dirimatur, scriptura autem nullam proferre valet, quum per se muta sit, et significatio ejus, de qua plerumque controvertitur, non possit unquam hac ratione determinari. Sed ne quidem *regulæ fidei plenæ*, et *perfectæ*, habere potest rationem, uti mox demonstrabimus.

PROPOSITIO.

Scripturæ non possunt plenæ et perfectæ fidei regulæ habere rationem.

Probatur. Plena et adæquata fidei regula debet facile innotescere, et omnia quæ ad fidem spectant cuiquam obvia præbere: Scripturæ autem non facile innotescunt, nec omnia omnibus obvia præbent: nequeunt idcirco plena et adæquata fidei regula haberi.

Equidem vel Scripturæ excipiuntur tamquam divinæ ob communem quæ apud Christianos obtinet persuasionem, ideoque ipsa fidei regula forte fortuna, re haud investigata, temere statuitur:[2] vel agnoscuntur divinæ ob intrinseca indicia, quæ legenti occurrunt; quod assiduam omnium librorum quibus constant lectionem postulat. Jam vero nec juvenes, nec litterarum rudes, nec negotiis distenti, nec morbo impediti, possent necessarium tempus lectioni impendere. Ipsi qui legunt inter innumeras difficultates necessario hærebunt, nec enim facile conciliabunt quæ sibi invicem videntur contraria, nec quæ humiliora sunt Dei loquentis majestate digna censebunt.

Præterea sensus scripturæ obvius esse debet ac certus, ut sit regula fidei

(1) "As Unitarians consider the Bible the only proper summary of Religion, they do not profess to comprise their sentiments in any system of articles or forms of human invention. They consider the language of scripture sufficiently plain. * * * While we have the written word of God in our own hands, we think it an imperious duty to consult the divine oracles themselves." Abstract of Unitarian belief, in Unitarian Miscellany, vol. i. p. 9. "It appears that Unitarians believe, that the sacred penmen, in writing the Holy Scriptures, were inspired with the knowledge of God's will, and wrote according to the dictates of his Holy Spirit * * * that the scriptures ought to be the only judge of controversies among christians." p. 210.

(2) It is simply impossible to prove the canon by the scriptures: for it cannot be found in any book of the Scriptures, that these books, and just these, and no other are canonical, as all are forced to acknowledge." Barclay, Apology, prop. III, §. ix, Obj. 1, Ans. 2.

plena et adæquata: attamen implicatus maxime est, adeo ut nullus alius liber tot difficultatibus hominum exerceat ingenia, vel eos sententiis adeo discordes habeat. Ergo inservire non potest tamquam fidei regula plena et adæquata.

Constare debet insuper Scripturarum libros integros esse, et versionem qua utitur quisque textum repræsentare: quod tamen per se obvium non est, nec facile cognitu.

Regula fidei plena et adæquata in Christiana œconomia debet necessario referri ad Christi et Apostolorum tempora, et conditioni hominum inde per omnia sæcula convenire: at Scriptura Novi Testamenti tamquam fidei regula non potest referri ad Christi ætatem, nec ad initium prædicationis Apostolicæ: constat enim plures elapsos annos antequam aliquid scripto consignatum sit.[1] Scripta Apostolica in unum collecta non noscuntur nisi sæculo secundo; et aliqua a nonnullis Ecclesiis per quatuor priora sæcula non sunt agnita. Ante typographicam artem inventam, decimo quinto ineunte sæculo, fieri nullatenus potuit ut multiplicarentur sacri codices, adeo ut unicuique eorum esset copia: et nulla noscitur ab Apostolis vel Apostolicis viris adhibita ea de re cura, quum plerumque in Ecclesiis tantum, vel apud præsules, vel paucos quosdam haberentur. Ergo dicendum eos non fuisse datos in perfectam et plenam fidei regulam.

Critica textus et versionum historia et examen, tot varietates et difficultates objicit, ut si de ea agendum foret antequam fides conciperetur, penitus foret desperandum. Res est plane ultra plerorumque captum, utpote quæ eruditionem insignem una cum mentis acumine postulat.[2] Constat insuper Septuaginta Versionem Græcam per quatuor priora Ecclesiæ sæcula plerumque obtinuisse, quæ tamen cessit Hebraico textui in Latinæ versionis exemplar et normam ab Hieronymi ætate assumpto. Pleræque Ecclesiæ Scripturis utebantur, magna varietate distinctis, quas licet demus fuisse in substantia conformes, longe majorem concordiam et sententiarum exactitudinem exhibuisse oportebat, si ipsæ plena et unica regula fidei fuissent. Apud plerasque nullæ erant vernaculæ versiones, vel aliquorum tantum librorum, et haud absque mendis: ipsæque vix poterant ad plurimorum manus pervenire. Quæ hodie circumferuntur vernaculæ versiones inter Protestantes auctoritate carent, et a plurimis rejiciuntur, qui

(1) "The Gospels were not the original cause of the Christian history being believed, but were themselves among the consequences of this belief. This is expressly affirmed by St. Luke in his brief, but as I think, very important and instructive preface." *Paley's Evidences of Christianity*, c. viii. Lardner censet Evangelium primum scriptum triginta circiter a morte Christi annis. Plerique Matthæum septem annis tantum elapsis scripsisse putant.

(2) Vide Einleitung in die Göttlichen Bucher des alten Bundes von Johann Jahn, Wien. 1802, et Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments, von D. Johann Leonard Hug, Stuttgart and Tubingen, 1826.

sensum non fideliter reddi queruntur, inter quos Baptistæ et Unitariani, qui verba Bibliorum Jacobi regis a Dei oraculis distinguenda clamant.

Hac regula semel admissa, omnis evanescit fidei certitudo, constat enim mentem humanam sibi relictam nullum ex Scripturarum labyrintho certum exitum reperire. Nullum manebit dogma inconcussu; quæ menim testimonia ipsam Dei naturam,[1] salutem per Christum, impiorum æterna supplicia,[2] aliaque omnia fidei mysteria spectant, cum aliis collata dubitationem potius quam certam notitiam pariunt, si desit interpres. Gravissima principia pendent persæpe ex diversa lectione codicis; vel ex phrasi vel voce ambigua. Progrediente Hermeneutica linguarum studio, morum stylique orientalium accuratiori notitia, aliisque subsidiis, fides variabitur, adeo ut quæ hodie obtinet ab ea quæ per omnia retro sæcula viguit, distet plurimum, ipsa scientiarum profectui etiam cessura.

Illud igitur systema non erit admittendum quod ab initio rei Christianæ non viguit, nec generali hominum conditioni per omnia sæcula convenit, et quo omnis fidei certitudo evanescit: atqui Scriptura tamquam regula fidei plena et unica non viguit ab initio rei Christianæ, nec generali hominum conditioni in qualibet ætate convenit: sed e contra omnem fidei certitudinem tollit penitus: Ergo non est regula hæc admittenda.

Merito monuit Tertullianus certamen de Scripturis non ineundum, quum ob dolos hæreticorum et subtilitates nullus certus sit exitus: "ergo non ad scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ. Nam etsi non ita evaderet collatio scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: *Quibus competat fides ipsa? cujus sint scripturæ? a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani?* ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionem christianarum."[3] Origenes: "Quoties hæretici scripturas proferunt, in quibus omnis Christianus consentit et credit, videntur dicere: 'Ecce in domibus est verbum veritatis.' Sed nos illud credere non debemus, neque exire a prima et Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successiones Ecclesiæ nobis tradiderunt."[4]

S. Hieronymus, pluribus allatis exemplis ad Luciferianos revincendos, addit: "poteram diem istiusmodi eloquio ducere, et omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare." Pergit sectas novitias monere: "Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod

(1) Trinitatis mysterium nonnisi illatione ex Scripturis probari dicunt plures scriptores Anglicani.

(2) Hac ratione dogma de æternis suppliciis ex critica quadam indagine de vi vocis αιωνιος pendet.

(3) Tertul. de præscr. c. xvii. 19.

(4) Tract. xxix. in Matth.

dicunt, cum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo: alioquin si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere, ut asseramus in Ecclesiam non recipiendos, qui calciati sint, et duas tunicas habeant."[1]

Obj. 1. "Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus."[2] Ergo est plena et adæquata fidei regula, quæ scilicet instruit ad salutem, et hominem perfectum facit.

Resp. Jam Apostolus dixerat scripturas veteris Testamenti in quibus Timotheus ab infantia institutus erat, posse eum ad salutem instruere "per fidem quæ est in Christo Jesu." Hac concepta ex prædicatione Apostolica scripturæ plurimum inserviunt, ut homo Dei alios doceat, arguat, hortetur, ipseque ad omne virtutis exercitium accingatur. Cæterum non ideo ipsæ per se sufficiunt: nec enim scripturæ veteris Testamenti, de quibus agebat Paulus, sufficientes dici possunt, nec Novi Testamenti, quin attendatur prædicatio Apostolici ministerii, quam elegit Christus viam perpetuam docendi veritates revelatas. Equidem de divina inspiratione ipsius testimonii, et de libris qui inspirati habendi sunt, sicut de eorum sensu, alia ratione constare non potest. Merito tamen dixit Paulus scripturas instruere ad salutem, ea posita fide, et inservire ut homo Dei perfectus sit, ad omne opus bonum instructus; sed fides illa ante lectionem concipitur audita prædicatione Evangelica.

Obj. 2. S. Lucas dicit se scribere Evangelium: "ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem."[3] S. Joannes: "Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus."[4] S. Petrus secundam scripsit epistolam, ut quædam memoratu digna referret: "dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis."[5] Ergo Scripturæ Novi Testamenti eo consilio exaratæ sunt, ut tota Christi doctrina scripto consignata maneret, quaproper totum Dei consilium a se patefactum dicit Paulus.[6]

Resp. Non negamus summo Dei consilio scripturas Novi Testamenti exaratas, ut plurimæ res gestæ, et dicta, haud facile viva voce transmittenda, scripto relata vim quamdam historicam præseferrent, divinam etiam apud fideles auctoritatem habitura. Quamvis prædicatio et doctrina Apostolici ministerii sit ratio a Christo instituta, non tamen ablata est facultas scripto

(1) Dial. adv. Luciferian. sub finem.
(2) II Tim. iii. 16.
(3) Luc. i. 4.
(4) Joan. xx. 31.
(5) II Pet. i. 15.
(6) Act. xx. 27.

utendi: imo divinitus ad id impulsi Apostoli plura scripserunt, alia viri Apostolici deinceps scripto consignarunt. Hæc se invicem adjuvant et sustentant, tam longe abest ut unum alterum excludat. Sic viva voce instructus erat Theophilus, ad quem tamen Lucas suum direxit Evangelium, certissimam rerum gestarum Christi et dictorum relationem daturus, ut in fide quam amplexus fuerat firmior et instructior evaderet. Securitatem hanc ασφαλειαν accurata rerum narratione, qua a pseudo-Evangelistis, vel imperitis scriptoribus caveretur, Lucas dandam proposuit: nec enim facile res adeo minutæ memoria retinerentur. Scripsit itaque non eo consilio ut vacillantem animum firmaret, vel plenam regulam fidei præberet, sed ut obviam iret temerariis illis scriptoribus, et præcipuarum Christi actionum summam quandam exhiberet. Sicut igitur Evangelium Lucæ non excludit cætera Novi Testamenti scripta, ita nec prædicationem, doctrinam, fidem publicam, et traditionem ministerii. Idem de Joannis Evangelio dicendum: objecto autem loco reddit rationem Apostolus cur ea quæ retulerat miracula ex plurimis selegerit, quæ scilicet idonea erant ad fidem in Christo Deo confirmandum. Quos allocutus est fideles jam esse indubium est, eos tamen contra falsas sententias de Christo quæ jam spargi cæperant muniendos duxit, divina ejus natura declarata, et miraculorum argumento adducto. Quis neget librum divinitus conscriptum plurimum inservire dogmati hujusmodi tuendo, et monumentum divinæ fidei esse pretiosissimum? Non ideo tamen omnia quæ revelata sunt, et necessariò credenda, unico illo Evangelio continentur, vel aliis scripturis. Petrum Apostolum eam scripsisse epistolam, ut fidelibus monita illa suppeterent, et divinis imbuerentur documentis, libenter damus; quin traditionis idcirco infirmetur vis, quæ et epistolam commendat tamquam divinam, neglecta quorumdam dubitatione, et veritates quas continet cum cæteris fidei principiis inculcat. Illa Apostoli solicitudo ut fideles scriptis suis ad pietatis studium accenderentur, principiis quibus nitebatur fides exhibitis, nihil detrahit traditionis certitudini, quæ non in eo est ponenda, quod omnibus rejectis litterarum subsidiis, viva tantum voce veritates omnes enuntientur, sed quod publica prædicatio et fides, iis omnibus quæ contigerit adhiberi præsidiis munita, sit certa ac secura ratio divina dogmata transmittendi. Quod autem dicit Paulus se totum Dei consilium patefecisse, non spectat ejus scripta, sed prædicationem, alloquitur enim Episcopos Asianæ provinciæ, in qua per triennium suo munere functus erat. Apostolos totam doctrinam Christi promulgasse fatemur, nec quidquam eorum institutis, quæ per Ecclesiæ traditionem innotescunt, adjungendum censemus, sed non omnia quæ docuerunt eorum scriptis contineri, omnia nihilominus eadem fide excipienda contendimus, juxta illud Pauli ad Thessalonicenses: "state et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram."[1]

(1) II Thess. ii. 14.

Obj. 3. Isaiæ viii. 20. "Ad legem magis et ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux;" vel potius non est eis lux.

Resp. Eo loci vates edocet Israelitas quomodo respondere debeant iis qui pythones suadent consulendos: "Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis?" Dicit igitur divinitus petendum lumen juxta legis præscripta, nec divinos adeundos, qui quum diversa loquantur, vera carent luce, caligine æterna in superstitionis pænam involvendi. Hæc certe non probant Scripturas populo Christiano dari tamquam normam ad quam revocanda sit prædicatio ministerii Apostolici: nam fideles judices potius quam discipuli, contra Christi institutum, hac ratione constituerentur.

Obj. 4. Præcipit ipse Salvator: "Scrutamini Scripturas." Joan v. 39.

Resp. Jam vidimus argui his verbis Christi hostes, qui eum, vaticiniis licet designatum, non agnoscebant.[1]

Obj. 5. Homo, Spiritu Dei adjutus, cognoscit Scripturas, quas humano veluti testimonio jam commendatas habet, et verum in rebus præcipuis sensum facile intelligit, ex ejusdem Spiritus illustratione: nec enim Deus se quærentibus lumen necessarium negat.

Resp. Qui Spiritum Dei cujus cælesti lumine mens perfundatur agnovit, ante lectas Scripturas, debet sibi reddere rationem quomodo in eum crediderit: quod vix facere poterit vir Protestanticus, totam suam rerum divinarum notitiam a Scripturis derivans. *Quakeri* quidem internæ revelationi confisi nodum solvunt affirmando; sed alii qui externum oraculum appellant, non debent aliquid notum supponere, absque probatione certissima. Gratis igitur dicunt se ex Spiritus lumine divinam inspirationem Scripturarum nosse, quamvis enim omnis fides divina auxilium cæleste necessariò supponat, ad mentis illusiones præcavendas externa præbentur certissima veritatis argumenta. Gratis etiam sensum Scripturæ ex Spiritus Sancti lumine dignosci contendunt Protestantes, nec enim aliunde probant lumen illud unicuique dari, quamvis Deus non desit in necessariis, qui scilicet gratiam dat qua mens ad fidem ex audita prædicatione concipiendam disponitur.

Obj. 6. Scrutanti scripturas verus earum sensus patebit, secus Christus non dixisset: "Scrutamini scripturas:" ideo laudantur Beroenses quod Scripturas scrutarentur ἀναχρίνοντες.[2]

Resp. Jam ex S. Cyrillo Alexandrino docuimus Judæis a Christo exprobrari, quod eum non agnoscerent, licet scrutarentur scripturas. Cæterum si quis velit eos potuisse ex Scripturis Christum nosse, quin ad eum operaque ejus respicerent, nolumus eum eo contentiosum trahere funem:

(1) "Moreover that place may be taken in the Indicative Mood, *Ye search the Scriptures;* which interpretation the Greek word will bear, and so *Pasor* translateth it: which by the reproof following, seemeth also to be the more genuine interpretation, as Cyrillus long ago hath observed." Barclay, Apology, Prop. iii. § vii.

(2) Act. xvii. 11.

sed manifesta et quotidiana omnium qui Scripturas diligentissime rimantur experientia, constat sensum earum plerosque latere, qui sibi fidunt, innumeris enim et discrepantibus collidunt sententiis. Jure autem meritoque laudantur Beroenses, qui de Pauli divina legatione adhuc incerti, in Scripturis exquirebant quæ allegabat testimonia, et sensum quem illis tribuebat diligenter animo volvebant. Examen hujusmodi licuit illis quibus divina Apostoli auctoritas non erat explorata. Nec ideo dici potest scripturas non indigere interprete, Paulus enim illas interpretatus est; cui Beroenses deinceps assentientes, scripturis investigatis, non respuerunt illius interpretationem, vel auctoritatem, sed eam potius amplexi sunt; Deus scilicet Scripturis, quas jam agnoscebant, usus est, ut eos ad prædicationem Apostolicam amplectendam disponeret: quos deinceps fide illustratos auctoritatem Apostoli in omnibus secutos indubium est.

Obj. 7. Indoctis et instabilibus difficilia sunt quædam in scripturis, docente Petro: sed spiritualis homo judicat omnia, et facile reperit quæ ad essentiam et fundamentum pertinent.

Resp. Doctissimi et piissimi viri in epistolis Pauli, sicut et in cæteris Scripturis plurima reperiunt difficilia intellectu, etiam post diligentissimam indaginem, precesque enixas: quod ex Petri testimonio colligitur: "in quibus sunt quædam difficilia intellectu." Piis verò hominibus in fide stabilibus, et rite edoctis, ea non cedunt in interitum, quia doctrinæ Ecclesiæ adhærent, nihilque temere de locis illis difficilibus judicant, sed sua in omnibus sensa supremo Ecclesiæ judicio submittunt. Cæteri fidei principiis haud imbuti, vel animo vacillantes, ex illis locis facile sumunt erroris et ruinæ occasionem: ἐν οἷς ἐστι δυσνοητα τινα, ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστηρικτοι στρεβλουσιν."[1] Spiritualis autum homo omnia judicare dicitur, quod fide et gratia illustratus et munitus, cælestia contemplatur, et de rebus omnibus terrenis, quatenus ad salutem referuntur, sic sentit, ut omnia in Dei gloriam cedant: animalis autem de cælestibus perperam sentit, suis cupiditatibus mancipatus.

Obj. 8. Omnia quæ ad salutem scitu necessaria sunt, facile possunt ex Scripturarum lectione addisci: hæc enim "possunt instruere ad salutem."

Resp. Possunt equidem Scripturæ "instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu."[2] Homo igitur jam institutus a pastoribus, fide ex auditu concepta, magno cum fructu legit Scripturas, eas juxta fidei principia interpretans. Si hæc desit regula, mens hærebit anxia, et variis erroribus irretietur. Frustra autem limes quidam errandi libidini statuitur, nam ipsa sanctissima mysteria de Deo incarnato et mortuo maximas difficultates objiciunt, tot inter se specie collidentibus testimoniis, et rebus ipsis cogitatui et sensui hominis plane adversis. Qui ex Scripturarum examine hæc aliaque mysteria se tenere profitentur, plerumque dubitationem quandam

(1) II Pet. iii. 16.
(2) II Tim. iii. 15.

et animi anxietatem produnt: ad quam levandam supremi tribunalis judicio, quo de sensu genuino Scripturarum constet, maxime opus est.

Obj. 9. Lucerna luxque verbum Dei dicitur, quod ideo illustrat mentes, Deo interius illucente cordi: qui Ecclesiam interpretem addit, solis fulgorem augere studet.

Resp. Verbum Dei lux est mentis, sed opus est ut aperiatur nobis sensus ut illud intelligamus: nec enim necessario quisque splendoris illius fit particeps. Deus cor illustrat gratia, sed ministerio externo utitur ad Scripturarum genuinam significationem communicandam. Sic Eunucho, pia utique animi indole legenti Isaiæ vaticinium, occurrit, Deo jubente, Philippus, qui interrogavit eum: "Putasne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? * * * * Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum."[1] Nihil divini verbi fulgori adjicit, qui non suo ingenio, sed juxta divinitus traditam fidem Scripturas exponit.

Obj. 10. Injuria fit Deo, dum dicitur ejus verbum non posse intelligi, nisi Ecclesia interprete; et ejus mentem ex judicio Ecclesiæ, Papæ scilicet et Episcoporum, dignoscendam.

Resp. Non dicimus verbum divinum intelligi nullatenus posse nisi Ecclesia interprete: mens enim fide imbuta, et humilitatem fovens plurima in Sacris libris intelliget, quin speciali definitione Ecclesiæ de singulis instruatur. Sed quum de rebus altissimis agatur, quas homines plurimi erroribus studentes varia ratione explicuerunt, ingenii subtilitati indulgentes, censemus omnino necesse esse ut publica et constans fides Ecclesiæ menti præsens sit, et ut judicium nostrum qualecumque Ecclesiæ a Spiritu Sancto edoctæ subjiciatur. Dei mens et consilium ex hominum judicio non pendent, sed ipse nobis dedit homines doctores, interpretes utique et nuncios suæ voluntatis, quibus se semper adfuturum pollicitus est, ut in ipso niteretur fides nostra.

Obj. 11. Criticæ, et Hermeneuticæ studia ad perfectionem scientiæ Biblicæ pertinent: sed necessaria scientia præsto est omnibus.

Resp. Ut Scripturæ in fidei regulam unicam et plenam assumantur, debet esse exploratum unicuique eas ex divina inspiratione conscriptas, integras esse, nullaque menda gravi vitiatas. Universis autem id constare nequit, quum de Evangelii Matthæi primo et secundo capitibus, et de testimoniis quæ Christum Deum respiciunt, moveantur lites ab Unitarianis,[2] quas certe plerique homines dirimere non valent. Sic de vocum Hebraicarum et Græcarum vi disceptatur, dogmatibus et muneribus præcipuis inde pendentibus. Nihil sane de his judicare valent plerique. Hermeneutica etiam sensum testimoniorum ita afficit, ut summa fidei inde pendeat. Qui igitur Scripturas in regulam unicam sumunt, necessario vacillant, quia

(1) Act. viii. 30, 31, 35.

(2) Vide Unitarian Miscellany, vol. vi. p. 328.

innumeræ quæstiones agitantur de vera lectione, et de sensu genuino, etiam in rebus præcipuis: adeo ut ne doctissimus quidem possit de sua sententia certus esse, aliis contra opinantibus.

C. III. DE TRADITIONE.

Verbum internum, seu revelationem singulis factam, non posse fidei regulam statui, quin illusionibus gravissimis et innumeris pateret aditus, vidimus. Scriptum verbum non posse habere rationem perfectæ et unicæ fidei regulæ etiam demonstravimus; indiget enim et teste et interprete. Quæ igitur est certa illa ratio quam Christus statuit, ut homines revelatas veritates addiscere possent? Est, ut probavimus, Apostolici ministerii prædicatio concors, publica et solemnis doctrina. Cæterum quum inspiratio ac revelatio non singulis, nec cætui ipsi Pastorum vindicetur, sed tantum auxilium quoddam, quo possint fidem semel sanctis traditam tueri, ideo regula quam ipsi docendo sequuntur est *traditio*, scilicet ipsa decessorum suorum doctrina, ipsa totius Ecclesiæ fides, ab Apostolica ætate usque derivata.[1] Quum autem vox illa nonnumquam adhibeatur ad indicandam vagum quemcumque rumorem populi alicujus memoria celebratum, nullo certo monumento, vel teste, plurimum ejus ambiguitate abusi sunt fidei hostes vaferrimi, ut invidiam regulæ certissimæ conflarent, insinuantes fidem nostram incerta populorum fama niti. Ad hanc præcavendam fraudem animadvertendum imprimis est *traditionem*, quæ fidei nostræ regula est, maxima ex parte Scripturis contineri, et totam in monumentis documentisque Christianæ antiquitatis, et consuetudine cultuque publico Christifidelium per orbem, per omnia retro sæcula celebratam. Longe igitur distat ab incertis rumoribus, vel etiam a singularum gentium persuasione, quæ *traditio localis* audit, quum illa sit universalis et perpetua. Quod si quis quærat, cur vox ambigua usurpetur, noverit eam a nobis adhiberi, Pauli inhærentibus exemplo: "State," scribebat ad Thessalonicenses, quos jam viva voce instituerat, et semel scripto, "et tenete traditiones τας παραδοσεις ques didicitis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram."[2] Adest præterea pulcherrima ratio cur vocem adhibeamus, ne doctrinam nostro ingenio excudere censeamur, quum nihil novi, nihil e nostro penu promere velimus, sed traditæ fidei inhærere.

PROPOSITIO.

Traditio, quatenus intelligitur doctrina Apostolici ministerii et fides universalis Ecclesiæ, per omnia retro Sæcula, est plena ac adæquata fidei regula.

(1) Vide Symbolik von D. J. A. Möhler l. 1. c. 5. § 33. p. 272 ed. Mainz. 1832.
(2) II Thess. ii. 14.

Probatur. Illa fidei regula plena et perfecta dicenda est, qua deficiente nulla est certa revelationis notitia, qua autem posita plenam certamque ejus notitiam habemus: traditione autem deficiente, nihil certi de revelatione novimus, nec enim qui libri divini habendi sint, vel qua ratione sint intelligendi alias innotescit: ea autem teste, interprete, et magistra, novimus certissime dogmata revelata, quæ absque ulla ambiguitate proponit credenda: novimus Scripturæ divinam auctoritatem; et eam eo usque intelligimus, ut dogmata traditione celebrata ea contineri, vel fulciri, saltem indirecte, constet.

Illa fidei regula excipienda est quæ ab initio rei Christianæ viguit, per omnes gentes et per omnia sæcula, quæque indoli et conditioni hominum est maxime accommodata: traditio autem, publica scilicet Apostolici ministerii doctrina, et Ecclesiæ fides, ab initio rei Christianæ viguit, nec enim alia ratione ante scriptum Novum Testamentum Christi revelatio innotuit: et post Apostolorum ætatem gentibus barbaris, et plerisque apud gentes omnes litterarum imperitis, vel codices non habentibus, innotuit pari ratione: et ad nostra usque tempora plerisque non alia ratione potest innotescere. Ea quidem est hominum universorum indoles, ut lente admodum et dubie in rerum indagine procedant, nisi certa præeat auctoritas qua instituantur: quapropter pauci omnino, et post diuturnas meditationes, et inter multarum dubitationum angustias, aliquid de Deo rebusque divinis nossent, nisi traditionis face prælucente.

Extra omnem dubitationis aleam est Apostolos viva voce præsertim docuisse fideles, adeo ut in suis scriptis ad eam regulam sæpius recurrant: "laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis."[1] * * * "Ego enim accepi a Domino quod tradidi vobis."[2] De instructione sive voce, sive scripto pari ratione loquitur: "State, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram."[3] Ea ratione instituti sunt ipsi præsules, quos monuerunt ut alios sic instituerent: "O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates."[4] "Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis."[5] "Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere."[6] Igitur Apostolica saltem ætate traditio erat fidei regula.

Prob. II. Irenæus: "traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire."[7] Hæreticis occultam quandam traditionem arcanorum jactantibus, publicam hanc Ecclesiæ totius fidem et traditionem fidenter opponit, eaque

(1) I Cor. xi. 2.
(2) Ibidem v. 23.
(3) II Thess. ii. 14.
(4) I Tim. vi. 20.
(5) II Tim. i. 13.
(6) II Tim. ii. 2.
(7) L. III. adv. hær. c. iii.

omnem de doctrina controversiam dirimi vult, quam tamen appellare non debuit, si scripturæ per se claræ forent et interpretatione nulla indigerent. "Hæc (*Ecclesia*) est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet devitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? et si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem cæli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium."[1] Quum hæretici illi occultam perfectioris doctrinæ traditionem allegarent, res postulabat ut Irenæus assereret nihil credendum quod scriptum non erat, et scripta ipsa sola esse attendenda, nulla cujuscumque traditionis habita ratione. Non ita autem sanctissimus fidei vindex, sed ipsam occultam traditionem falso allegatam publica traditione totius Ecclesiæ revicit, hancque in omni quæstione attendendam dixit, adeo ut, Scripturis deficientibus, omnibus ad plenam rei Christianæ notitiam sola suffecisset, sicut reapse suffecit multis gentibus litteris haud excultis. Est igitur traditio veritatis magistra, scripturarum interpres, vadimonium, et custos.

Clemens Alexandrinus de hæreticis queritur, qui gloriæ inanis studio humana commenta divinæ traditioni ab Apostolis et magistris fidei derivatæ objiciunt: θειᾳ παραδοσει: Gnosticum autem laudat scientiæ sacræ studiosum, qui, huic inhærens, Scripturas juxta Apostolicam et Ecclesiasticam normam interpretatur ἐν ἀυταις καταγηρασας ταις γραφαις, την Αποστολικην και Εκκλησιαστικην σωζων ὀρθοτομιαν των δογματων.[1]

Origenes inter discordes sententias sectasque Ecclesiasticam prædicationem regulam certam adsignat. "Cum multi sint qui se putant sentire quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica et Apostolica discordat traditione."[2]

Eusebius Cæsareensis: "Hæc sunt illa quæ breviter Galatis proponimus consideranda, ex illa ipsa ad Galatas epistola Pauli, in qua fidei salutaris illa mystica continetur regeneratio, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Quæ præterquam quod sint litteris divinis consignata, sunt etiam

(1) L. VII. Stromat. §. xvi. p. 534.
(2) Præf. Περι αρχων n. 2.

adhuc majorem in modum confirmata, per traditionem Catholicæ Ecclesiæ Dei a finibus ad fines terræ, quæ ex non scripta traditione ἐξ ἀγράφου παραδόσεως sacrarum Scripturarum testimonia confirmat et obsignat."[1]

Probatur III. Ex communi Christianorum fere omnium consuetudine et consensu, quo Sabbati observatio in diem Dominicam translata agnoscitur; quum enim nullo Scripturæ testimonio probari valeat, constat traditionem Ecclesiæ hac in re vim summam obtinere, et præcepto de Sabbati observatione toties in scripturis inculcato, tamquam æterno, ea derogari. Igitur in agendi et credendi regulam traditio a plerisque sumitur, ea enim magistra didicerunt præceptum divinum de die Sabbati jam non obligare.

Probatur IV. Ex constanti tribunalium Ecclesiæ methodo in judiciis de fide, nam hæreses plerumque proscripserunt, traditione appellata: quapropter Scripturarum et Patrum in medium afferebant testimonia. Sic Ariani ab Episcopis Nicænis rejecti sunt: "Ecce nos quidem a patribus ad patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus."[2]

Probatur V. Ex consectariis. Rejecta traditione, Scripturarum auctoritas nullo idoneo commendatur testimonio, quod fidem apud plerosque conciliet: nulla certa est ratio Scripturæ sensum detegendi; et innumeræ de doctrina Christi et de Sacramentis controversiæ nullam spem veritatis inveniendæ relinquunt.

Obj. 1. Christus et Apostoli Scripturis sæpius usi sunt, traditione numquam, ad doctrinam tuendam. Ita Burnet.[3]

Resp. Christus opus non habuit Scripturis, vel traditione, ad suam missionem et doctrinam probandam, quum opera quæ fecit testimonium ei perhiberent: cæterum usus est aliquando Scripturis ad revincendos Judæos, et ad edocendos discipulos, vaticinia in se impleta ostendens. Traditione usus videtur ex Psalmo argumentando, Messiam a Davide Dominum appellatum, nec enim alias constabat vel Davidem esse auctorem, vel Messiam eo loci designari. Apostoli autem traditione usi videntur, de Ianne et Mambre, quos commemorat Paulus,[4] nulla facta eorum in Scripturis mentione, sicut nec de Michaelis cum diabolo concertatione, vel Enoch vaticinio quæ a Juda referuntur. Sic sæpius ex scripturarum sensu allegorico argumentati sunt, ad Messiam referendo quæ de aliis ad litteram dicta sunt; eam autem explicationem nonnisi traditione gentis Judaicæ, qua Messiam esse legis et prophetiarum finem constabat, tueri poterant. Cæterum quum traditio de qua nunc agitur sit publica fides totius Ecclesiæ, Scripturæ explicatio et vadimonium, nec Christi nec Apostolorum exemplum adduci potest, nec enim de Judaica traditione, quam citare poterant, est quæstio: nec par est utriusque ratio.

(1) L. I. adv. Marcell. Ancyr. c. i.
(2) Athanas. l. de decretis Syn. Nic. adv. Eusebium.
(3) Analysis p. 99.
(4) II Tim. iii. 8.

Obj. 2. Traditio, licet utiliter adhibeatur ad illustrandam Scripturam,[1] instar aliorum subsidiorum Hermeneuticæ, non potest ejus sensum certo determinare, quum nihil aliud sit traditio quam veterum de Scripturis intelligentia, quæ haud necessario est excipienda.

Resp. Traditio de qua loquimur est ipsa fides Ecclesiæ totius, quæ Scripturarum sensus optimum est argumentum: nec enim fides publice declarata, et solemnioribus cultus actibus demonstrata, potuit scripturis adversari, quum hæ in Ecclesia palam legerentur, et in dies explicarentur. Non est igitur subsidium qualecumque, sed certissima ratio scripturarum sensum dignoscendi; est enim ipsa fides Ecclesiæ, quam non vincit infernus, est ipsa Apostolici ministerii doctrina, cui adspirat Christus. Falluntur qui putant eam esse interpretationem ingenio excogitatam, quum sit potius ipsa doctrina ab initio tradita, et deinceps servata, cui equidem consonat Scriptura. Igitur non in eo laboramus ut veterum explicationes, quas singuli excogitarunt, statuamus, sed ut dogmata omnium fide et confessione celebrata in regulam certissimam fidei sumantur.

Obj. 3. Traditio sæpe obscurat et detorquet Scripturas, quapropter id Pharisæis exprobravit Christus: "irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram;"[2] et plures correxit interpretationes Scripturæ, quæ traditione nitebantur.[3] Ipsa rejectio Christi ex traditione ortum habuit, ea enim duce interpretabantur vaticinia de regno temporali.[4]

Resp. Publica illa Universalis Ecclesiæ fides a majoribus derivata, quam traditionem nuncupare placuit, numquam caliginem aliquam Scripturis offundit, sed eas splendore quodam circumdat: magis enim clarent quæ ubique per orbem prædicantur in suggestis, canuntur ad altare, et morum exercitiorumque omnium pietatis fundamentum habentur, quam quæ in libro jacent. Longe ab ea traditione distat Pharisaica illa doctrina de munere a filio dando quod patri prodesset, etsi violato pietatis officio. Hæc irritum fecit Dei mandatum, nec gentis fidem publicam habuit sibi suffragantem; sed fuit quorumdam pravum principium haud certe ab ultima antiquitate Judaica petitum. Quod autem Christus correxerit eos qui odio habendos inimicos docebant, legem de proximi dilectione male interpretati, non probat eam fuisse totius gentis traditionem, quum pleraque illic relata ad magistrorum quorumdam sui temporis pravas sententias videantur spectare. Rejectio autem Messiæ ex præjudiciis gentis evenit, suæ enim gloriæ studebant, nec ideo rite intellexerunt vaticinia. Cæterum nulla ratio probat eam interpretationem a majoribus suis derivatam, et communi veluti fide per sæcula plurima celebratam. Vaticinia ante eventum obscuritate quadam perfundebantur: nec mirum homines arcana quæ sub litterarum

(1) "Though we make great use of ancient tradition to help us to a clear understanding of the written word, still as to matters of faith we reject it altogether." Burnet p. 94.

(2) Mat. xv. 6.

(3) Mat. v.

(4) Burnet, Analys. Art. vi. n. 2.

cortice latebant haud feliciter scrutatos. Profecto nimium traditionis osorem se ostendit Burnetus, dum eam negati Messiæ facit ream, quum Judæi ex Scripturarum ad litteram interpretatione, suo fidentes judicio, hanc labem contraxerint.

Obj. 4. Traditio a Papia allegata in explicationem Apocalypsis de mille annorum regno, postea explosa est: eadem interpres Christi verborum de necessitate carnem suam comedendi, bibendi suum sanguinem, plurimos in errorem de infantium necessaria communione adduxit:[1] aliaque plurima ex traditione allegata commenta jam habentur.

Resp. Unius alteriusve scriptoris dictum traditionem non constituit, quæ publicam et universalem fidem respicit. Plerique errores ex Scriptura perperam intellecta profluxerunt, quos vitasset quisquis traditionem, publicam scilicet fidem, præ oculis habuisset. Quod ad necessitatem Eucharistiam suscipiendi spectat, non constat hujusmodi errorem unquam extitisse, quamvis pius viguerit alicubi mos infantibus eam porrigendi, ut ampliori ditarentur gratia.

Obj. 5. Patres antiqui nihil fidunt traditioni. Irenæus et Tertullianus hæreticos eam asserentes in Scripturarum explicationem refellunt, Scripturas allegando in errorum confutationem, et Ecclesias Apostolicas appellando, apud quas nulla hujusmodi traditio reperiri poterat.[2]

Resp. Mirum est Burnetum hæc scribere potuisse, quum uterque Pater traditionem in Apostolicis Ecclesiis servatam alleget et inculcet. Illi quos refutabat Irenæus traditiones suas, quas nullo teste jactabant, in Scripturarum explicationem non afferebant, sed totum suum systema de Œonibus ex traditione sua, vel potius ingenio statuebant, et omnem deinceps adhibebant artem ut ad eum modum scripturæ explicarentur: "Cum sit igitur tale illorum argumentum, quod neque prophetæ prædicaverunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur plus quam cæteri cognovisse, de iis quæ non sunt scripta legentes, et quod solet dici de arena resticulas nectere adfectantes, fide digna aptare conantur iis quæ dicta sunt, vel parabolas dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones Apostolicos, ut figmentum illorum non sine teste esse videatur: ordinem quidem et textum Scripturarum supergradientes, et quantum in ipsis est solventes membra veritatis!"[3] "Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex authoritate, et quia varie sint dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem: non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem. * * * Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non

(1) Burnet Analysis p. 98.
(2) Ibidem.
(3) l. i. c. i. p. 33. edit. col. Agrip.

solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem, Apostolos autem admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis."[1] Liquet hæreticos hujusmodi traditionem explicationis Scripturarum gratia non adhibuisse : veram autem fuisse traditionem quam veluti scutum impenetrabile, quo et ipsa Scriptura vindicaretur, Irenæus illis opposuit. "Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire.[2] Et serie Episcoporum in Ecclesia Romana recensita, subjungit : "Hac ordinatione et successione ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, et veritatis præconiatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio unam et eandem vivificatricem fidem esse quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate."[3] Nullam qualem allegabant hæretici traditionem in Ecclesia esse, veram et indubitatam appellando traditionem ostendit Irenæus.

Tertullianus pariter adstruit veram traditionem, dum eos refellit qui arcana quædam, ne Apostolis quidem cognita, docebant. "Solent dicere Non omnia Apostolos scisse."[4] His opponit doctrinam Ecclesiarum Apostolicarum, certam scilicet et notam veritatis regulam, nullamque de Scripturis quæstionem haberi vult : "Ita et hæreses de nostro frutice, non nostro genere, veritatis grano, sed mendacio silvestres. Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere."[5]

Obj. 6. Scripturarum authentia innotescit quidem traditione, qua ratione et cæteri libri genuini agnoscuntur : sed ejus inspiratio divina fide tenetur ex Spiritus Sancti testimonio. Hoc in quæstionem vocare nequeunt Catholici, qui Ecclesiam ex gratiæ motu se fide tenere dicunt, ex credibilitatis motivis humanam derivantes persuasionem.

Resp. Ipsa Scripturarum inspiratio traditione innotescere dicenda est, creditur enim ante earum lectionem. Quod si quis dicat se a Spiritu Sancto moveri ad eam fide tenendam etiam ante lectionem, et nulla habita traditionis ratione, nemo ei poterit contradicere, quum de arcanis agatur. Cæterum divinæ Sapientiæ consonum fuit, ut externa quædam et certissima inspirationis indicia darentur, adeo ut interna Spiritus Sancti actio externis argumentis responderet, nec videretur fides esse mera animi illusio. Traditionem igitur testem appellamus. Nec ideo Spiritus Sancti opus haud necessarium putamus, quod testimonium de inspiratione attendendum sit,

(1) l. iii. c. ii.
(2) c. iii.
(3) Ibidem.
(4) l. de præscr, n. 22.
(5) Ibid. 37.

hæc enim mire concordant, et majestatem et sapientiam divinam commendant, sicut etiam dum de Ecclesia agitur contingit, de qua alias. Confessi sunt egregii Scriptores Protestantici traditione opus esse, ut de Scripturarum auctoritate constet: "traditionem qua nobis in manum dantur Sacræ Scripturæ libri reverenter accipimus."[1] Illud autem occurrit discriminis inter Catholicam fidem de Ecclesiæ auctoritate ex Spiritus Sancti inspiratione conceptam, suffragantibus motivis credibilitatis, et fidem de Scripturarum inspiratione ex Spiritus ejusdem motu, quod externa Ecclesiæ auctoritatis argumenta certitudinem humanam, quæ omnem formidinem errandi tollit, pariant, adeo ut Spiritus Sanctus non gratis nec temere fidem inspirare dicatur; quum e contra gratis et temere asseratur certitudinem a Spiritu Sancto dari de Scripturarum divina auctoritate, externa enim indicia non ejusmodi sunt quæ certam ejusdem rei persuasionem parere valeant. Igitur ne omnis revelationis fides inter mentis illusiones recenseatur, oportet omnino ejus argumenta per se valere, et certitudinem parere, etsi gratiæ adjutorio opus sit ut fide divina quis veritates illas toto animi obsequio veneretur. *Amicorum* idcirco assertionem de Spiritu interius eos omnia edocente, et Protestantium plerorumque de Spiritu eodem divinam Scripturarum auctoritatem commendante, excipere renuimus, quia nullo argumento quod dubitationem tollat, satis probatur: e contra Ecclesiæ auctoritatem statuimus argumentis quæ dubitationem prorsus tollunt.

Obj. 7. Traditio de Scripturis est historia veluti librorum, scilicet testimonium de libris apud Ecclesias receptis, quod facile redditur: non ita doctrinæ traditio quæ rumor est huc illuc delatus. Ita Burnet.[2]

Resp. Fallitur auctor, si existimet rumores vagos et incertos in regulam fidei vindicari, agitur enim de publica et solemni Ecclesiæ doctrina, quæ ex Scripturis, fidei symbolis, liturgia, Conciliorum decretis, patrum scriptis, aliisque indubiis documentis innotescit. Non minus claret hujusmodi testimonium, quam illud quod fertur de Scripturæ inspiratione: sed eadem omnino traditio testatur libros illos Deoins pirante conscriptos, quæ Christum Deum perhibet, ex fide et cultu totius Ecclesiæ a vetustissimis sæculis explicans et illustrans quæ Scripturis continentur.

Obj. 8. Omnia jam in desuetudinem abierunt quæ Basilius commemoravit ex traditione derivata, quæque paria habuit cum Dei verbo. Ita Burnet.[3]

Resp. Fallitur qui putat omnia a Basilio commemorata consuetudine abrogata, nam "figura crucis signare eos qui in nomen Domini nostri Jesu Christi spem habent," non adhuc desivimus. "Invocationis verba" ad Eucharistiæ consecrationem adhibemus: "benedicimus aquam baptismatis, et oleum unctionis, insuperque ipsum qui baptizatur," "ipsamque

(1) Kemnitius in ex. Conc. Trid. Sess. 4.
(2) Analysis p. 109.
(3) p. 98. note b.

olei illitionem" usurpamus: imo "reliqua item quæ circa baptisma fiunt, renunciare Satanæ et angelis ejus" apud nos religiose servantur; quod autem ad orientem conversi non simus orantes, vel immersione plerumque non utamur, rituum quorumdam est mutatio vel neglectus, absque fidei dispendio. Non omnia hæc Basilius contendit paris esse cum divino verbo auctoritatis, sed pluribus usus est exemplis, ut ostenderet "non scripto proditas consuetudines" omnes absque discrimine rejicere "ipsis principalibus Evangelii partibus damnum inferre," nam "dogmata quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus: quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, et nemo his contradicit qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet."[1] Igitur egregius ille doctor traditionis vim inviolabilem in dogmatibus defendit, argumento ex receptis agnitisque apud omnes plurimis consuetudinibus ritibusque sacris, sola traditione innixis: dogmata autem, non ritus, parem ad pietatem vim cum ipsis Scripturæ verbis habere dicit.

PROPOSITIO II.

Certissimis testimoniis constat totam Christi doctrinam non fuisse scripto consignatam a sacris Novi Testamenti scriptoribus, sed quædam doctrinæ capita, viva voce tantum et Apostolici ministerii opera, transmissa.

Scripturæ testantur Christum magisterium instituisse quo fidei traderentur veritates, nec jussisse ut scriberentur: quapropter ex occasione quædam scripta videntur, nullo consilio totam doctrinam proponendi. Præsumendum igitur est eam non totam scripto contineri, quum nullus scriptor sacer affirmet eam totam conscriptam et Paulus doctrinam utraque ratione traditam commendet. Hæc autem præsumptio certissimis veterum testimoniis confirmatur.

Testantur antiquissimi Scriptores non omnia ab Apostolis scripto consignata fuisse. S. Ignatius M., teste Eusebio, per Asiam quum duceretur, Ecclesias "hortatus est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent: quas quidem, ad certiorem posteritatis notitiam, testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit."[2] Origenes: "Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare."[3] S. Cyprianus: "Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur."[4]

Eusebius Cæsareensis, dicit Christum in mentibus hominum suas doctrinas descripsisse: "ejus vero discipuli * * * partim literis, partim sine

(1) Basil. de Spir. S. c. xxvii.
(2) L. III. hist. Eccl. c. xxxix.
(3) L. V. in ep. ad Roman.
(4) Ep. ad Cæcil. 63,

literis, quasi jure quodam non scripto, servanda commendarunt."[1] S. Joannes Chrysostomus, in locum Apostoli ad Thessalonicenses: "Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio: nihil quæras amplius."[2] S. Epiphanius: "traditione quoque opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia: idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat: "Quemadmodum tradidi vobis.' Item alio loco: "Ita doceo, et ita tradidi in Ecclesiis."[3]

S. Augustinus de baptismo ab hæreticis administrato: "consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano ab eorum (Apostolorum) traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur."[4]

Probatur III. Valor baptismi a quocumque administretur, et omnium sacramentorum etiam ab indignis collatorum; et valor infusionis vel aspersionis; et quod infantes sint baptismi capaces, nullo certe possunt perspicuo Scripturæ testimonio probari, nec necessaria aliqua illatione: attamen a plerisque sectis hæc admittuntur. Ergo necessario admittenda est traditio divina qua nituntur. Equidem in omni retro antiquitate judicia de fidei controversiis lata sunt, quoties de Ecclesiæ traditione constabat, etsi nullum foret perspicuum Scripturæ de re in quæstione testimonium. Temere autem, ne dicam impie, Ecclesia a suis primordiis per omnia sæcula regulam fidei ignorasse diceretur.

Obj. 1. Nihil præter ea quæ Scripturis continentur recipiendum est tamquam Christianæ fidei regula. Deut. 4, 2: "Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo." Prov. 30, 6: "Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendar." Gal. 1, 8: "Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit." Apoc. 22, 18: "Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto." Mat. 15, 6: "Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram." et v. 9: "Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum." Coloss. 2, 8: "Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum." 1 Petri 1, v. 18: "Redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis."

Resp. In Deuteronomio Moses monet Judæos ne ritus alienos, Beelphegor colentium instar, in Deo colendo adhibeant, quapropter subjungit: "Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quo-

(1) L. I. dem. Ev. c. viii.
(2) Hom. 4. in ep. ad Thess.
(3) Hær. 61.
(4) L. V. de bapt. contra Donat. c. xxiii.

modo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri."[1] Nil autem inde sequitur, quo divina traditionis sub nova Lege labefactetur auctoritas; nec etiam sub Veteri. In Proverbiis vetatur ne quis Dei verbis aliquid addat, humana inventa divina auctoritate prætexentes, quod nefas fatemur; id autem non contingit ex divinis traditionibus, quæ vere sunt Dei verba, quibus et scriptum verbum, et ejus genuinus sensus certo innotescunt. S. Paulus Galatas, jam a falsis doctoribus ad ritus Mosaicos amplectendos abductos, contra ac ipse eos docuerat, monet, ne quidem Angeli cælestis speciem præseferenti credendum, si aliquid tradat divinæ quam Paulus tradiderat doctrinæ contrarium. Hunc esse Apostoli sensum ex tota Epistola patet. Nec hæc significatio aliena est a voce "præterquam" vel παρα apud Græcos, constat enim utramque pro "contra" usurpari.[2] Sic Apostolum explicat Augustinus: "admonitio Beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat; 'Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit:' Non ait, plus quam accepistis; sed præter quod accepistis: Nam si illud diceret, sibi ipse præjudicaret; quia cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit, non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Quod itaque ait Dominus: 'adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo:' adjicienda illis fuerunt quæ nesciebant, non quæ didicerant evertenda."[3] Cæterum divina traditio nec adversatur nec adjicitur Apostolicæ prædicationi, de qua, non autem de scriptura, manifesto loquitur Paulus[4]: "evangelizavimus vobis;" sed est ipsa prædicatio tota et integra servata. S. Joannis sub finem Apocalypsis minæ eos respiciunt qui illum librum vitiare vel rejicere auderent.[4] Quæ Christus exprobrat Pharisæis de majorum suorum traditionibus, quas doctrinas et mandata hominum vocat, non possunt divinas traditiones evertere, quæ Dei veritates complectuntur: eas scilicet veneramur quas Deum, non homines habere auctorem, totius Ecclesiæ judicium comprobat. Traditionem humanam, philosophorum inanibus placitis constantem, reprobat Apostolus Paulus, ut patet; eamque Petrus rejicit, vel eam saltem quæ Judaica, de lavandis manibus, et vasibus, præscripta respiciebat. Quam longe ab ea distet divina de dogmatibus revelatis traditio nemo non videt.

Obj. 2. S. Irenæus de Apostolis scribit: "quod quidem tunc præconiaverunt; postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, et columnam fidei nostræ futurum."[5] S. Athanasius: "Sufficiunt per se sacræ, et divinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicatio-

(1) Deut. iv. 3.

(2) Rom. 1. 26. iv. 28, xvi. 17.

(3) Tract. 98 in Joan.

(4) "I desire they will show me how it relates to any thing else than to that particular prophecy." Barclay Apol., prop. III., obj. 3.

(5) l. III. adv. hær. c. 1.

nem."[1] Et in Epistola Festali, in qua libros Canonicos enumerat, adjungit: "In his solis pietatis schola bene annuntiatur."[2] S. Basilius: "Stemus arbitratui inspiratæ a Deo scripturæ."[3] S. Cyprianus: "Unde est ista traditio? utrumne de Dominica et Evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur, et proponit.[4] S. Hieronymus: Sed et alia quæ absque authoritate et testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica, sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei."[5] S. Augustinus: "In his quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi."[6]

Resp. S. Irenæus non asserit *omnia* quæ Apostoli prædicarunt fuisse postea ab iis conscripta; sed eandem doctrinam tum scripto tum voce traditam; refellit enim hæreticos diversam doctrinam veluti in occulto traditam asserentes. S. Athanasius dicit scripturas sufficere ad indicandam veritatem de qua tunc agebat, nempe quod idola non sint Dii; et in solis libris Canonicis, non autem Apocryphis, pietatis Scholam bene annuntiari. Hunc esse S. Doctores sensum patet ex contextu. Eum non excludere traditionem æque constat. En integrum testimonium: "Sufficiunt quidem per se tum sacræ et divinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem: tum plurimi de eadem re libri a Sanctissimis Magistris conscripti, quos si quis evolvat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem, et fortasse eam quam cupit cognitionem adipiscetur. Cæterum quia eas lucubrationes ad manum non habemus, necessum est quæ ab illo didicerimus, tibi scripto proferamus. Loquor autem de nostra in Salvatorem fide." Enumerationi librorum Canonicorum sic præfatur: "Quandoquidem aggressi sunt aliqui describere sibi apocrypha quæ dicuntur, et ea cum divinitus inspirata Scriptura confundere, de qua certissime persuasi sumus, quemadmodum tradiderunt Patribus qui ab initio spectatores et ministri sermonis fuerunt: visum est et mihi instructo a veris fratribus discipulo, ab initio ordine exponere Canonica, et tradita, nec non credita divina Biblia." In utroque, ut patet, S. Doctor agnoscit vim traditionis et necessitatem ad noscendos divinos libros et eorum sensum. S. Cyprianus, errore de Baptismo hæreticorum reprobando laborans, objectam sibi Ecclesiæ consuetudinem et traditionem respuebat, utpote recentius inductam, prout ipsi videbatur, et Evangelicæ auctoritati parum consonam. Cæterum ibi, sicut et alibi, agnoscit divinæ traditionis auctoritatem: "Si ad divinæ traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus. * * *

(1) Orat. contra gent.
(2) Ep. 39.
(3) Ep. 80.
(4) Ep. 74. ad Pompeium.
(5) Comm. in c. 1., Aggæi.
(6) l. 2., de doct. christ., c. 9.

"Si in aliquo vacillaverit et nutaverit veritas, ad originem Dominicam, et Evangelicam, et Apostolicam traditionem revertamur."[1] Mirum autem non est eum parum accurate loquutum, dum falsam sententiam propugnaret. S. Basilius non rejicit traditionem; sed varia quum esset locorum consuetudo circa vocabula quibus Trinitatis Mysterium annunciaretur, nonnullis tres hypostases, aliis unam dicentibus, Scripturarum ope asserit investigandum quænam ratio loquendi sit magis probanda. S. Hieronymus impugnat "de Tatiani radice crescentes" "qui tribus quadragesimis per annum jejunantes, et Xerophagiis humiliantes animam suam" falso affirmabant suas observationes ex Apostolica traditione provenire, quum toti retro Ecclesiæ ignotæ fuissent. S. Augustini mens toto recitato testimonio melius patebit: "Illa quæ in eis aperte posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertius diligentiusque investiganda sunt. Quæ tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentia capacior. In iis enim quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem, de quibus libro superiore tractavimus." Vult quidem S. Doctor omnia quæ Scripturis continentur, ad fidem, spem, et charitatem referri, quin omnia fidei dogmata perspicuo in iis enuntientur.

Obj. 3. Traditiones fidem incertam ac mutationibus obnoxiam efficiunt: neque enim facile innotescere potest quæ sint divinæ et Apostolicæ traditiones, quæ vero commenta humana. Eas vero vitiare etiam unumquemque penes est, suasque venditare sententias earum obtentu.

Resp. Similia incommoda Scripturis contingere possent; homines scilicet sublestæ fidei sæpius apocryphos libros tamquam divinos in lucem ediderunt, verosque Scripturæ libros mutilare, vel alias vitiare tentarunt, adulterinos etiam eis affingentes sensus. E contra qui "semel traditæ sanctis fidei" adhærent, æstu opinionum huc et illuc non feruntur, sententiarum novitati non student: innotescunt quippe divinæ traditiones ex universali omnium fidelium ubique sensu, ex receptis a sacra vetustate moribus et ritibus; ex Patrum scriptis; aliisque antiquitatis monumentis; præsertim verò ex solemni Ecclesiæ judicio. Eas igitur vitiare, vel falso venditare nemo potest, quamvis enim id conaretur alicubi efficere, non posset toti Orbi Christiano persuadere sic fuisse a veteribus traditum, si nullum traditionis hujusmodi vestigium in ipsis per orbem Ecclesiis, et in iis quæ supersunt præteritorum sæculorum monumentis reperiatur: traditiones scilicet divinæ non unius aut alterius dicto nituntur, nec secretò insusurratæ sunt auribus; sed palam et ubique in Ecclesia prædicatæ sunt, scriptis veterum patrum celebratæ, quotidianis Religionis exercitiis etiam explicatæ, Conciliorum Pontificumque decretis consignatæ, omni demum probationum genere confirmatæ.

Ex his quæ disceptavimus liquet eam a nobis traditionem vindicari quæ

(1) Ep. 74, ad Pomp.

dogmata in Ecclesia solemniter celebrata respicit, quæque solemni Ecclesiæ judicio declaratur. Appellari solet *divina traditio* utpote quæ Deum habet auctorem, res enim revelatas respicit: *Apostolica* tamen nonnumquam vocatur, quia Apostoli prædones ejus primi fuerunt, nec enim revelatio aliqua eorum ætate posterior ad fidem Catholicam pertinet. *Apostolicæ* autem *traditiones* specialiter dicuntur consuetudines legesve disciplinæ et cultus, quæ ad Apostolos referuntur auctores, ab iis institutæ vi auctoritatis quam in Ecclesiæ regimen a Christo acceperunt. Sic liturgiarum substantia, Dominicæ diei observatio, Quadragesimale jejunium, Cælibatus lex, Apostolos auctores plerumque habere censentur. Quæ originem habent mere Apostolicam possunt varietatem et mutationem pati, si rebus mutatis id expedire præsulibus Ecclesiæ visum fuerit. Plurimas consuetudines ab ipsa Apostolorum ætate derivatas recensuit olim Tertullianus, et deinceps Basilius, quas jam magna ex parte desideramus. Tertullianus: "Hanc adeo inveteratam observationem, si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu, exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an et traditio nisi scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquando prius, in Ecclesia, sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit: inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus, Eucharistiæ Sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu, quam Præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, et aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix."[1] "Invocationis verba" quærit S. Basilius, "cum conficitur panis Eucharistiæ, et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium: verum alia quoque et ante et post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad

(1) l. de cor. mil. c. 3

Mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam Baptismatis, et oleum Unctionis: præterea ipsum qui Baptismum accipit; ex quibus scriptis? Nonne a tacita, secretaque traditione? ipsam porro olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ et Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex doctrina quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt? Pulchre quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservari."[1] Hæc, ut patet, referuntur ad ritus ex Apostolica traditione acceptos.

Dantur etiam *Ecclesiasticæ traditiones*, scilicet consuetudines quædam ab antiquis derivatæ temporibus, Præsulum Ecclesiæ post Apostolorum ætatem nixæ auctoritate. Sic aquæ benedictæ usus, et ritus plurimi inter Ecclesiasticas traditiones recensentur.

C. IV. DE SCRIPTURARUM INSPIRATIONE.

Quæ ad consuetudines legesve referuntur traditiones ad disciplinam pertinent, traditione divina veritates revelatas spectante. Magna pars traditionis idcirco Scripturis continetur, quas divino afflatu conscriptas inde novimus, et quarum genuinum sensum pari ratione addiscimus. Qui traditionem respuerunt, Scripturas magnis ornarunt elogiis, utpote manifesta præbentes divinæ originis indicia, et adeo perspicuas ut quisque sibi posset certissimam veritatis revelatæ notitiam inde adipisci. Cæterum sublato traditionis fulcro, totum revelationis ædificium ruere visum est, nam in innumeras de Scripturarum sensu sententias discordes distracti abierunt, et Scripturarum inspirationem ipsi plurimi impugnarunt. *Socinus* jam sub Reformationis primordia præcoces ejus fructus tulit, quem imitantur innumeri per Germaniam, Angliam, Americam, Deismum Christiano nomine velantes. Quam late diffusi sint *Rationalistæ* satis est notum: et *Unitarianorum* numerum, (sic enim malunt vocari, repudiato Socini discipulorum vocabulo,)[2] nemo facile dicet, præter eos enim qui sectam constituunt, alii iisdem principiis gloriantes passim reperiuntur. Hi etsi oracula Dei, et verbum Dei Scripturas appellent, dicunt tamen hypothesim de inspiratione qualicumque nullius esse momenti, et gravibus difficultatibus laborare.[3] Ipsi qui admittunt inspirationem, eam ita explicant, ut vis ejus plurimum infirmetur. *Horne* nescio quem secutus, inspirationem quarumdem Scripturæ partium in eo ponit, ut gravi

(1) l. de Sp. S. c. 27.
(2) Unitarian Miscellany, vol. v. p. 71.
(3) Ibidem. vol. vi. p. 159.

nullo errore fœdentur:[1] imo quasdam partes haud inspiratas esse tradit.[2] *Parry*, quem laudat, quædam ab Apostolis ipsis exarata censet, nullo supernaturali influxu, sed ea ratione qua alii quicumque probi scriptores res referrent, divino Spiritu doctrinas aliaque ad mores spectantia inspirante.[3] *Paley* opus non esse contendit divinam Veteris Testamenti librorum auctoritatem tueri, ne quidem quoad ea quæ ex iis laudavit Christus testimonia, iis tantum exceptis vaticiniis quibus eam manifesto tribuit.[4] *Amici* videntur Scripturas non alia ratione inspiratas agnoscere, quam quod quæ interius Spiritus manifestaverit, sicut sanctis omnibus contingit, scripto retulerint. Tridentina Synodus "orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor," se suscipere ac venerari professa est, et anathemate percussit quicumque "libros ipsos integros cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis non susceperit.[5]" De inspiratione autem variæ fuerunt sententiæ Catholicorum; quidam enim singula verba Spiritu Sancto dictante conscripta censuerunt: alii sententias resque divinitus dictatas, verborum delectu scriptoribus plerumque relicto. *Lessius* et *Hamelius* secundum Macchabæorum librum humana industria esse conscriptum, divinam tamen obtinuisse auctoritatem, Spiritu Sancto per Ecclesiam nihil falsi in eo contineri testante censuerunt. Id quidem apud omnes constat, *revelatione* opus non fuisse ut ea quæ ipsi viderant, vel alias certo didicerant, scriptores referrent, quum Sancti Spiritus affulgente lumine ne errarent, satis dirigerentur. Haud tamen sufficere videtur ut ab errore quæ doctrinam respicit serventur immunes, uti censuit Holden;[6] adeo ut in errorem etsi levem memoria labi, aut alias incidere possent. Ideo omnem scripturam, Deo afflante, scriptam πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος[7] putamus, impulsos scilicet sanctos Dei homines a Spiritu Dei ὑπο Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι; nam quod de prophetica Scriptura dicit Petrus, ad totam scripturam, juxta vocabuli usum apud Novi Testamenti Scriptores, referendum est.[8] "Admisso semel," inquit Augustinus, "in tantum auctoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla librorum illorum particula remanebit, quæ non utcumque

(1) "Any material error." Horne's Introduction, App. No. 1. § 1.

(2) "It is not necessary to be able to distinguish the inspired from the uninspired parts of the historical books of the Old Testament." Ib. p. 516.

(3) "It is not necessary to suppose that they were under any supernatural influence in mentioning such common or civil affairs, though they were, as to all the sentiments they inculcated respecting religion." Parry's Inquiry into the nature and extent of the inspiration of the Apostles.

(4) Paley's Evidences of Christianity, p. 3, c. iii.

(5) Concil. Trid. Sess. iv. decr. de Can. Scrip.

(6) Divinæ fidei Anal. i. 5.

(7) II Tim. iii. 16.

(8) II Pet. i. 21.

videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis."[1] "In illa verò canonicarum eminentia sacrarum litterarum, etiam si unus propheta, seu Apostolus, aut Evangelista aliquid in suis litteris posuisse ipsa canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod verum sit; alioquin nulla erit pagina qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, si librorum canonicorum saluberrima auctoritas aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur."[2]

Scripturarum inspirationem Catholici, Ecclesia teste et magistra, tenent. Attamen non negant testimonium hoc Ecclesiæ, quod indiciis quibus ipsa claret divinæ institutionis satis commendatur, ex ipsis Scripturis lectis, et externis etiam argumentis, valde roborari, ita ut suadeatur iis qui ipsam Ecclesiæ auctoritatem non agnoscunt. Quæ in Scriptura occurrunt inspirationis indicia,[3] et quæ alias derivantur ex populorum consensu, vel aliis capitibus, humanam quandam fidem iis possunt conciliare, quod patet in sectis quæ Ecclesiam magistram respuunt: sed omnimoda certitudo de omnium librorum inspiratione, vix, vel ne vix quidem, absque Ecclesiæ docentis auctoritate haberi potest; nam in ipsa Scriptura plurima occurrunt quæ absona, ridicula, discrepantia videri possent, etiam ei qui sublimitatem et cælestem quandam indolem aliquarum ejus partium agnosceret. Quod igitur animadvertit *Stillingfleet*, divinam fidem de Scripturarum inspiratione niti posse *motivis credibilitatis*, sicut Catholicorum fides de Ecclesiæ auctoritate,[4] non habet locum, quæ enim adducuntur argumenta inspirationis Scripturarum, seposita Ecclesiæ auctoritate, non faciunt certam fidem de omnibus libris, nec de singulis earum partibus; quum e contra Ecclesiæ divina origo et conservatio certissimis constet indiciis, quæ etiam humanitus perpensa, omnem dubitationem tollunt.

Quando igitur Ecclesiæ in Scripturæ inspiratione testanda affirmatur auctoritas, nihil detrahitur argumentis ex ipsa desumptis, quæ *intrinseca* vocantur, scilicet vaticinia quæ continet, miracula quæ refert, rerum sublimitas, mira omnium librorum ad Dei gloriam et hominum salutem conspiratio, et in rebus gestis, præcipuis saltem, manifesta concordia;[5] vel *extrinsecis*, ex populorum consensu, ne exceptis sectis ipsis inter se collidentibus, ex scripturarum conservatione, aliisque hujusmodi: hæc enim omnia suam retinent vim, quibus tamen robur adjicitur invictum Ecclesiæ testimonio, et judicio. Ejus necessitas eo magis patet, quod plerique haud absque difficultate et studio diuturno possent ad qualemcumque animi persuasionem de totius Scripturæ inspiratione alia ratione pervenire, quum intrinseca argumenta lectionem postulent assiduam, et judicium subtile.[6]

(1) Ep. 8. ad Hieronym.
(2) Contra Faustum l. ii.
(3) Lanigan l. I, c. viii. §. c. not. 4, p. 426.
(4) Vide Stillingfleet's Works. v. 4, p. 123, cit. in Analysi, p. 278.
(5) Vide Horne's Introduction, vol. I, ch. iv.
(6) Vide Lanigan, Instit. Bibl. p. 1, l. I, c. viii, not. 4, p. 427.

Fatentur Presbyteriani et Baptistæ, iisdem enim plerumque adhærent placitis, et iisdem vocibus utuntur, posse homines ad altam sacrarum Scripturarum venerationem ex testimonio Ecclesiæ moveri: et eas per se verbum Dei manifesto se prodere ex cælesti rerum indole, doctrinæ efficacia, styli majestate, partium concordia, totius scopo, viæ salutis unicæ quam pandunt, aliisque perfectionibus: attamen plenam persuasionem divinæ qua præstant auctoritatis ex Sancto Spiritu in corde testante, provenire contendunt, adeo ut ex hominis vel Ecclesiæ alicujus testimonio non pendeat.[1] Anglicani autem Ecclesiam vocant "testem et custodem Scripturæ,"[2] quibus tamen verbis Canonicam alicujus libri auctoritatem suo testimonio determinandi potestatem non agnosci, *Burnet* affirmat: imo nihil aliud significari quam libros sacros apud tantam hominum multitudinem, per sæculorum seriem, conservatos et lectos, quod corrumpi non potuerint.[3]

Igitur Catholicos inter et Protestantes convenit Scripturis contineri divinæ inspirationis præclara indicia, et aliunde accedere magna ejusdem argumenta: quæ tamen Catholici non adeo valere censent, ut omnibus perspectum fiat, singulos libros singulasque eorum partes ex Spiritus Sancti afflatu conscriptas: quapropter testimonium et judicium Ecclesiæ appellant, quo de totius Scripturæ inspiratione certi omnes esse possint.

PROPOSITIO.

Utriusque Testamenti libri omnes ex Dei inspiratione scripti sunt.

Probatur. Quoad Vetus Testamentum traditio Judæorum magnam vim habeat necesse est, adeo enim eos libros venerati sunt tamquam divina documenta θεῦ δογματα, ut pro iis mortem libenter oppetierint, teste Josepho.[4] Eis inspirationem manifesto tribuit, prophetas enim quos librorum sacrorum perhibet auctores, dicit ex afflatu divino quæ tradiderunt cognovisse: κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ.[5] Philo autem dicit Deum prophetis tamquam suæ voluntatis interpretibus, organorum instar, usos esse: Ἑρμηνεῖς γὰρ εἰσιν οἱ προφῆται Θεοῦ, καταχρωμένου τοῖς ἐκείνων ὀργάνοις πρὸς δήλωσιν ὧν ἂν ἐθελήσῃ.[6]

Judæorum sententiam, traditionem, et fidem manifesto confirmavit Christus, non *argumentando ad hominem*, uti Rationalistæ asserunt, sed Scripturarum auctoritatem urgendo; iis scilicet de se contineri vaticinia affirmavit: nec aliquid ex lege præteriturum quin impleretur, dixit:

(1) Presbyterian Confession, ch. i, §. 4, 5.
(2) Art. xx.
(3) Analysis p. 315.
(4) Contra Apion, i. 8.
(5) Ib. §. 7.
(6) De Monarchia l. II, tom. II, p. 222, ed. Mang.

"Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum et terra iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant."[1] Quæ igitur tantæ sunt firmitatis, ante tot sæcula prædicta, Deum certe habuerunt auctorem, Christo docente. Ideo suam auctoritatem Scripturarum veterum appellato testimonio sæpissime allegavit: "Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit."[2] "Incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant."[3] "Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me."[4] Vaticinia præclara ad Deum necessario referri jam vidimus, ideoque ea saltem divina forent agnoscenda: sed voces Christi omnes Scripturas complectuntur. Quum igitur ejus auctoritas divina jam probata sit, quas agnovit Scripturæ divinæ etiam habendæ sunt.

Apostoli frequentissime testimonia ex veteribus scripturis laudarunt, ea Deo auctori tribuentes: "Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum, sic implevit."[5] "Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis."[6] "Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Santi Dei homines.[7] "Credita sunt illis *(Judæis)* eloquia Dei."[8] "Quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum."[9] Liquet igitur Christifideles, æque ac Judæos, libros illos divinitus conscriptos habuisse. Equidem in iis passim reperiuntur Dei jussa ut plurima scripto mandarentur: "Scribe hoc ob monumentum in libro."[10] "Scribe tibi omnia verba quæ locutus sum ad te, in libro."[11] Judæorum traditio de librorum illorum inspiratione, testimonio scriptorum, miraculis, vel vaticiniis firmato, innixa est, quam Christianis commendavit Christi et Apostolorum auctoritas.

Libros veteris Testamenti ex Spiritus Sancti inspiratione prodiisse Christianorum fuit perpetua fides. S. Clemens Romanus, ad Corinthios scribens, Spiritui Sancto ea quæ citat ex Scripturis veteribus testimonia tribuit: "Dicit quippe Spiritus Sanctus: 'Non glorietur sapiens in sapientia sua * * * Ait enim Sanctus Sermo: Super quem respiciam, nisi super mansuetum, et quietum, et trementem eloquia mea?"[12] S. Justinus monet prophetarum verba "non ab his qui afflati fuerunt, sed

(1) Matt. v. 18.
(2) Joan. v. 46.
(3) Luc. xxiv. 27.
(4) Ibid. 44.
(5) Act. iii. 18.
(6) Rom. i. 2.
(7) II Pet. i. 21.
(8) Rom. iii. 2.
(9) II Tim. iii. 15.
(10) Exod. xvii. 14.
(11) Jerem. xxx. 2.
(12) Ep. I. ad Cor. §, 13,

ab eo, quod illos movebat, Verbo divino dicta"[1] existimanda, et Mosen primum ex prophetis recenset, cujus narrationem habet prophetiæ instar. Athenagoras dicit: "Nos autem eorum quæ perspicimus et credimus, testes habemus Prophetas, qui divino Spiritu afflati de Deo ac rebus divinis pronuntiarunt."[2] De Dei Spiritu loquitur, "qui Prophetarum ora, tamquam instrumenta pulsavit.[3] Irenæus passim utitur Prophetarum vaticiniis, quorum ore Dominum usum esse affirmat; "Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a Verbo Dei, et Spiritu ejus dictæ."[4] Clemens Alexandrinus Prophetas inspiratos dicit ἐμπνευσθέντες, dum citat testimonium ex Proverbiis; quo liquet Prophetiæ nomine Scripturam quamcumque venire: "Prophetæ quidem, ut qui a Domino fuerunt missi et inspirati, non erant fures, sed ministri. Dicit itaque Scriptura: *misit Sapientia servos suos, convocans cum alto præconio in craterem vini.*"[5] Sic Patres omnes passim, de omnibus veteris Testamenti Scripturis. De libris Novi Testamenti eadem semper viguit fides. In re notissima, et apud adversarios plerosque in confesso, superfluum videtur afferre testimonia. Unum aut alterum recitabimus. Origenes laudat hominem qui fidei concordiæ studiosus, quæ inter se aliquando pugnantia videntur divina eloquia ἐν τοις θειοις λογιοις studet conciliare, "consensum veterum Scripturarum cum novis, legalium cum propheticis, Evangelicarum cum Apostolicis, et Apostolicarum inter se demonstrans."[6] S. Cyprianus passim citat testimonia Novi Testamenti: "Probat Scriptura divina quæ dicit: 'turba autem eorum qui crediderant, anima et mente una agebant.'"[7] S. Athanasius de omni Scriptura ait: "Omnis quidem apud nos, sive nova, sive vetus Scriptura, Numinis afflatu prodiit, et idonea est ad erudiendum."[8] Sic cæteri omnes. His constantis traditionis, de Sacrorum librorum utriusque Testamenti inspiratione, documentis, suffragantur quæ iis continentur; quæ enim de Deo, ejusque in hominum salutem consiliis, referunt, ejusmodi sunt quæ mens humana sibi relicta nequaquam excogitasset; sublimia dogmata, sancta morum præcepta divino ex fonte manasse meritò existimantur. Simplicitas styli cum rerum sublimitate, altissimæ sententiæ nullo verborum ornatu exhibitæ; res gestæ nulla arte relatæ omni suæ gentis studio remoto, principia credendi vel agendi certo posita, et auctoritas absque fastu, homines suo ingenio scribentes non

(1) μη ἀπ' ἀυτων των ἐμπεπνευσμενων λεγεσθαι νομισητε, ἀλλ' ἀπο τθ κινθντος ἀυτθς θεια λογθ. Apol. i. § 36.

(2) ὁι πνευματι ενθεῳ ἐκπεφωνηκασι, Legatio pro Christianis, n. 7.

(3) ὡς ὀργανα κεκινηκοτι τα των προφητων στοματα. Ibidem.

(4) Adv. hær. l. ii. c. 47.

(5) Stromatum l. 1. xvii.

(6) E secundo tomo in Ev. Matthæi p. 328, tom. x. Wirceb. ed.

(7) l. de Unit.

(8) Ep. ad Marcellin. de interpr. Psal.

ostendunt, sed divinum potius indicant afflatum. Mirus ille rerum nexus, a condito orbe usque ad novissima Judaicæ reipublicæ tempora, per Scriptores sæculorum intervallo inter se distantes, mentem omnia simul pervadentem sæcula, et summo consilio omnia in finem sibi propositum dirigentem probat. Novi cum Veteri Testamento concordia, figuris tamen veritati cedentibus, Vaticiniis mire impletis, dogmatibus magis explicatis, et quæ ab initio evenerunt, vel per sæculorum seriem, majora in populum Christianum beneficia prænunciantia, sapientiam, et bonitatem divinam ostendunt, et libros ipsos, Dei consiliorum indices, summa quadam auctoritate commendant. Miracula etiam quæ referunt, certissimis datis veritatis argumentis, nonnullos, Mosen : v. g : divinitus electos, et adjutos probant, quorum scripta idcirco Deo afflante prodiisse haud temere creditur.[1]

Quod autem libri sacri per tot sæcula sint conservati, Christianis cum Judæis de Veteris Testamenti inspiratione consentientibus, alias licet adeo discordibus ; hæreticis cum Catholicis de plerisque utriusque Testamenti libris; magna omnium Christianorum per omnia sæcula multitudine eos contra quosdam, unum vel alterum librum impugnantes, vindicante, præclarum est argumentum divinæ auctoritatis ; in iis scilicet, utpote divinis eloquiis, omnes suarum sententiarum exquirere consueverunt præsidium. Ea omnium fere persuasio, per omnia Sæcula a Christi morte, ostendit Scripturarum inspirationem ab initio certissime innotuisse, nulla die delendam.

Testimonium igitur Ecclesiæ de Scripturarum inspiratione perpetua orbis Christiani traditione et fide nititur, et ipsis Scripturis lectis suadetur. Sicut Ecclesia suis fulget indiciis, et Scripturis etiam commendatur, sic et Scriptura characteres divinæ originis haud obscuros præseferens, Ecclesiæ testimonium non dedignatur, ut in hominum notitiam facile, brevi, certo divina ejus auctoritas veniat.

Obj. 1. Scripturæ de mundi ordine, rerumque natura, ea ratione loquuntur quæ scientiarum physicarum prodit ignorantiam.[2] Sic lux ante solem creata refertur, diesque tres elapsi, antequam sol sideraque in firmamento collocarentur. De cælo sidereo, tamquam de fornice cui adhærent sidera loquuntur, lunamque magnum luminare prædicant. Terram consistere et super aquas fundari, et planam habere superficiem ; solem autem moveri dicunt. Omnia propter hominem condita exhibent, quum verosimile non sit lucida illa corpora, numero pene infinito, quibus ornantur cæli, ob solum hominem creata esse, præsertim quum et ipsum pleraque lateant, nonnisi instrumentis opticis detegenda. Mirum igitur non est Virgilium ex Hibernia, sæculo octavo medio, in Germania sacro ministerio fungentem, fuisse ad Zachariam Pontificem hæreseos delatum, quod contra Scriptu-

(1) Vide Lanigan laudatum, p. 426.

(2) Rosenmüeller eam vocat mitiori vocabulo "disciplinæ omnis physicæ et astronomicæ infantiam." Scholia in Gen. i.

rarum auctoritatem antipodas esse doceret, et alios homines et solem alium. Merito etiam damnatus dicendus foret Galilæus, si scripturarum standum sit auctoritati, nam et ipse systema invexit iis plane adversum.

Resp. Scripturæ divino consilio exaratæ sunt, ut de rebus quæ ad salutem pertinent edocti, Dei opera et erga homines beneficia sciremus, et munera quæ solvere debemus. De rebus physicis sacri scriptores utuntur receptis loquendi modis; phrases autem populares, a rerum specie mutuatæ, ab iis etiam adhiberi consueverunt, quibus alia inhæret sententia; quapropter Copernicani æque ac cæteri de solis motu familiari sermone loquuntur. Utrum sacri scriptores ipsi sciverint qua ratione orbis circumvolvatur ad inspirationem nil facit: potuit enim Deus eos impellere ut plurima ad nostram utilitatem referrent, quin eos de rebus illis ad salutem parum attinentibus edocuerit. Cæterum non adeo constat verum rerum ordinem eos latuisse.[1] Quod lux ante solem extiterit, facile concipitur ab iis qui cum plurimis recentioribus lucem existiment fluidum esse ex cujus vibrationibus visionis phenomena oriuntur, et a sole omnino distingui. Sive igitur Mosen intelligamus de ipsis corporibus cælestibus quarto die conditis, vel conspiciendis exhibitis, nil inspirationi ejus detrahitur. *Firmamentum* reddi posse *expansum* juxta vim vocis Hebraicæ רקיע docti homines norunt: ideoque necesse non est sidera fornici infixa sibi fingere. Luna autem luminare magnum nobis est, lucem enim demittit, etsi aliunde derivatam. Terræ ad aquas relationem aptissime in Scripturis significatam habemus, quin necesse sit aquas terræ subesse cogitare, vel planitiem, potius quam sphæram eam habere. Omnia autem ad Dei gloriam imprimis condita esse liquet, quæ tamen hominis utilitati plurima inserviunt, quin ideo excludantur speciales alii fines quos divina sapientia sibi præstituerit. Ex conspecta stellarum multitudine magna divinæ gloriæ notio nobis oritur, nec ipsæ quæ nonnisi instrumentis opticis deteguntur, vel quæ aciem oculorum omnem effugiunt penitus inutiles divinæ prædicandæ gloriæ dicendæ sunt, quum eas existere nosse aliquo pacto valeamus. Cæterum Astronomorum conjecturæ de planeticolis, Scripturarum salva auctoritate, habentur. Nos quæ certa sunt, divina revelatione patefacta, tenere juvat, quin conjecturis, vel hypothesibus, quamtumvis speciosis, a veritate certo cognita divelli possimus. Quod ad Virgilium pertinet, accusatus est veluti docens: "quod alius mundus, et alii homines sub terra sint, aliusque sol et luna:"[2] quæ sententia homines ab Ada haud ortos respicere videtur, non fratres nostros ex altera orbis parte. Cæterum quamvis Zacharias Pontifex durius cum eo agi censuerit si accusatio probata fuisset, nihil definivit, et deinceps sententiam ejus innoxiam fuisse agnovit, nam Virgilius ad Episcopatum Salisburiensem evectus est, et post mortem inter sanctos relatus. *Galilæus* systema Copernicanum vehemen-

(1) Vide Moyse et les Géologues, par Victor de Bonald, 4me. jour.

(2) Vide Baronii Annal. ad an. 748, et Feller, Dictionnaire hist. art. Virgile.

tius propugnans invidiam sibi conflavit, sed carceri non est mancipatus, Senas ad amicum Archiepiscopum dimissus.[1] Cæterum quum illud videretur scripturæ adversari, Inquisitionis tribunal vetuit ne illud pergeret tueri; quod mirum non est, deficientibus eo tempore illis amplissimis calculis et observationibus quibus postea est munitum. Inde autem minime conficitur Scripturas revera aliquid tradere, quod certis scientiæ astronomicæ principiis vel phenomenis adversetur.

Obj. 2. Scriptura multa continet fabulis simillima: v: g: colloquium serpentis cum Eva, et totam lapsus hominis narrationem: Balaami ab asina objurgationem; Samsonis res gestas, Jonæ fata, Jobi vices, de Dei deambulatione ad auram captandam, et de familiari ejus cum hominibus consuetudine, sicut et de Angelorum frequentibus visionibus, et inter homines rebus gestis. Ergo ut Scripturarum veritas in re historica vindicetur, earum inspiratio necessariò est deserenda, et pleraque hujusmodi mythis accensenda sunt.

Resp. Non ita vindicantur Scripturæ, affirmando scriptores incertas secutos traditiones, vel mythis usos fuisse, nullo eorum dato indicio. Profecto si validissimis argumentis historica veritas eorum non constaret, de rebus hujusmodi dubitatio facile oriretur, sed ea semel probata, non licet quidquam rejicere, præsertim quum divina auctorum inspiratio eadem traditione probetur. Quod serpens locutus sit, res vere mira est, sed fidem non excedit, præsertim quum dæmon eo veluti instrumento usus intelligatur, qui idcirco antiquus serpens dictus est. Tota lapsus hominis narratio Deo est digna, nam præceptum dedit pristinæ conditioni congruum, nempe ut a fructu quodam sese in obedientiæ indicium abstineret; et reos miseratus est, victoriam de hoste per prolem pollicens. Balaami objurgatio ostendit avaritiæ cæcitatem et crimen, Deo aperiente jumenti os ut vati impio peccatum exprobraret: Deo autem, qui dedit homini sonis articulatis sui animi sensus exprimere, et animantibus rugitus, balatusque edere, difficile non fuit, asinæ lingua sonos in aere qui exprobrationem significarent efficere. Samsonis mira fortitudo Dei commendabat potentiam, qua vindicta justa in populi oppressores exercebatur; quæ autem humano spiritu egit, ei imputanda sunt. Cæterum plura de portis ablatis aliisque hujusmodi non adeo mira videbuntur, si res prout tunc se habuerunt, accurate perpendantur. Jonæ fata ad sublimiorem eventum designandum miro Dei consilio destinata sunt. Jobi vices divinam providentiam vindicabant. Quod autem de Deo ambulante ad auram dicitur, explicatur a nonnemine de strepitu quo excitatus est Adam tamquam deambulantis, vel venti per arbores sub vesperam flantis. Familiare Dei cum hominibus colloquium per Angelos habitum videtur, Deo sua consilia et jussa famulis suis patefaciente. Frequentes autem visiones vel visitationes Angelicæ primæva ætate divinam bonitatem commendant, quæ et posteris sæculis con-

(1) Vide Storia della Letteratura Italiana da Tiraboschi, t. VIII. l. II. c. ii.

suluit, earum narratione transmissa. Opus quidem non est ut Angeli nobis sese exhibeant, Dei in flagitiosos vindictam annuntiantes, quum satis sit quæ in Sodoma cæterasque civitates fecit, in Scripturis legere. Hæc autem omnia præclare vindicarunt egregii quique Scripturarum interpretes, et revelationis vindices, quos consulere oportet: nec enim in singulis immorari nobis licet.

Obj. 3. Plurima nulla arte sibi concilianda continent Scripturæ, quarum tamen historica veritas vindicari possit, si in rebus nonnullis error admittatur, substantia narrationis incolumi; vel præcipuis saltem rebus gestis. Sic in Actis Apostolorum dicitur: "descendit Jacob in Ægyptum, et defunctus est ipse et patres nostri. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem."[1] Attamen corpus Jacob ex Ægypto translatum in Hebron conditum refertur in Genesi.[2] Sepulchrum hoc ab Abraham quidem emptum est, sed Ephron filius Seor,[3] rogantibus filiis Heth illud vendidit. Hemor fuit pater Sichem, non autem ejus filius.

Resp. Quum Scripturarum fides invictis statuatur argumentis, æquum non est pauca quæ difficultatem faciunt urgere. Profectò feliciter explicarunt interpretes ea quæ in speciem pugnare videntur, et sæpesæpius ex ipsa difficultate novum veritatis argumentum exurgere demonstrarunt. Non licet autem veritatem historicam vindicare cum inspirationis dispendio, nam parum interest res gestas nosse, si revelationis documenta amittantur. Quod ad verba Stephani in Actis relata attinet, difficultas inde orta Calmeto, aliisque videtur, quod Abrahami nomen loco Jacobi casu quodam insertum sit, Jacob quippe emit "partem agri in quo fixerat tabernacula a filiis Hemor, patris Sichem centum agnis,"[4] nummis scilicet agni imaginem exhibentibus, uti in numismate quodam Phœnicum videre est.[5] Jacob quidem ipse in Hebron est conditus, sed Josephi ossa in Sichem uti ex Josue constat,[6] et cæterorum etiam patriarcharum.[7] In textu autem Græco Hemor "filius" Sichem non dicitur, sed simpliciter Ἐμμοῦ τοῦ Συχέμ. Tota igitur difficultas eo loci Amanuensis errore niti videtur.

Obj. 4. Plurima Scripturis continentur vulgaria, obscæna, et bonis moribus prorsus adversa, adeo ut ex iis pessimus liber facile confici possit, Deo auctore indignus.

Resp. Pleraque pro veterum simplicitate enuntiata sunt, verborum ambagibus semotis: sed nihil turpe commendatum est, quum præcepta omnia summam morum puritatem spirent. Quod autem pessimo quo-

(1) Act. vii. 15.
(2) Gen. l. 13.
(3) Gen. xxiii.
(4) Gen. xxxiii. 19.
(5) Vide Wiseman, lect. 9. *Connexion between Science and Religion.*
(6) Jos. xxiv. 32.
(7) Ita *Talmud*, et Hieronymus epist. Paulæ.

rumdam ingenio liber fœdus inde confectus sit, hinc inde quædam decerpendo, nil officit sanctissimæ librorum integrorum indoli.

Obj. 5. Quæ de meretricia arte Ezechiel retulit, per se fœda sunt, et moribus vitiandis idonea: quæ Cantico suo Solomon expressit, amandi arti adjungi possent. Plurima alia passim reperire est, quæ divino afflatu conscripta nemo, de Deo digne sentiens, putabit.

Resp. Ad turpitudinem idololatriæ, exprimendam mutuati sunt Vates imagines a rebus turpibus, ut sic omnium in scelus odium provocarent. Id autem maxime congruum fuit iis temporibus in quibus ea usurpabatur loquendi libertas. Quod ad Canticum Canticorum pertinet, numquam amoris profani carmen habitum est, quapropter purissimus sensus, sublimisque finis patuit ab initio, magis adhuc patefactus, Christi et Ecclesiæ mysterio revelato. Qui corde integro legerit divina illa scripta puriores sanctioresque sibi nasci affectus intimo animo sentiet, prout Bernardo, suavissime Canticum exponenti, contigit.[1]

Obj. 6. Imprecationibus Scripturæ scatent, divino Spiritui vix congruis. Ipse Paulus semel animo elatus summo Pontifici maledixit: "percutiet te Deus, paries dealbate,"[2] excusationem autem cum veritatis dispendio præbuit: "Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum."[3]

Resp. Pleraque quæ imprecationum præseferunt formam, possunt tamquam prædictiones de malis venturis in scelerum pœnam haberi, nam Hebræi optionem resque futuras eodem pacto enuntiant. Alia ex divinæ justitiæ et virtutis studio prolata videntur, absque singulorum odio, viris sanctis ut pietas virtusque floreret, impietate deleta, precantibus. Id quidem optare sanctum erat, utpote Dei ipsius voluntati congruum, et ex ejus zelo ortum. Quæ ex vindictæ privatæ studio dicta nonnumquam referuntur, non probantur Sacro Scriptori. Paulus, ab Anania percussus, eum a Deo percutiendum enuntiavit, in pœnam injuriæ, nullo certe motus ultionis desiderio. Eum autem summum Sacerdotom se nescire professus est, quia revera a Summo Sacerdotio fuerat depositus, quamvis illud muneris iterum exerceret.[4]

Obj. 7. Plurima parvi momenti referunt Scriptores Sacri, in quibus inspirationem divinam statuere supervacaneum videtur, imo divinæ majestati injuriosum. Sic Paulus pallium casu relictum sibi afferri postulavit: "penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum."[5]

Resp. Singula quæ sacris libris continentur seorsim spectanda non sunt, ipsa enim quæ parvi momenti esse videntur, suam habent utilitatem, et cum cæteris conjuncta, eandem postulant fidem et auctoritatem, nam cum totius

(1) Vide Serm. in Cantica.
(2) Act. xxiii. 3.
(3) v. 5.
(4) Vide Bloomfield in loc.
(5) II Tim. iv. 13.

Scripturæ periculo discrimen aliquod statueretur. Quum igitur Paulus divino impulsu ad Timotheum scriberet, cælestia monita ei præbens, quidquid, ex occasione veluti, iis adjecit, etsi per se leve videretur, auctoritatem inviolabilem necessario obtinuit: nec enim nisi eodem Spiritu afflante in ipsa epistola ejus fecit mentionem. Quæ fuerit penula quam afferendam jussit Paulus non constat, sed thecam qua continebantur libri sacri, designari Hieronymus olim,[1] recentius Rosenmueller[2] censuit, suffragante Syriaca versione. Nihil autem in hujusmodi jussione Deo indignum; nec tamen revelatione vel speciali inspiratione opus erat, quamvis non absque aliquo Spiritus Sancti impulsu data sit.

Obj. 8. Sæpius dubitationis vocibus utuntur Scriptores Sacri: "quasi" "fere" "circiter," quæ certitudinem inspirationis excludunt.

Resp. Voces illæ ad consuetum narrandi stylum referendæ sunt, nec enim semper accuratum numerum definire opus est. Cæterum ex narratione satis patet constat: ergo nosci et referri.

Obj. 9. De inspiratione non potest constare, nisi de auctoribus, qui inspirati creduntur, constet: attamen de plerorumque librorum auctoribus non constat: ergo neque de inspiratione.

Resp. Ut de inspiratione libri constet, auctoris testimonio opus non est, sed ex auctoritate publica divinitus statuta, vel ex vatis testimonio, cui libri inspiratio potest cælitus innotescere, vel alio ex capite constare potest. Sic libri illi historici qui publica auctoritate scribebantur, tamquam regni annales, poterant satis commendari fidei gentis, testimonio Vatis illustris cui probabantur. Poterat vates librum hujusmodi scribere, eumque utpote rerum narrationem, nullo præfixo nomine, in publicis archiviis relinquere. Sic de veracitate et de inspiratione, imo et de auctore, constare potuit, etsi nulla adhibita sit cura ut auctoris nomen transmitteretur, quum rerum veritatem, et inspirationem libri publica fides deinceps satis testatam faceret.

Obj. 10. Temere Deo tribuuntur quæ nullam specialem ejus operam postulabant: familiarum genealogiæ, locorum descriptiones, rerum gestarum, quarum scriptores testes fuerant, narrationes, aliaque pleraque quæ Scripturis continentur. Sola doctrina Deum potest habere auctorem.

Resp. Ex traditione didicimus libros Scripturæ integros esse Deo afflante conscriptos, quapropter ipsa quæ scriptoribus humanitus innotuerunt, divinitus fuisse conscripta credimus, quod fidei nostræ maxime est proficuum; nam et doctrina cum historia sacra intimo nexu conjuncta est, adeo ut si error rem referenti irrepere posset, doctrina sæpius periclitaretur. Igitur genealogiæ, cæteraque omnia ad totum referenda sunt, et divinum consilium præ oculis habendum, nexum veluti exhibendi, quo omnia a condito orbe ad mundi usque finem in Dei gloriam, et salutis per Christum

(1) Quæst. 2. ad Damas.
(2) n locum.

opus concurrunt. Non temere Deum inducimus, sed divinitus edocti, majorum scilicet fidei ab Apostolis derivatæ inhærentes.

Obj. 11. Ideo Judæi sacros divinosque suos prædicarunt libros quod antiquitate summa essent venerandi, sicut Babyloniis, Ægyptiis, Sinensibus, aliisque gentibus contigit.

Resp. Nulla alia gens libros divinos se habere affirmavit, quamvis sacris consueverint vocari libri quarumdem gentium qui de cultu vel arcanis tractant. Antiquitate summa commendati sunt Judæis recentioribus Moysis libri cum aliis nonnullis, sed non ideo divini sunt habiti, nam persuasio et fides de eorum auctoritate ad ipsa tempora quo editi sunt pertingit, estque a posterioribus auctoribus celebrata. Idem de cæteris libris dicendum qui non eadem gaudent vetustate.

Obj. 12. Omnes quotquot reperiri potuerunt libri Hebraice scripti Judæis Babylone reversis, in unum collecti sunt, et sacri habiti, nullo facto discrimine: quod argumento est librorum authentiam potius quam inspirationem ea appellatione designari.

Resp. Plurimos alios extitisse olim libros, qui in ipsis libris sacris citantur, indubium est, nec constat nullum eorum extitisse pos tcaptivitatem Babylonicam. Eichhorn qui hanc post Theologos Batavos confinxit hypothesim[1] censuit libros Paralipomenon post captivitatem conscriptos, in quibus de Verbis dierum Israel et Judæ, de annalibus scilicet regni utriusque, fit mentio. Quod ad nos scripta vetusta Judæorum, quæ humanitus exarata sunt, non pervenerint, est præstantiæ et divinæ auctoritatis librorum Veteris Testamenti insigni argumento.

Obj. 13. Præcipuum inspirationis argumentum ex Apostoli testimonio desumitur: "Omnis scriptura divinitus inspirata."[2] Id autem de ea Veteris Testamenti parte intelligitur quæ ad salutem instruere possit, uti ex contextu patet. Non igitur de itinerum locorumque descriptionibus, de nominum catalogis, et de plurimis impie prolatis, quæ in libris Veteris Testamenti continentur Apostolus locutus est, sed qua ratione dixit: "radix omnium malorum est cupiditas."[3]

Resp. Ex constanti fide Ecclesiæ inspiratas esse Scripturas Utriusque Testamenti didicimus, peteret enim principium qui ex Apostolo id vellet probare, nisi aliunde ipsius testimonii divina auctoritas pateret. Cæterum infirma sunt quæ objiciunt *Unitariani*, nam de Scripturis quas ab infantia noverat Timotheus, dicitur eas posse per Christi fidem instruere ad salutem: nec id de quibusdam tantum partibus prædicatur. Ipsæ itinerum descriptiones, familiarum catalogi, cæteraque ad rerum gestarum accuratam narrationem spectantia, nonnisi numine afflante relata sunt, summo quippe con-

(1) Einleitung ins Alte Testament § 3. 5. 15. Sentimens de quelques Théologiens d'Hollande, lettre xii. p. 279 apud Lanigan l. 1. c. viii. p. 418.

(2) II Tim. iii. 16.

(3) I Tim. vi. 10.

gruebant consilio Dei in populum beneficia ostendi, vel pœnas quibus ultus est scelera. Impiorum dicta et flagitia in sacris codicibus narrantur, haud veluti ex numinis afflatu prolata, vel patrata; sed eodem sapientissimo consilio ut caveremus a malis imitandis, ne divinam provocaremus vindictam, uti præclare docet Apostolus.[1] Quod autem sacra auri fames omnium malorum radix dicatur, usitata prorsus loquendi ratione fit, quin liceat eam ad "omnem Scripturam inspiratam" referre, diversa quippe est verborum forma.

Obj. 14. Apostolus Paulus non sibi vindicavit inspirationem, nec se infallibilem exhibuit: "licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit."[2] Sic lite de ritibus Mosaicis orta, convenerunt Apostoli, et rem investigarunt, ea ratione qua et nos res dubias perpendere consuevimus,[3] quod supervacaneum fuisset, si forent inspirati.

Resp. Ea hypothesis ostendit veritatem certissimam Apostolicæ prædicationis, quam ne ipse præco a se discors, nec Spiritus Angeli cælestis speciem exhibens posset infirmare. Non ideo autem fieri posse censendum est Angelum vel Apostolum falsum prædicare. Quod pertinet ad rationem qua controversia Antiochena ad finem perducta est, ad regiminis œconomiam referenda est, nec enim statim homines præjudicia deponunt vel cedunt auctoritati, ideoque eis suadendum est, et difficultates quas forsan objecerint solvendæ. Cæterum post disceptantium rationes auditas, sententiam protulit Petrus nihil dubius, quem Jacobus, totusque cætus secutus est. Non ita certe Unitariani lites dirimunt. Id etiam animadvertendum non de inspiratione perpetua Apostolorum hic agi, sed de Scripturarum inspiratione; nec enim fide tenemur ad credendum eos semper ex Spiritus afflatu locutos, vel egisse, quamvis id pietati consonum sit, et admodum verosimile.

Obj. 15. Apostolus utrum Spiritus ei afflaret dum scriberet, aliquando dubius videtur: "puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam."[4] Aliquando se Spiritu carere fatetur: "cæteris ego dico, non Dominus."[5] * * "quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in inspientia."[6] Ergo non tota Scriptura inspirata dicenda est, sed doctrina tantum.

Resp. Illa ratio loquendi μειωσις dicitur, qua modeste quis enuntiat quod vehementius liceret exprimere. Dixerat Apostolus viduam beatiorem esse si nubere negligat, juxta suam sententiam, sed ne id humanitus dictum intelligeretur, Spiritum Dei sibi adesse adjecit: quod si de eo dubius foret, frustra id confirmandi causa adjunxit. Quod autem se non Dominum loqui aliquando dicat, ad consilium a præcepto divino distinguendum animadversum est: "de virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium

(1) I Cor. x. 7.
(2) Gal. i. 8.
(3) Act. xv.
(4) I Cor. vii. 40.
(5) Ib. v. 12.
(5) II Cor. xi. 17.

autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis."[1] Plane autem indicat consilium illud Spiritui Sancto, qui ipsi aderat, probari. Quod se insipienter loqui fateatur, pertinet ad laudes, quas insipientis plerumque est sibi tribuere, sed rei necessitati obsecutus est, non suæ gloriæ, sed Dei studens: "æmulor enim vos Dei æmulatione[2] * * * ne quis me putet insipientem esse."[3] "Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam."[4]

Obj. 16. Apostoli Christi doctrinam licet edocti, eam Scripturarum veterum testimoniis, aliisque argumentis, prout sibi visum fuerit, vindicarunt, nullo divino afflatu indigentes.

Resp. Constans omnium sæculorum a Christo fides scripta Apostolica divina esse testatur: quapropter quæ allegantur in eis testimonia vel argumenta, non humano judicio, sed divino lumini sunt tribuenda. Indigebant sane Apostoli speciali hoc auxilio, ut doctrina Christi iis munita probationibus exhiberetur, quæ eam commendarent, alioquin facile rejicienda una cum infirmis vel fallacibus primorum præconum argumentis.

Obj. 17. Apostolis satis consultum est auxilio præstito quo in tradenda Christi doctrina tuti incederent, nec opus erat revelatione vel inspiratione ad singula: plurima enim ipsi norant, aliaque humano plane impulsu scripserunt, v: g: salutationes nominatim. Sic et Scriptores omnes res sibi cognitas, nullo cælesti afflatu, enarrare poterant.

Resp. Non Apostolis tantum consulendum erat, sed omnibus Christifidelibus, ideoque maxime oportebat ut quæ scripta reliquerunt maxima auctoritate præstarent, subsidium præclarum doctrinæ Apostolici ministerii voce traditæ datura. Nulla indigebant revelatione ut res sibi optime cognitas referrent: nec tamen absque divino impulsu scripsisse censendi sunt, divino ne errarent affulgente lumine: quo pacto scripta summam obtinerent fidem. Ex Spiritus Sancti inspiratione prodierunt procul dubio salutationes, dilectionis Apostolicæ indicia. Idem de cæteris omnibus dicendum est, juxta certissimam traditionem inspirationis testem

Obj. 18. Libri Novi Testamenti vix unquam a scriptoribus primorum duorum sæculorum memorantur, nec eorum divinæ auctoritatis fit mentio

Resp. Pauca illorum sæculorum supersunt scripta, quæ tamen continent plurima ex Novi Testamenti libris desumpta, qui etiam aliquando laudantur. In epistola quæ nomen fert Barnabæ, et quæ ad Apostolicam ætatem certo refertur, verba Christi apud Matthæum citantur ea ratione qua consueverunt Judæi Scripturam adducere: "Attendamus ergo ne forte, sicut scriptum est, 'multi vocati, pauci electi' inveniamur."[5] "Quando autem Apostolos suos, qui prædicaturi erant illius Evangelium, elegit, homines omni peccato iniquiores, ut ostenderet, quod non venit 'vocare justos, sed

(1) I Cor. vii. 25.
(2) II Cor. xi. 2.
(3) Ibid. v. 16.
(4) xii. 6.
(5) S. iv.

peccatores ad pœnitentiam,' tunc palam fecit se esse filium Dei."[1] Plurima in Clementis Romani epistola ex Evangeliis et epistolis Pauli desumpta inveniuntur. Polycarpus plurima ex libris Novi Testamenti recitat, "sacris litteris" eos designans.[2] Irenæus autem sæpissime testimonia affert, quæ pleraque Domini ipsius, vel Pauli, vel Petri nomine laudat; quæ ratio citandi in prioribus duobus sæculis obtinuit, quia "Scripturæ" consueverant veteris Testamenti libri nominari. Quod autem aliquando testimonia, nullo citationis præmisso indicio, adduxerint, contigit ex eo quod essent notissima, quippe quæ in cætu fidelium legebantur. Divinam plane auctoritatem iis inesse manifesto supponunt, iisque ad fidem firmandam, et mores dirigendos utuntur, verbis etiam clarissimis ea divina scripta nonnumquam designantes. Cæterum mirum non est Scriptores illos vetustissimos Scripturas Judaicas præsertim citare consuevisse, ut Christianis dogmatibus ex vaticiniis, aliisque scriptis, quæ a Judæis, hostibus licet Christiani nominis, agnoscebantur, robur quoddam accederet.

Id etiam juvat animadvertere eos qui duobus prioribus sæculis orti sunt hæreticos, habuisse præ manibus libros Novi Testamenti, quod ex ipsis quæ scripserunt, prout in vetustis auctoribus referuntur, colligere est. Quamvis plures sacros libros nonnulli rejecerint, aliosque mutilaverint, ex iis tamen constat libros ipsos extitisse, et divinæ habitos auctoritatis. Magna cum eruditione Joannes Leonardus Hug id demonstravit.[3]

C. V. DE CANONE SCRIPTURARUM.

Satis constat Judæos tempore Christi libros Sacros in tres classes distributos agnovisse, legem scilicet, prophetas, et Psalmos; quibus nominibus divinos libros omnes, de quibus publica omnium fide constabat, complectebantur. Eos numero viginti duo, vel juxta alium calculum viginti quatuor, recenset Hieronymus:[4] cui concinit *Thalmud*, doctrinæ Judæorum liber, a sæculi secundi fine usque ad finem sæculi quinti per partes compositus. Epiphanius eos etiam numerat a Nazaræis agnitos.[5] Origenes antea eos exhibuerat.[6] Estheris tamen liber a nonnullis Judæis rejectus dicitur in Thalmud, quod festum Purim in eo institutum referatur: hi scilicet existimabant novi festi institutionem Mosaicæ legi adversari:

(1) S. vi. 9.

(2) Ad Phil. §. xii.

(3) Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments, erster theil, erstes hauptstück, §. viii.

(4) In Prologo Galeato.

(5) Hær. xxix. opp. t. 1. p. 122.

(6) Expos. Psalm 1. opp. t. ii. p. 529. Vide etiam apud Eusebium hist. Eccl. vi. 25.

quæ occasio forsan fuit quod a Melitone Sardensi,[1] ab Athanasio,[2] Gregorio Nazianzeno,[3] aliisque non fuerit inter divinos libros numeratus.[4] Quis libros sacros in unum collegerit non satis constat, quæ enim diu obtinuit sententia de Esdra auctore in quæstionem vocatur, quum Nehemias et forsan Malachias cum aliis nonnullis libris aliquanto posterioris censeantur ætatis : nec liquet qua ratione usa sit Judaica Ecclesia ut eorum divinam auctoritatem testatam faceret, quod tamen plerumque ex prophetarum testimonio innotuisse verosimile est.

Præter illos libros alii etiam apud Judæos extiterunt, qui tamen non tantam apud omnes obtinuerunt auctoritatem, eo quod vatum series post Artaxerxis tempora non esset adeo accurata et manifesta, uti animadvertit Josephus, qui eos post cæteros recenset, veluti proxime ad eos accedentes.[5] Plerique post id temporis scripti quidem fuerunt, et nonnulli a Judæis qui Græce loquebantur, Hellenistæ idcirco dicti, Græca quippe lingua Alexandriæ, ubi plurimi morabantur, et in plurimis Palæstinæ locis obtinebat. In Græca versione quæ Septuaginta dicitur, ante Christum natum, tercentis fere annis, facta, reperiuntur libri illi cum cæteris conjuncti, nullo prorsus discrimine, sed prout res fert de qua agitur. "Libri itaque apocryphi," sic eos designat Walton, "ut a variis auctoribus ita variis temporibus scripti sunt, quidam Hebraice, quidam Græce, et licet apud Hellenistas primum recepti fuerint, tempus tamen præcise assignari non potest, quando cum reliquis libris sacris in unum volumen compacti fuerint. Hoc tamen clarum est a Judæis Hellenistis cum reliqua Scriptura Ecclesiam eos recepisse."[6] Ab Apostolis rectius accepti creduntur; attamen Apostolica illa traditio turbari cæpit secundo sæculo ad finem vergente, quando Melito episcopus Sardensis catalogum edidit Judæorum in Palæstina versantium sententiæ conformem. Alexandrinos Hellenistasque omnes iis semper favisse res est explorata.[7]

Consueverunt Theologi post Sixtum Senensem[8] *Proto-Canonicos* eos dicere libros, qui ab initio, ubique, et apud omnes, obtinuerunt auctoritatem, aliis *Deutero-Canonicis* dictis, de quibus aliquando est dubitatum. Proposuit aliquis in Concilio Tridentino hanc servari distinctionem ; sed plerisque placuit libros omnes, nullo facto discrimine, recensere, prout in vetustis illis catalogis reperiebantur, eosque Sacros et Canonicos decla-

(1) Ep. ad Onesimum apud Eusebium.
(2) Epist. festal.
(3) Opp. t. ii. p. 98. cit. a Jahn.
(4) Jambis ad Seleucum, inter opera Gregor. Naz. t. ii. p. 194.
(5) Contra Appion l. 1. §. viii.
(6) Proleg. Bib. Polyglot. §. xiii.
(7) Vide Tournemine in Prœloquiis Bonfrerii art. 1. et Lanigan Instit. Bibl. l. 1. c. 8. §. cx.
(8) Bibl. Sanct. l. 1.

rare.[1] Sunt qui putant mentem Patribus non fuisse eam penitus tollere.[2] Sed alii rectius sentire videntur eam neglectam, quum dubitatio, quæ aliquos olim incesserat, jam fuerit, tempore progrediente, sublata; innotuit scilicet clarius et declarata fuit solemnius Ecclesiæ, ab Apostolis certe provenientis, de omnibus libris traditio.[3]

Præter libros Veteris Testamenti de quibus aliquando est dubitatum, scilicet Baruch, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, et libros duos Macchabæorum, cum partibus quibusdam Danielis et Estheris, quæ in codice Hebraico desiderantur; partes etiam, et integri libri Novi Testamenti in dubitationem aliquando venerant, ob codicum defectum, vel traditionis incertam notitiam. Sic caput ultimum Marci, a versu nono usque ad finem, historia sanguinei sudoris Christi apud Lucam, mulieris adulteræ apud Joannem, Epistola ad Hebræos, epistola Jacobi, secunda Petri epistola, secunda et tertia Joannis, epistola Judæ, et Apocalypsis olim a nonnullis rejiciebantur. Omnes prout in Vulgata legi consueverunt Concilium Tridentinum agnovit, constanti sæculorum usu, et vetustis catalogis innixum.

Sexto-decimi Sæculi Novatores omnes libros Veteris Testamenti qui Judæorum in Palæstina codicibus non includebantur, rejecerunt, eo præsertim quod ex iis plurima desumerentur argumenta contra sua placita. Quum veterum dubitationem prætexerent ad invidiam propulsandam, pari ratione ad Novi Testamenti libros vel partes, de quibus etiam dubitatum aliquando est, rejiciendos moveri debuerunt: et re quidem vera Lutherus epistolam Jacobi bonis operibus manifesto patrocinantem, *Stramineam* habuit: sed apud plerosque omnes hi libri obtinuerunt auctoritatem. Apocalypsis autem, a Lutheranis licet rejecta, adhibita est a cæteris ad Ecclesiam et Pontificem contumeliis et maledictis, impio prorsus sacrorum verborum abusu, lacessendum. Anglicani et Episcopaliani nostrates libros Deutero-Canonicos Veteris Testamenti, adjectis etiam tertio et quarto libris Apocryphis Esdræ, et oratione Manasse, ad vitæ exemplum et morum institutionem Ecclesiam legere profitentur, iis tamen haud uti ad doctrinam statuendam.[4] Methodistæ eos silentio prætereunt. Presbyteriani et Baptistæ eos prorsus rejiciunt.

PROPOSITIO I.

Judicium de canonica auctoritate alicujus libri ad Ecclesiam pertinet, per præsules proferendum.

(1) Pallavicini l. 6 hist. c. ii. §. iv.

(2) Vide Jahn, Einleitung, §. xxx. p. 140. ed. Wien. 1802.

(3) Vide Lanigan Instit. Bibl. p. 503.

(4) Art. vi. inter 39. Sub Eduardo vi. "there was no catalogue given of the books of Scripture, nor any distinction stated between those called canonical and Apocryphal." Burnets Analysis, p. 121.

Probatur. Nonnisi ex testimonio Ecclesiæ Scripturæ omnes nobis certo innotescunt tamquam Dei verbum: cætera enim quæ afferuntur inspirationis argumenta non omnen tollunt de singulis libris, vel eorum partibus dubitationem: ergo idem testimonium valere debet de aliquo speciali libro, ut in Canone ponatur.

Præterea Canonis constitutio ad docendi munus maxime pertinet; doctrina enim ex Sacris libris præsertim derivatur: illud vero Apostolis et Episcopis, qui eorum locum obtinent, a Christo est commissum: ergo horum est de libri alicujus canonica auctoritate solemne proferre judicium.

Celebre est Augustini effatum: "ego verò Evangelii non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas."[1] Quod autem Calvinus velit illud de persuasione humana fidem antecedente explicare: "significans se, quum alienus esset a fide, non aliter potuisse adduci, ut Evangelium amplecteretur pro certa Dei veritate, quam Ecclesiæ auctoritate victum;"[2] non est menti Augustini consonum. Loco quidem adducto difficultatem objicit Manichæo, quomodo posset persuadere infideli credendum esse Evangelio, seque credidisse profitetur Ecclesiæ motum auctoritate, quam tamen apud se adhuc obtinere ostendit, ideoque statim subjungit se non posse Manichæis præstare aures, Ecclesia vetante: "Quibus ergo obtemperavi dicentibus: Crede Evangelio; cur eis non obtemperem dicentibus mihi: Noli credere Manichæis." * * * "In locum autem traditoris Christi quis successerit, in Apostolorum actibus legimus: cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholico[3] commendat auctoritas."

Obj. 1. Divina inspiratio alicujus libri vel ex veterum testimonio dignoscenda est, vel ex libri lectione, Spiritu Sancto mentem illustrante: eruditi autem homines, cæterique per eos, veterum testimonia nosse, pii autem quicumque divinum lumen precibus impetrare possunt: ergo Ecclesiæ de libri inspiratione non est judicium reservandum.

Resp. Divina librorum inspiratio innotescit ex Apostolica traditione, quam Ecclesiæ solemniter declarat. Veterum testimonia, publicus usus, et perpetua fides in Apostolica Sede præsertim vigens, inserviunt ad traditionem dignoscendam. Docti homines plurimum valent in rerum indagine, et scire possunt quid plerique vel omnes de libro aliquo senserint: sed in sententiarum divortio nequeunt certo ostendere quid tenendum sit. Pii quoque, divino implorato lumine, ex libri lectione indicia quædam inspirationis detegere valent: sed non ideo certo et infallibili judicio eam habere exploratam, nec enim tantum Dei auxilium sibi jure pollicentur. Quidquid igitur sit de industria et acumine eruditorum hominum, vel de sensu intimo piorum, libri auctoritas divina certo non innotescit, nisi ex Ecclesiæ judicio, quod quidem certam sequitur traditionem.[4]

(1) Contra epist. fundam. c. 5.

(2) l. 1. Inst. c. vii. § 3.

(3) "Catholica" alias citatur. Veneta editio habet "catholico."

(4) Vide Lanigan l. 1. c. ix. not. 1.

Obj. 2. Ecclesia, custos licet et testis Scripturarum, non potest dubitationem, quæ de aliquo libro exorta aliquando fuerit, nisi conjiciendo tollere: at vero conjecturis non potest libro alicui divina accedere auctoritas.

Resp. Ecclesia judicium de libri canonica auctoritate proferens, haud temere procedit; sed maturo instituto examine, quæ de ea fuerit antiqua Apostolicarum Ecclesiarum traditio, qui plerorumque per orbem Patrum sensus, utrum recensitus fuerit liber in catalogis sacrorum librorum publica auctoritate confectis, utrum inter sacras Scripturas publice consueverit legi, utrum inviolabilis fuerit auctoritatis apud omnes, etiam dissidentes, in ipsis gravissimis fidei controversiis. His omnibus rite perpensis, habita etiam ratione eorum quæ libro continentur, Ecclesia solemni judicio librum Canone includendum decernit, si omnia in id conspirent. Non igitur conjecturis tollitur dubitatio quæ nonnullos olim incessit, sed rationes dubitandi evanescunt: nec libro tribuitur auctoritas, sed quæ ei inest declaratur, fidelibus certioribus factis, ex certa et antiqua traditione, constare librum sacrum esse, et canonem includendum Spiritui Sancto et præsulibus Ecclesiæ videri.

Obj. 3. Qui nolunt Ecclesiæ Judaicæ de veteri Canone stare judicio, non possunt Ecclesiæ auctoritatem vindicare Canonem describendi.

Resp. Canonem qui dicitur Judæorum solemni aliquo Ecclesiæ Judaicæ decreto propositum ignoramus:[1] novimus quidem libros qui dicuntur Proto-Canonici apud Judæos Palæstinæ incolas divinos fuisse habitos, sive ob Esdræ auctoritatem, quem plerique credunt libros sacros in unum collegisse, sive publico aliquo totius Ecclesiæ documento, vel gentis traditione, et fide. Nullum decretum novimus quo alii rejecti sunt, quorum plerique Esdræ temporibus conscripti non erant. Eos autem magni habitos esse præsertim apud Hellenistas exploratum est. Quod autem libri aliqui ante Esdræ tempora forsan conscripti divinorum librorum collectione non includerentur, contingere potuit quod non innotuerint, vel de eorum auctoritate non satis constaret. Cæterum satis est illos nullo decreto Ecclesiæ Judaicæ rejectos, ut constare nobis censeamur, judicium Ecclesiæ Catholicæ de iis cæterisque omnibus appellando: dubitationem scilicet quæ Judæis nonnullis orta est, dissipandam ex auctoritate Christi et Apostolorum per Ecclesiam innotescente haud temere confidimus. Jure igitur optimo Augustinus ait: "non sunt omittendi et hi libri quos quidem ante Salvatoris adventum constat esse conscriptos, sed eos non receptos a Judæis, recipit tamen ejusdem Salvatoris Ecclesia."[2]

Obj. 4. Quo longius ab exordiis rei Christianæ distamus, eo minora sunt subsidia ad librorum auctoritatem, qui divinitus conscripti perhibentur, addiscendam: Ergo Ecclesia non potest canoni scripturarum librum aliquem dubiæ olim fidei adjungere.

(1) Variæ sunt de Canone Judaico sententiæ. Plures Esdram habent auctorem; sed aliis placet synedrio eum tribuere, alii nullum solemne judicium prolatum putant, sed libros palam receptos et in cætu lectos.

(2) In Speculo.

Resp. In dijudicanda librorum auctoritate Ecclesia utitur subsidiis ab ultima antiquitate petitis : præsto autem sunt Patrum venerandorum scripta, conciliorum decreta, veteres catalogi, aliaque vetusta monumenta. Dubitatio de aliquibus libris nonnullorum fuit, numquam toti Ecclesiæ communis, nam libri servabantur diligenter, legebantur publice, citabantur cum summæ auctoritatis certa fiducia. Non igitur librum dubiæ fidei adjicit Canoni suo judicio Ecclesia, sed certissimam libri agnoscit auctoritatem, levi dubitatione nonnullorum explosa. Hujusmodi judicium authentica est antiquæ traditionis, qua nititur, expositio : nec tamen parvi faciendus est ipse sæculorum usus per Ecclesiam Universalem ; si enim Dei providentiam in eo mirentur nobiscum Protestantes, quod sacros libros per sæculorum seriem servaverit, pretiosa equidem revelationis documenta, ad eam certe etiam spectabat curare, ut humana scripta parem cum iis non obtinerent auctoritatem. Cæterum dubitatio traditione est posterior, nam ante Melitonis tempora nullum apud Christianos occurrit ejus vestigium, quum Barnabas, Clemens, Irenæus aliique de libris illis tamquam divinis loquantur, et in ipsis codicibus ab initio ubique in Ecclesia usurpatis inveniantur.

PROPOSITIO II.

Libri omnes Utriusque Testamenti cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, pro sacris et canonicis sunt suscipiendi.

Probatur. Jam sæculo quinto decimo ante ortam sectam Lutheranam, catalogus sacrorum librorum Jacobitis a Pontifice Eugenio in Concilio Florentino datus est,[1] quem secuti sunt Tridentini Patres.[2] Eo igitur tempore eorum auctoritas indubia visa est ex veteri Sedis Apostolicæ traditione. Sub finem sæculi quinti, anno scilicet 494, in Concilio Romano Septuaginta Episcoporum, similis habetur catalogus, uno tamen Machabæorum libro recensito in aliquibus codicibus uno etiam Esdræ, Nehemia haud laudato.[3] Quum omnes duos Esdræ libros, vel alterum sub nomine Nehemiæ excipiant, verosimile est utrumque veluti unum habitum, quod de Machabæorum libris licet etiam suspicari, vel potius codices illos esse mendosos quum in codicibus nonnullis duo reperiantur. Profecto duo recensentur in catalogo quem sæculi quinti initio Pontifex Innocentius I. ad Exuperium Tolosanum episcopum misit.[4] Eosdem libros recensuit Augustinus, animadvertitque : " totus autem canon Scripturarum * * * his libris continetur."[5] Eosdem agnovit Concilium Carthaginense an. 397.[6] Omnes Catalogi Sacrorum librorum quos Concilia antiqua sanxerunt, uno excepto

(1) Conc. Flor. par. III decretum pro Jacobitis, col. 1023, t. IX. Col. Conc.
(2) Conc. Trid. Sess. 4.
(3) T. II. col. 937.
(4) T. I. col. 1005.
(5) Aug. l. de doct. Christ. c. viii.
(6) T. I. col. 968. Jahn, *Einleitung* Conc. Hipponense an. 393 etiam citat.

Concilio Laodiceæ in Phrygia Pacatiana, 22 episcopis constante, an. 372. Tridentino Canoni sunt conformes, quamvis liber Baruch a plerisque taceatur, consuevit quippe, ut luculentissimis demonstrabimus exemplis, nomine Jeremiæ, cujus Baruch erat Scriba, laudari. Quod autem pertinet ad Concilium Laodicenum, canon 60[1] quo referuntur libri in Latina Dionysii versione desiderantur, et si latus fuerit, vim certe extra illam provinciam non obtinuit, uti fatentur Scriptores Protestantici.[2] Id quidem animadvertendum librum Baruch in Græco textu recenseri.[3] Esther autem et Apocalypsin prætermitti: adeo ut Protestantico canoni hac ex parte haud suffragetur. Habet igitur Tridentinus Canon omnes Veteres Canones ex publica auctoritate editos sibi conformes, si unum paucorum episcoporum in provincia Asiæ excipias, quorum auctoritas extra eam non est recepta. Habet etiam ipsius Schismaticæ Græcorum Ecclesiæ consentientem traditionem, omnes enim in Synodo Hierosolymitana an. 1672 sub Dositheo Patriarcha solemni decreto agnovit, tamquam "canonicos et Sacram Scripturam," quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia Catholica." Nihil novi studio partium a Tridentino decretum constat, sed veteris canonis auctoritatem, totius Occidentis et Orientis a tot sæculis consensione agnitam, sancte servarunt. Jam verò si Deus omnes Christifideles in re tanti momenti, norma quippe et fons doctrinæ sacri libri sunt, errare siverit, per tot sæcula, de Religione Christiana actum videtur.

Illa traditio antiqua, ex publicis documentis adeo manifesta, ex Patrum etiam scriptis probatur, passim enim citant libros illos tamquam divinos, haud exceptis illis qui minus idoneos judicarunt ad dogmatum probationem, quos Judæi haud agnoscebant. Testimonia aliqua deinceps afferemus.

Id etiam haud prætereundum per hos libros historiæ sacræ seriem ad tempora Christi adventui proxima deduci, quæ enim ad Machabæorum res gestas pertinent lacunam valde magnam supplent; divino autem consilio consonum videtur historiam a mundi origine ad Christum Dominum deducere, ut finis ipse omnium quæ præcesserant exhiberetur. In omnibus libris idem divinæ gloriæ studium elucet, omnia quippe ad Deum referuntur, et legis zelus, et animus in ea tuenda invictus pulcherrimis et vere mirandis exemplis exhibetur. Morum principia sapientia plane divina plena, et puritatem sanctitatemque spirantia traduntur; et omnia illa clarent inspirationis indicia quæ in cæteris libris mirari est. Præclarum vaticinium de Judæorum in Christum, se Filium Dei dicentem, machinationibus in Sapientiæ libro continetur:[4] alterum de Deo in terris viso, et cum hominibus versante, in libro Baruch.[5] De sapientia ea dicuntur quæ mysterium

(1) T. I. col. 792.
(2) Paley's Evidences of Christianity, c. ix. §. 6.
(3) Ιερεμίας καὶ Βαρούχ, Ἐρημοι καὶ επιζολαί.
(4) C. ii. 12.
(5) Baruch iii. 38.

proxime adimplendum fere pandunt, quæ ratio in Vaticiniis de Christo servata est, ut clariora fierent tempore progrediente. Dogmata autem de animæ immortalitate, de impiorum æternis suppliciis, justorum præmiis, aliaque, ea claritate proponuntur, quæ Evangelistam aut Apostolum, ipso Novi Testamenti amplissimo lumine illustratum, fere indicaret.

Ad Novum Testamentum quod attinet, de Epistola ad Hebræos, et de secunda Petri epistola, de secunda et tertia Joannis, de Judæ et de Jacobi epistolis, de Apocalypsi, et de ultimo Marci capitulo, sicut et de historia sanguinei sudoris Christi apud Lucam, et mulieris adulteræ apud Joannem, apud veteres dubitatum fuisse, ex Eusebii testimonio aliisque plurimis documentis antiquitatis constat: cæterum quum ab omnibus sectis jam recipiantur, et earum auctoritas nobis testimonio et judicio Ecclesiæ probetur, sublata ratione dubitandi, certa traditionis notitia, non est cur in ea demonstranda immoremur.

Patrum jam dabimus aliqua specimina, ipsorum apud quos juxta Judæorum catalogum libri aliquando recensiti sunt, ut pateat eos communem Ecclesiarum traditionem secutos, licet nonnumquam illa Judæorum discrepantia moti videantur. Cæteri summo consensu, et certa fiducia libros illos tamquam divinos passim laudarunt.

Origenes in epistola ad Africanum illud ponit principium, Dei providentiam Ecclesiæ in Scripturis tradendis deesse non posse, ideoque quas legit esse plena fide excipiendas; qua ratione omnia quæ in Danielis additamentis leguntur tuetur. Passim etiam libros illos citat: "Ut autem etiam ex Scripturarum auctoritate hæc ita se habere credamus, audi quomodo in Machabæorum libris, ubi mater septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, de hoc dogmate confirmatur; ait enim: 'Rogo te, fili, respice cælum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et videns hæc scito, quia Deus hæc omnia cum non essent fecit."[1]

Athanasius passim laudat Scripturarum nomine libros Deutero-Canonicos. Sic veluti a Spiritu Sancto dicta, citat Ecclesiastici verba, post Psalmi versiculum: "possumus dicere quæ a Spiritu Sancto in ipsum dicta sunt, 'Peccatori autem locutus est Deus, cur tu denarras justificationes meas?' Et 'Non est speciosa laus in ore peccatorum."[2] Susannam apud Danielem loquentem inducit, et Baruch, una cum Isaia: "Esaias certe dicit, 'Deus æternus qui construxit extrema terrarum.' Susanna quoque locuta, 'Deus æterne.' Baruch item: 'Jamjam clamabo ad æternum Deum.[3] Consuevit insignis hic Doctor ex his libris sumere testimonia, eaque inter alia ex libris Proto-canonicis desumpta recitare, veluti ejusdem Spiritus divini dictamina: quod si Judæorum canonem aliquando

(1) Origenes l. II. c. i. de principiis.
(2) Contra Arianos Orat. I. Ecclesiast. 15.
(3) Athanas. contra Arianos Orat. 2.

laudaverit, utpote eorum etiam consensione firmatum, non ideo cæteros rejecisse censeri potest.

S. Hilarius legem memorat in viginti duos libros a Judæis distributam: addit tamen: "quibusdam autem visum est, additis Tobia et Judith, viginti quatuor libros secundum numerum Græcarum litterarum connumerare."[1] Hanc librorum enumerationem refert, non ut canonem iis concludi affirmet, sed ut mysticam inde deducat explicationem. Profectò Constantium Imperatorem monet "a martyre dictum esse regi Antiocho: 'Tu quidem iniquus de præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternam vitam in resurrectione suscitabit;"[2] aliaque laudat ex Machabæorum libris desumpta. Baruch testimonium veluti Jeremiæ citat, eandem ei ac Moysis et Isaiæ verbis vim tribuens: "Audi enim præter Moysem et Esaiam, tum tertio id ipsum quoque et Jeremiam docentem, cum dicit: 'Hic Deus noster est, et non deputabitur alter ad eum. Qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hoc super terram visus est, et inter homines conversatus est."[3]

S. Cyrillus Hierosolymitanus canone inclusit Baruch et epistolam Jeremiæ,[4] Danielis vero nomine quæ additamenta dicuntur complexus est, nam Theodotionis versione Græca, in qua habentur, usus est, et quæ ad Susannam spectant ex ea laudavit,[5] et Habacuc memorat capillo ab Angelo translatum.[6] Alios libros non habuit indubiæ auctoritatis, sed nonnullos laudavit data occasione, instar cæterarum Scripturarum. Sic sub nomine Salomonis citavit sententiam ex Sapientia: "juxta Salomonem qui ait: 'Nam ex magnitudine et pulchritudine creaturarum, proportione servata procreator earum conspicitur."[7] Ecclesiasticum etiam sæpius adduxit. Quod autem de aliorum auctoritate dubitaverit, factum est ex Judaico canone quo ipse aliique moti sunt, nimis equidem, quum Christiana traditio, ab Apostolis derivata, potius attendenda esset.

S. Epiphanius catalogum daturus librorum quos Judæi excipiebant, id animadvertit: "Habebant porro hi Judæi usque ad reditum a captivitate Babylonis, libros et prophetas hos." Eos autem enumerans, nominat "Hieremiam prophetam, cum lamentationibus et epistolis ipsius, ac Baruch." Addit: "Sunt et alii duo libri apud ipsos ambiguæ lectionis, Sapientia Sirach et Salomonis, citra alios quosdam libros apocryphos. Omnes autem hi sacri libri Judaismum docebant, et legis observationes,

(1) Hilar. Prol. in l. Psal.
(2) Contra Constant. Imp. lib. p. 16, ed. Wirceb.
(3) De Trin. l. IV. n. 42, p. 107.
(4) Ιερεμίου μία μετα Βαρουχ, καὶ Θρήνων, καὶ Ἐπιστολῆς. Cat. IV. n. 35.
(5) Cat. XVI. n. 31.
(6) Cat. XIV. 25.
(7) Cat. IX. 2.
(8) Cat. VI. 4. Cat. XIII. 8.

usque ad Domini nostri Jesu Christi adventum."[1] Quum Epiphanius in Palæstina natus Judæorum apprime noverit traditiones, Baruch et Jeremiæ epistolam ab iis agnosci, Sapientiam vero et Ecclesiasticum etiam cum veneratione excipi, quin de divina eorum inspiratione plene constaret, eo teste discimus. Quos autem libros apocryphos habuerint, vel quo sensu apocryphi dicerentur, non explicat, constat enim vocem hanc sæpius mitiori sensu usurpari, pro iis scilicet de cujus auctoritate non habebatur certitudo, vel qui in solemni cætu non legebantur. Ipsam Sapientiam, tamquam Scripturam, citantium Methodii et Procli verba repetit:[2] "Considerate quomodo consona his verbis palam de martyribus Salomon pronunciat, neque enim Scripturarum aliarum testimonio hic sermo caret."[3] Salomonis nomine librum illum laudat ipse, eoque utitur ad hæresim Hieracis refellendam: "Accerse mihi Salomonem beatum illum ac sapientissimum, ad Hieracem hunc confutandum. Adsis prophetarum beatissime, qui accepisti a Domino effusionem cordis ac sapientiæ, velut arenam juxta littus maris, quidnam de pueris sentis? et inquit: 'Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero supputata,"[4] cæterum alias dicit de Sapientia et Ecclesiastico: "utiles quidem sunt et commodi, sed in numerum receptorum non referuntur."[5] De Habacuc translato loquitur in hujus prophetæ vita, testimonio *additamentorum* plane nixus.

S. Gregorius Nazianzenus testimonia ex libris Deutero-Canonicis adhibuit, tamquam divinitus conscripta. Machabæorum festum celebrandum ostendit, oratione ea de re habita, quæ res gestas libris illis relatas verissimas, et ex speciali Dei consilio evenisse, argumento est. Sapientiam una cum Jeremia citat; "Nonne cælum et terra ego impleo, dicit Dominus? Et Spiritus Domini replevit orbem terrarum."[6] Ecclesiastici testimonium laudat.[7] Danieli tribuit quæ in additamentis referuntur.[8]

Ambrosius Spiritum Sanctum ab omni peccati labe divina Sapientiæ libri auctoritate vindicavit:[9] "auctoritatem requirunt ut lectione doceamus, quia non peccavit Spiritus Sanctus, sicut de Filio lectum est, quia peccatum non fecit. Et hoc accipiant Scripturarum auctoritate nos docere: scriptum est enim; quia in Sapientia est spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, bene mobilis, disertus, immaculatus."[10] Origenes,

(1) Contra hær. l. I. octava secta p. 6. ed. Basil. 1578.
(2) l. II. p. 181. p. 182. p. 183, 184.
(3) p. 188.
(4) l. II. hær. lxvii. p. 232. Vide etiam ep. ad Joan. Hieros.
(5) Le mensuris et ponderibus, p. 412.
(6) Orat. xviii. 2 de Theologia p. 500. t. 1 ed. Ven. Vide etiam Orat. xxxii. p. 588.
(7) Orat. xiv. n. 30. p. 279. Orat. ii. Apolog. n. 116. p. 64. Funebris Cæsarii. n. 1. p. 199. Orat. xxxii. p. 593.
(8) Orat. xxxvi. p. 637.
(9) l. iii. de Spir. S. c. 18.
(10) Sap. vii. 22.

Cyprianus, aliique Patres diu ante testimoniis ex libris Deutero-Canonicis usi sunt ut dogmata probarent, quod legenti eorum opera fit manifestum. Augustinus illud ex Sapientia laudavit ad doctrinam firmandam: "raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus:"[1] et quum Massilienses libri canonicam auctoritatem in quæstionem vocassent, respondit sanctus doctor: "non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos CUM VENERATIONE DIVINÆ AUCTORITATIS audiri * * * Sed qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet ut istum librum Sapientiæ * * * omnibus tractatoribus anteponant; quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt."[1]

S. Hieronymus libros a Judæis omnibus in Canonem exceptos recensuit, cæterosque dixit "ad ædificationem in Ecclesia legi, non tamen ad dogmatum confirmationem." Additamenta Danielis et Estheris rejecisse visus est Ruffino, qui id ei exprobravit: sed vehementius accusationem repulit. "Quod autem refero quid adversum Susannæ historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis draconis fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur stultum, se sycophantam probat, non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicavi."[2] Hæreticis jactantibus legem et consilium Dei apud se manere, objicit auctoritatem libri Sapientiæ, quem Scripturam designat: "dicente Scriptura: 'in perversam animam non introibit Sapientia."[3] Et alias citat Ecclesiasticum: "Divina Scriptura loquitur. 'Musica in luctu, importuna narratio."[4] Ex his locis colligitur eum, communem veluti Ecclesiæ sensum sequentem, hos libros divinos laudasse, quamvis alias ob Judæorum canonem hærere visus sit, et Ecclesiasticam lectionem ad ædificationem retulerit. Ruffinus quidem libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ et Judith, et Machabæorum, Ecclesiasticos, et non Canonicos vocat, quos scilicet majores "legi quidem in Ecclesiis voluerunt non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam."[5] Cæterum Baruch librum divinum agnovit, nam ejus vaticinium de Christo laudat: "Quod et propheta prædixerat, ubi ait: 'Hic Deus noster, etc."[6] Ejus auctoritas tanta non est, ut sententiam ejus de Ecclesiæ sensu in hac re adoptare velimus, tot aliis scriptoribus libros hos cum veneratione divinæ auctoritatis legi testantibus. Ex ipsorum Patrum qui Canonem Judæo-

(1) De Præd. Sanct. c. 16.
(2) Apol. l. 2 adv. Ruffin. fol. 104. ed. Bas. 1516.
(3) Comm. in Jerem. c. xviii.
(4) Ep. 34. ad Julian.
(5) Symbol. expos. n. 38.
(6) n. 5.

rum secuti dicuntur testimoniis quæ laudavimus liquet eos non penitus rejecisse cæteros libros; sed potius plerosque, data occasione, instar aliarum Scripturarum, laudasse. Cæterum quæcumque aliquos pulsaverit dubitatio difficultatem nobis parere non potest, omnibus catalogis, qui publica auctoritate editi sunt, Canone Laodiceno excepto, libris de quibus agitur suffragantibus: æquum quippe est publicum Canonem in Concilio Episcoporum editum privato cuicumque anteferre, quum ex plurimorum sententiis traditio Ecclesiarum rectius colligatur, quam ex unius, cujus diligentiam libri aliqui effugere possent.

Obj. 1. Libri illi qui veteri Judæorum Canoni adjecti sunt, omni carent auctoritate extrinseca vel intrinseca; quippe Hebraice haud reperiuntur, et scripti plerique sunt a Judæis Alexandrinis, postquam prophetiæ spiritus desierat. Nec ipsi Scriptores se inspiratos profitentur, sed potius ea dicunt quæ cum inspiratione stare non possunt; nam auctor libri Sapientiæ fingit se esse Salomonem, et tamen Israelitas hostibus suis subditos exhibet, quod certe Salomone regnante non contigit; auctor libri secundi Machabæorum Jasonis historiæ compendio facto, erratorum petit veniam. Philo et Josephus penitus de iis libris silent; nec eos unquam laudant, vel aliqua prorsus ratione indicant Christus et Apostoli. Hæc Hornius.[1]

Resp. Quod Hebraice non reperiantur libri illi non eorum infirmat auctoritatem, nec enim Hebraice reperitur Matthæi Evangelium, quod eo idiomate conscriptum testatur Irenæus, plurimique acutissimi critici tenent.[2] Tobiam et Judith ex Chaldaico idiomate vertit Hieronymus, quos libros eo idiomate scriptos agnoscit Hornius;[3] qui etiam fatetur Ecclesiasticum Hebraice, vel Syro-Chaldaice primum scriptum, et deinceps ab auctoris nepote, post annos sexaginta, Græce redditum.[4] Baruch Syriace extat, Hebraice autem extitisse ex frequentibus Hebraismis, et voce aliqua Hebraica quæ in eo occurrit, colligere est Primus Machabæorum liber Hebraice scriptus est, quem eo idiomate vidit Hieronymus.[5] Soli duo libri Græce scripti videntur scilicet Sapientia, et liber secundus Machabæorum. Nil autem iis ea ratione detrahitur, nam Græca lingua adeo invaluerat per sæcula prope Christi adventum, ut in ipsa Palæstina eam fere vernaculam fuisse Hug,[6] et Hornius[7] cum aliis censeant: quapropter omnia scripta Novi Testamenti, uno excepto Evangelio Matthæi, Græce prodierunt. Sibi autem vix constat Hornius libros illos Judæis Alexandrinis tribuens,

(1) App. No. v. §. i. 1.

(2) Nec Hornius dissentit, quamvis Græce quoque editum a sacro auctore cum non nullis opinetur. Introd. vol. iv. p. 2. c. ii. § ii.

(3) Ibidem, ch. viii.

(4) Ibid. § vii.

(5) Præf. in lib. Reg.

(6) Einleitung, Zweiter theil § 8.

(7) Introd. vol. ii. § iii.

quos, ipso fatente, Chaldaice vel Hebraice editos liquet, duobus tantum exceptis.

Quod spiritus prophetiæ penitus desierit per temporis illud spatium, quod ab Artaxerxe ad Christum fluxit, nullo idoneo testimonio probatur, Josephus enim, quem testem adducit Hornius, id non affirmat; sed quum dixisset historiam suæ gentis a sacerdotibus summis et Vatibus summa diligentia conscribi consuevisse,[1] et usque ad sua tempora deductam, libros recensuit quos divino afflatu exaratos omnes agnoverunt, animadvertens alios ab Artaxerxis temporibus non parem obtinuisse fidem, quia successio prophetarum non fuerat adeo explorata. Non dicit nullos fuisse prophetas, sed serie non adeo continuata et insigni: διὰ τὸ μὴ γενεσθαι την των προφητων ακριβη διαδοχην.[2] Inutiliter de successione haud accurata locutus esset, si nulli fuissent omnino per id temporis vates, nulli etiam inspirati Scriptores. Prophetas apud Hebræos extitisse usque ad Joannem fassus est olim Justinus, Tryphoni Judæo objiciens quod post Christi adventum nullus foret apud eos vates: προφητων κατα διαδοχην μεχρις Ιωαννου γεγενημενων.[3] Hoc cum Josephi testimonio facile conciliatur, constat scilicet per id temporis non adeo claruisse prophetas. Quamvis autem aliquando prophetia quæcumque scriptura inspirata diceretur, non omnes tamen scriptores sacri plerumque prophetæ appellabantur, ideoque etsi foret minus clara horum successio, extiterunt "sancti Dei homines" qui a Spiritu sancto acti plura ad œdificationem et solamen cultorum Dei exararunt. Liquet Josephum censuisse libros de quibus agitur sic scriptos; vel saltem ad eos proxime accedere.[4] Fallitur Hornius, qui eum inducit veluti laborantem ut eorum auctoritatem elevet, quæ enim dicit de cautela a majoribus adhibita ne divinis libris aliquid adjiceretur, ad ipsorum integritatem statuendam diriguntur, non ut ostendat libros cæteros auctoritatem idcirco obtinere non potuisse: nam totus erat Josephus ut Apioni ostenderet Judaicæ gentis historiam summa fide ad ipsa quibus scribebat tempora perductam.[5] Tanti fecit Machabæorum

(1) τοῖς ἀρχιερευσι καὶ τοῖς προφήταις τουτο προστάξαντες, καὶ ὡς μέχρι των καθ'ημας χρόνων πεφύλαχται πολλης ἀκριβείας. Joseph l. 1. contra Ap. 6. ed. Amstelod. 1727.

(2) Hornius τοῖς πρὸ ἁντων mistakes for "forefathers." "The preceding books" are meant. Egregie erravit Burneti abbreviator: "Josephus says, 'they had only twenty-two books that deserved belief, but that those which were written after the time of Artaxerxes were not of equal credit with the rest, in which period they had no prophets at all." Analysis p. 118. Josephus dicit JuJam Essenum celebrem fuisse vaticiniis. Antiq. l. xiii. c. 19.

(3) Dial. cum. Tryph. n. 52.

(4) Vide Jahn Einleitung, vol. 1. p. 136, et opus cui titulus: "Auctoritas utriusque libri Macchabæorum Canonico-Historica adserta, et Frælichiani annales Syriæ defensi." Viennæ an. 1749.

(5) Italicis litteris absque causa usus est Hornius, lectori veluti insinuans hæc ad fidem librorum Deutero-canonicorum elevandam dirigi: "*no one has been so bold as either to add any thing to them, or to take any thing from them, or to make any change in them.*" Ita fallunt vel falluntur viri docti!

libros quod eos in Antiquitates suas fere transcripserit, uti fatetur Wernsdorff. Horne tamen nobis objicit ejus silentium!

Quod sacri scriptores horum librorum se inspiratos haud profiteantur, nihil potest officere, nec enim id cæteris inspiratis Scriptoribus semper in more est: scribunt autem ea prorsus majestate et simplicitate quæ divina oracula tradentem decet. Baruch certe instar cæterorum vatum loquitur; auctor Ecclesiastici a Deo sumit exordium: "Omnis sapientia a Domino Deo est." Cæteri omnes eo utuntur stylo, eam spirant pietatem quæ divinum afflatum indicat: nec qui eorum scripta cum cæteris contulerit, animo a studiis partium libero, eadem Dei docentis indicia non reperiet. Nunquam profecto aliquid innuunt quo inspiratio excludatur.

Quod autem Salomon in Sapientia inducatur Deum deprecans, poterat contingere, quod sacer hic scriptor sententias a Salomone prolatas in unum collegerit, stylo usus Græcis lectoribus congruo; constat quippe plurima a Salomone conscripta quæ ad nos haud pervenerunt. Nec pugnat cum divino ad scribendum impulsu, aliorum dictis ita uti ad lectorum ædificationem; vel etiam animi sententiam quæ Salomonis fuerit, divino afflatu, veluti ejus personam gerens, explicare. Profectò pulcherrima illa oratio, quæ capite nono continetur, divinum quid sonat, et ex ea ipse Paulus Apostolus aliqua videtur laudasse: "Quis enim hominum poterit cogitare quid velit Deus?"[1] Apostolus autem: "Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?[2]

Temere igitur Hornius falsitatis arguit sacrum Scriptorem quod personam Salomonis induerit, Hebræis enim personam alienam induere, ut veritatis notitiam suavius communicarent, non erat insuetum: nec propterea arguitur mendacii mulier Thecue, quæ filium perditum se plorare, et filii alterius necem metuere,[3] fingebat, Davidis animum ad filii sui reditum permittendum ut moveret; nec propheta mendax habetur regi se exhibens vulneratum.[4] Prosopopæion in loco objecto agnoscere licet, qua figura utuntur optimi Scriptores absque mendacii vitio. Altera objectio ex populi conditione, Salomone regnante, desumpta ruit, "nam Salomonis non esse nihil dubitant quique doctiores," uti animadvertit Augustinus.[5] Nomen obtinuit sapientissimi regis apud aliquos, ob sapientiæ principia quæ ponit, ab ipso mutuata, vel ad ipsius imitationem excogitata: "de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur,"[6] hic liber et Ecclesiasticus. Quod libri secundi Machabæorum auctor se in compendium redegisse dicat Jasonis libros, non obstat ejus inspirationi, satis scilicet est eum ad id operis aggrediendum a Sancto Spiritu impulsum, et divino lumine illustratum, ne aliquid minus accuratum ad suam transferret historiam. Hu-

(1) Sap. ix. 13.
(2) Rom. xi. 34.
(3) II Reg. xiv. 4.
(4) III Reg. xx. 35.
(5) Speculo, tom. iii. p. I. col. 733.
(6) Aug. l. ii. de doct. Christ c. 8.

mana industria usos esse Sacros Scriptores in rebus gestis referendis, apud omnes in confesso est; quod Lucas de se ipso in præfatione Evangelii testatur: pluresque censent Moysen documentis vetustioribus usum in sua concinnanda historia. Quod autem lectoris veniam petat, si quid minus gratum occurrerit εντελῶς, stylum et rationem narrandi plane respicit, non ipsius narrationis veritatem; stylum autem ex indole ingenioque scriptoris plurimum pendere plerique sentiunt, Sancti Spiritus dictamen ad res sententiasque, verbaque magni momenti, non autem ad singulas voces spectare existimantes. Profecto Paulus objicientibus sermonem ejus contemptibilem satis habuit respondere: "etsi imperitus sermone, sed non scientia."[1]

Miramur Hornium nobis objicere Philonis silentium, quum tanta sit sententiarum rerumque inter librum Sapientiæ et Philonis, quæ extant, opera, similitudo, ut plures, præsertim inter Protestantes, eum auctorem illius habuerint. Fatetur Eichhornius Philonem multas sententias et phrases ex illis libris hausisse.[2] Jahn, criticus acutus, dicit certum omnino esse Philonem iis usum.[3]

Quod de Christi silentio objicitur, posset libris plerisque officere, nec enim omnes recensuit, quamvis legem, prophetas et Psalmos aliquando nominaverit, et quædam etiam citaverit testimonia. Cæterum illustre testimonium dedisse censendus est Machabæorum libris, festum Encæniorum celebrando, quod in iis refertur institutum, prout narrat Joannes, fatentibus criticis Protestantibus.[4] Quibus libris non obscure suffragatus est Paulus, illud martyrii genus recensendo quod ab Eleazaro toleratum narrat auctor secundi libri Macchabæorum: ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν.[5] Hoc, Capello, Grotio, Castellione judicibus, ad locum Machabaicum refertur Ελεαζαρος—αὐθαιρέτως επι το τυμπανον προσηγεν.[6] Mira etiam invenitur concordia inter verba quæ impiis tribuit auctor libri Sapientiæ, et ea quæ Christi hostes, eo in cruce pendente, protulerunt, quam casu contigisse nemo cordatus dixerit. "Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum."[7] "Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: quia filius Dei sum."[8] Quæ de Verbo divino dicit Joannes, iis quæ de Sapientia dicit auctor mire respondent. S. Paulus autem laudasse videtur quæ in hoc libro traduntur de Dei cognitione ex orbis spectabilis contemplatione: "a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri."[9]

(1) II. Cor. xi. 6.

(2) Einleitung ins A. T. § xxvi. apud Lanigan, l. I. c. viii. §. cxl. not. 1. p. 487.

(3) Einleitung § 29. Zweyter Kanon. III. p. 135. t. I.

(4) Vide Criticos Sacros in locum Joan. x. 22. Bloomfield in locum. Seldenum etiam de Synedriis l. III. c. xiii. § vii.

(5) Heb. xi. 35.

(6) II Macc. vi. 19, 28.

(7) Sap. ii. 18.

(8) Mat. xxvii. 43.

(9) Sap. xiii. 5.

"Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur."[1] De Verbo divino dicit Apostolus: "qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus,"[2] quod respondet elogio Sapientiæ: "candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius."[3]

Judith de veteribus Israelitis qui peccarunt dixit; "impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, et a serpentibus perierunt. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur * * * quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus."[4] Apostolus autem: "Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt."[5] Qui hæc contulerit, vix affirmabit Christum et Apostolos ad libros illos ne quidem alludere. Habent igitur ex Apostolorum traditione maximam extrinsecam auctoritatem, nec alia potest reddi ratio, cur apud universam Ecclesiam ab antiquissimis temporibus lecti fuerint tanta cum veneratione. Habent *intrinseca* inspirationis indicia, uti legenti patebit, Dei enim prædicant gloriam, beneficia patribus collata commemorant, egregia præbent virtutum exempla, summam commendant animi puritatem, et vaticinia continent illustria.

Obj. 2. Libri de quibus agitur in Canonem non sunt admissi per quatuor priora Ecclesiæ sæcula: desunt enim in catalogis Melitonis Sardensis Origenis, Athanasii, Hilarii, Cyrilli Hierosolymitani, Epiphanii, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii, Hieronymi, Ruffini; sicut et in Canone Concilii Laodiceni, cujus Canones a Catholica Ecclesia excepti sunt, adeo ut, Burneto notante, totius Ecclesiæ Dei sensum hac in re habeamus. In ipsa Ecclesia Occidentali ad ædificationem lecti sunt, in loco inferiori, testante Augustino,[6] nec ante Concilium Tridentinum parem cum cæteris auctoritatem obtinuerunt. Ita *Horne*.

Resp. Nonnisi Sæculo quarto ad finem vergente catalogus sacrorum librorum publica aliqua Ecclesiæ auctoritate editus est.[7] Concilium quippe Laodicenum anno 372, Carthaginense autem anno 397 habitum est. Jamvero in Canone Carthaginensi reperiuntur, quamvis in Laodiceno plerique desi-

(1) Rom. i. 20.
(2) Heb. i. 3.
(3) Sap. vii. 26.
(4) Judith viii. 24.
(5) I Cor. x. 9.
(6) De præd. Sanct. c. xv.
(7) "We have no knowledge of any interference of authority in the question, before the Council of Laodicea in the year 363." Paley, Evidences of Christianity, ch. ix. §. 6. p. 327.

derentur. Cæterum gravissimis suppositionis suspicionibus urgeri hunc canonem non ignorant eruditi, abest enim a perantiquis MSS codicibus, maxime Oxoniensi et Thuaneo, et a Synodico Græco MS Barocciano, a codice Arabico Josephi Ægyptii MS Bodlejano.[1] Præterea vetant Patres canone prævio ne in Ecclesiis aliquid præter canonicas Scripturas legatur: constat autem libros Deutero-canonicos ubique in Ecclesia tum Græca tum Latina legi consuevisse: nec verosimile est canonem, si vere latus fuerit, edito catalogo, omni caruisse effectu. Sed demus eum esse genuinum: dicendum erit eos haud recensuisse hujus concilii Patres, quod Judæorum Palæstinæ canonem præ oculis habuerint, quæ origo fuit nebularum quibus Apostolica traditio offuscata erat. Hac autem in re non Judæorum sed Ecclesiarum per orbem, præsertim Apostolicarum, valere debet traditio; videndum scilicet quid Christus de iis docuerit, quid Apostoli, ex Spiritus Sancti afflatu, Ecclesiis quas fundarunt tradiderint: id autem ex testimonio, et usu Ecclesiarum per orbem maxime exquirendum est. Profecto Barnabas, Clemens Romanus, Irenæus, vetustissimi scriptores usi fuerant libris his instar cæterarum Scripturarum, quod ostendit Apostolicam traditionem ubique eis favisse, antequam Melito Sardensis sub finem secundi sæculi Judæorum canonem in medium protulerit. Nonnullis Patribus præsertim Græcis, dubitatio de cæterorum librorum auctoritate inde orta est, sed communem Ecclesiæ traditionem, et ipsi plerumque sequebantur, eos veluti divinos, occasione data, laudando. *Vehementer errant Protestantes* Judæos in re tanta duces et magistros sibi eligentes, contra prima *Religionis* Christianæ principia.[2] Mirum est Burnetum asserere Laodicenos canones a Catholica Ecclesia exceptos, et Hornium id repetere: quod enim ad canonem de quo agitur spectat, contrarium omnino constat: nec enim Africana Ecclesia seu Romana, cum qua totus orbis Christianus communionem fovebat, canonis illius in sacris libris dignoscendis habuit ullam rationem. Imo Paley fatetur nullam illius rationem habitam a Scriptoribus quibuscumque.[3] Vide quam longe abest ut canone illo totius Ecclesiæ Dei sensus exprimatur. Profecto Protestantes ipsi canonem illum non sequuntur, quum

(1) Vide Opus cui titulus *Autoritas Utriusque libri Maccab. Canonico Historica* Viennæ an. 1749. p. 69.

(2) "Sæpius miratus sum Rabbinicam superstitionem complurium hæterodoxorum, qui unicam regulam, ad quam exigendus esset Canon V. Testamenti, ponebant in traditione Judæorum. Quinam igitur fuerunt magistri Ecclesiæ? Num Rabbini? Anne illorum auctoritate nititur fides Christiana?" Lanigan l. i, c. ix. § cxiv. not. 2.

(3) "Probably the decree of this Council rather declared than regulated the public judgment, or more properly speaking the judgment of some neighbouring churches; the Council itself consisting of no more than thirty or forty bishops of Lydia and the adjoining countries. Nor does its authority seem to have extended further; for we find numerous Christian writers, after this time discussing the question, 'what books were entitled to be received as Scripture, with great freedom upon proper grounds of evidence, and without any reference to the decision at Laodicea." Paley, Evidences of Christ. ch. ix. § 6.

Baruch rejiciant, et Apocalypsim recipiant, contra ejus auctoritatem. Quod Hieronymus dicit eos legi ad ædificationem non ad dogmatum confirmationem, inde evenit, quod quum eorum auctoritas divina a Judæis haud agnosceretur, ex illis argumenta, apud hostes quoscumque fidei valitura, non desumerentur: cæterum certissime constat dogmata iis probari consuevisse. Sic concilium Sardicense[1] probat Filium Dei esse omnium conditorem: "ait enim Scriptura; omnium artifex Sapientia docuit me;" quod testimonium ex libro Sapientiæ est desumptum.[2] Omne discrimen hos inter et cæteros libros abest a vetustissimis Græcis codicibus et a veteribus Canonibus, omnes scilicet libri canonicæ Scripturæ nominantur, et "sub nomine divinarumScripturarum" legendi dicuntur,[3] adeo ut Tridentini Patres venerandorum Conciliorum quarti et quinti Sæculi vestigia presserint, eos omnes sacros et canonicos declarantes.

Quod autem ad privatos catalogos attinet, non eam possunt sibi vindicare auctoritatem, quæ Canoni solemni Conciliorum vel Pontificum sanctione edito, jure optimo, tribuitur: privati enim homines, dignitate licet aucti, vel diligentia et eruditione præstantes, non eam facile adipisci potuerunt certam totius Ecclesiæ traditionis notitiam, quam Concilia, vel qui in ipsa arce potestatis Ecclesiasticæ universo prospiciebant orbi christiano.

Ad Melitonis catalogum omnes quidem revocari possunt, qui non debet publico catalogo prævalere, vel officere traditioni Apostolicæ ex Irenæi, Clementis, Barnabæ scriptis manifestæ. Ipsos autem Patres plerosque ex Hebræorum sententia libros recensentes, sua et Ecclesiæ sententia alios agnovisse plurimis citatis testimoniis jam probavimus. Juvat specimina alia ex Athanasio dare. Ipse in Epistola festali profitetur se velle "libros recensere quos divinos esse canonice scriptum, traditum et creditum est," et viginti duos, more Hebræorum, enumerat: "sed majoris accurationis causa illud quoque scripto addere necesse duxi: esse nimirum alios libros præter istos, non in Canonem quidem redactos, sed quos a Patribus decretum est, legendos ab iis esse qui nuper ediscendi pietatis verbi gratia accesserint. Sapientia Salomonis, et Sapientia Sirach, Esther, Judith, Tobias, Doctrina, ut vocant, Apost. et Pastor. Attamen, dilecti, cum illi in canonem redacti sint, hi legantur, nusquam Apocryphorum mentio habetur: *καὶ ὁμως, ἀγαπητοι, κακεινων κανονιζομενων, των τουτων ἀναγινωσκομενων, οὐδαμως των ἀποκρυφων μνημη.*"[4] Hos libros secundi ordinis, lectos in Ecclesia, nec tamen in Canonem receptos, ab apocryphis omnino distinguit; et quamvis unum alterumve librum iis accenseat, qui ne quidem Deutero-Canonicus habetur, non ideo tamen cæterorum minuitur auctoritas, cui suffragia majora apud plerosque Patres favent. Jam verò etsi dicat Athanasius eos Canone non includi, quia scilicet nullo solemni

(1) Apud Theodoret. hist. Eccl. l. ii. c. 8. Ep. Synod.
(2) Sap. vii. 21.
(3) Conc. Carthag.
(4) In Epist Festali.

decreto Ecclesiæ Judaico canoni adjecti adhuc erant, eos tamen passim tamquam divinam Scripturam laudat. Sic de accusatoribus suis queritur: "nec pudet eos coram Catechumenis, et quod pejus est coram ethnicis, mysteria hæc traducere: cum oporteat, ait scriptura, *sacramentum regis abscondere.*"[1] Et alias: "Quid ergo dixerit calumniator? imo potius quid prudentes ac veri Christiani dixerint? Hos interroga, imperator: nam de illis quidem scriptum est: 'stultus stulta loquitur;' de his vero: ab omni sapiente consilium accipe."[2]

Quod veluti ex Augustino de libris lectis ex loco inferiori ut a divinis distinguerentur, asserit Horne, Cosinum auctorem allegans, testimonio sancti doctoris plane repugnat: eo enim loci divinam libri Sapientiæ auctoritatem vindicat. Ex hoc libro adduxerat testimonium: "raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus quod quum respuissent "Massilienses, "tamquam non de libro canonico adhibitum," respondit: "Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, CUM VENERATIONE DIVINÆ AUCTORITATIS audiri." * * * "Qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet ut istum librum Sapientiæ, ubi legitur, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi DIVINUM TESTIMONIUM crediderunt.[3]

Obj. 3. Plurima fabulosa, inter se haud cohærentia, et scripturis manifesto contraria libris illis continentur. Belis et draconis fabulæ narrantur: *Judith* fabulam redolet. Ipsa autem exhibetur Sichimitarum probans cædem, in Geneseos libro damnatam. *Tobiæ* scriptor ex Babyloniis Assyriisque de angelis dæmonibusque, Deum inter et hominem intervenientibus, plura mutuatus est. *Baruch* Babylonem abductus dicitur, eo ipso tempore quo eum in Ægyptum translatum Jeremias refert. In primo Machabæorum libro Antiochus Epiphanes Babylone mortuus narratur; in secundo dicitur in templo Nanææ in Persia interfectus, et postea misera morte interiisse inter montes in terra aliena. Suicidium etiam laudibus effertur. Ita Hornius.

Resp. Si de sacris libris humano sensu judicare liceat, nullius libri stabit auctoritas: consueverunt scilicet infideles mythorum seu fabularum nomine designare plurimas Scripturarum narrationes. Quæ de arca et Dagone in libro primo Regum[4] narrantur magis fabulam redolent, quam quæ de reperta sacerdotum Beli fraude, et de dracone disrupto dicuntur. Ex CAPITULIS DANIELIS quædam laudavit Irenæus tamquam ex prophetica scriptura:

(1) Apol contra Arianos.
(2) Apol. ad Imp. Const. § 17.
(3) De prædest. Sanct. c. xiv. t. x. col. 807. 808. supra laudatum; p. 380.
(4) I Reg. c. v. 3. 4.

"Quem *(Deum)* et Daniel Propheta, cum dixisset ei Cyrus rex Persarum, 'quare non adoras Bel?' annuntiavit dicens: "Quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum qui constituit cælum et terram, et habet omnis carnis dominationem."[1] Tertullianus de Josepho et Daniele loquens, animadvertit honores quibus a regibus fuerant aucti nullam idololatriæ necessitatem secum attulisse, secus "statim apparuisset Danielem idolis non deservisse, nec Belem, nec draconem colere, quod multo postea apparuit."[2] Cyprianus ex eodem loco quædam desumpsit: "Daniel Deo devotus, et Sancto Spiritu plenus exclamat et dicit: Nihil colo ego nisi Dominum Deum meum, qui condidit cælum et terras."[3] Et alias: "Loquitur Scriptura divina: 'stans,' inquit, 'Azarias precatus est, et aperuit os suum, et exomologesin faciebat Deo simul cum sodalibus suis in medio ignis."[4] Antiquissimi hi et gravissimi scriptores fabulas haud habuerunt, sed verissimas narrationes divino afflatu conscriptas. Porrò has Danielis partes, quas *additamenta* vocare consuevimus, in ampliori codice Hebraico olim extitisse, ex eo colligitur quod Theodotion, septuaginta versione neglecta, eas Græce reddiderit: versio autem non fit, nisi textus exemplari habito. Ipse Origenes earum auctoritatem vindicavit, Africano, qui Judæorum codices objecerat, respondens, Ecclesiarum traditione innixus, quibus Deum in tanta re defuisse nefas est cogitare: "An etiam Providentiæ, quæ in sacris scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem, curæ non fuerunt empti pretio, pro quibus Christus mortuus est?"[5] S. Basilius M. eas partes genuinas esse agnovit, de pueris enim in Babylonia ait: "sane ex media flamma Deum collaudarunt."[6] S. Chrysostomus puerorum historiam in suis homiliis retulit, Scripturæ nomine testimonia ex additamentis laudans: "Scriptura testatur: 'Angelus autem Domini simul descendit cum illis."[7] Sequens de Susanna homilia sic incipit: "Divinæ lectiones et sancta oracula Dei, quæ insonuerunt auribus vestris, nidum faciant in mentibus nostris."[8] Theodoretus eas Danielis partes cum reliquo libro in suo Commentario explicat. S. Ambrosius eas citat, sæpiusque scripturam vocat, "Spiritus sancti sacrum et cæleste miraculum" in Susannæ liberatione agnoscens.[9] Quod igitur objicit Hornius ipsum Hieronymum fabularum loco Belis et draconis narrationes habuisse, de jucunda earum natura intelligi potest, fabula enim apud Latinos

(1) Irenæus l. iv. c. xi. Textus invenitur Dan. xiv. 4.

(2) Tertullian de idololatria c. 18. p. 116. et de Corona p. 122. et de jejuniis p. 707.

(3) Ep. ad Fortunatum p. 487 ed. Wirc.

(4) L. de lapsis. p. 343. ed Wirc.

(5) ἀρα δε και ἡ προνοια εν ἁγιαις γραφαις δεδωκυια πασαις ταις Χριστου ἐκκλησιαις οἰκοδομην, ἐκ ἐφροντισε των τιμης ἀγορασθεντων, ὑπερ ὡν Χριστος ἀπεθανεν. Ep. ad. Afric. n. 4. p. 298 ed Wirc.

(6) L. de Spir. S. c. xxx. p. 382 ed. Bas. 1540.

(7) Hom. de tribus pueris p. 616. tom. 1. ed. Lugd. 1687.

(8) Hom. de Susanna p. 617.

(9) l. iii. de Sp. S.

jucundam narrationem, etsi veram, aliquando significat: quod si velit Hieronymum eas revera existimasse ingenio fictas, commune aliorum, gravissimorum sane scriptorum, judicium licebit sequi, cum tanti doctoris pace.

Judith liber, non minus ac Job, veram historiam continet, fatente Prideaux, quamvis Luthero, aliisque criticis temerariis placuerit utrumque veluti ingenio confictum habere. Clemens Romanus, Apostolorum auditor, eam agnoscit: "Beata Juditha, cum urbs obsideretur, rogavit seniores, ut sibi liceret in alienigenarum castra transire: ac seipsam periculo tradens, propter caritatem patriæ populique obsessi, egressa est; et Dominus tradidit Olophernem in manu fæminæ."[1] Non autem constat Juditham probasse Sichimitarum cædem, quamvis agnoverit Deum Simeonis furore usum ad scelus eorum ulciscendum: "Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem."[2] Maledictus furor filiorum suorum a Jacob pronuntiatus est, sed zelus eorum pro virginis decore alioquin probandus erat. Ipsa Judæorum in Christum scelera S. Petrus Dei consilio tribuit, quia scilicet haud sine speciali Dei permissione ea patrare valuerunt: quanto magis licuit mulieri sanctissimæ Dei justa in Sichimitas judicia in ultione Simeonis mirari? Cæterum si placeat Juditham haud recte de eo facinore judicasse, potuit enim mulier sancta communi veluti gentis suæ sensu de punitione injuriæ virgini illatæ ferri, non ideo libro, quo ejus sententia refertur, detrahetur auctoritas. Origenes in ea fuit sententia Judith pactam esse se tradere Holophernis cubili, eamque ob violatum pactum laudat, exemplum illud ex Scriptura se afferre dicens: "Volo afferre de Scriptura exemplum justi pactum frangentis, ut ostendam, quo pacto ille *(propheta Jeremias, cujus verba exponit Origenes)* prævaricationem invocarit. Cum Holopherne pacta fuerat Judith, ut per tot dies egressa preces funderet Deo, quibus elapsis semet Holophernis cubili traderet. Pacta hæc Holophernes admisit, potestatem Judithæ fecit, ut extra tentoria Deum oraret. Quid agendum erat Judithæ? Pactane servanda an frangenda? Certe frangenda, ut omnes fatentur. Pacta enim cum Holopherne inita violare beatum erat apud Deum."[3] Hieronymus dicit: "Apud Hebræos liber Judith inter hagiographa[4] legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur. Chaldæo tamen sermone

(1) Ad. Cor. lv. 6

(2) Judith ix. 2.

(3) θελω παραδειγμα δουναι ἀπο της γραφης δικαιȣ τȣ συνθηκας ἀθετȣντος, hom. xix. in Jerem. n. 7. p. 702.

(4) Aliqui legunt: "apocrypha:" sed Jahn alia lectio placet, juxta regulam criticæ qua difficilior lectio præfertur, facile quippe amanuensis in errorem qui videtur obvium exhibere sensum labitur, non ita in alium minus perspicuum. Einleitung Erster theil p. 136.

conscriptus inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ, imo exactioni." * * * "Accipite Judith viduam castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate."[1] S. Ambrosius eam proponit admirabilem: "Ecce tibi Judith se offert mirabilis."[2] S. Fulgentius ejus exemplum, tamquam ex Veteri Testamento desumptum, exhibet: "Habes et in Veteri et in Novo Testamento sanctarum viduarum quibus œdificeris exempla. In veteri Testamento Judith."[3]

Tobiæ liber plura de Angelorum et dæmonum in rebus humanis interventu continet, sed his similia in ipso Geneseos libro et in libris Novi Testamenti plurima occurrunt, adeo ut ad Babylonios Assyriosve non sit confugiendum ut horum fons demonstretur. Illum librum Apostolico sæculo laudavit instar cæterarum Scripturarum S. Polycarpus: "Cum potestis benefacere, nolite differre: quia 'eleemosyna de morte liberat.'"[4] S. Irenæus memorat Gnosticorum figmenta, juxta quæ prophetæ in varias distribuebantur classes: "Sic autem prophetas distribuunt. * * * Illius autem Eloi, Tobiam et Aggæum."[5] Sententiam inde desumptam Scripturæ nomine pluries citat Clemens Alexandrinus:[6] "exaudiens Scripturam quæ dicit: 'bonum est jejunium cum oratione.'"[7] Cyprianus etiam: "Loquitur in Scripturis divinis Spiritus Sanctus, et dicit: 'Eleemosynis et fide delicta purgantur.'" "* * * Raphael quoque Angelus paria testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat, hortatur, dicens: 'Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata.'" * * * "Esto potius liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit," et pergit recitare quæ Tobias filio mandavit.[8] Basilius M.[9] Ambrosius[10] aliique plurimi divinum hunc librum prædicant. Ipse Hornius fatetur librum hunc a Polycarpo aliisque Patribus laudari, et narrationis simplicitate et piis quæ tradit principiis plurimum commendari.[10] Grotius autem probat Hebræos eum veram habuisse historiam et librum sacrum.[11]

Baruch non eo ipso tempore quo in Ægyptum cum Jeremia abductus

(1) Præf. in librum Judith.
(2) L. III. Offic. c. xiii.
(3) Ep. 2. ad Gallam.
(4) Ep. ad Phil. § x. 3.
(5) l. I. adv. hær. c. xxxiv. p. 136 ed. col. Agrip. 1596.
(6) τουτο βραχεως η γραφη δεδηλωκεν, ειρηκυια, Ο μισεις, αλλῳ ε ποιησεις. l. II. Strom. n. xxiii. p. 372 ed. Wirc.
(7) l. VI. Strom. n. xii. p. 294. επακουσας τῆς λεγουσης γραφης, Αγαθον νησεια μετα προσευχης.
(8) L. de opere et eleemosynis.
(9) hom. de avaritia.
(10) Grot. Præf. in Tob.
(11) l. de Tobia.
(12) Vol. IV. c. viii.

narratur, Babylone vaticinans in hoc libro exhibetur, nam undecimo anno Sedeciæ, mense quarto, capta est civitas, mense autem septimo occidit Ismahel Godoliam præfectum terræ a Babylonis rege,[1] qua ex occasione Judæi, regis vindictam timentes, ad Ægyptum confugerunt, Jeremia et Baruch secum adductis.[2] Vaticinium autem Babylone editum est in anno quinto ab urbis incendio.[3] Illud temporis intervallum sufficit, ut Baruch ex Ægypto, quo Deus noluerat Judæos pergere, se Babylonem contulerit, ad solandum concives, et in Dei timore roborandum. Quod autem affirmat *Horne* librum hunc nunquam canonicum habitum fuisse a Judæis, vel a Christianis,[4] facile refellitur; nam in ipso canone Laodiceno recensetur, et a Cyrillo Hierosolimitano, ab Origene, ab Hilario, aliisque laudatur, ejusque verba ab aliis plurimis sub nomine Jeremiæ, veluti divina eloquia citantur. Sic Irenæus:[5] "significavit Jeremias propheta: 'circumspice,' dicens, 'ad orientem Hierusalem, et vide lætitiam quæ adventat tibi ab ipso Deo.'"[6]

Primo Machabæorum libro Antiochus minime dicitur Babylone mortuus, sed mors ejus contigisse dicitur dum Babylonem iter ageret, domum inde reversurus: ἐπῆρεν ἐκεῖθεν μετὰ λύπης μεγάλης ἀποστρέψαι εἰς Βαβυλῶνα"[7] nec aliud indicatur Vulgata versione, quam animi propositum, et iter eo consilio susceptum: ille autem qui primo capite secundi libri narratur in templo interfectus, dolo sacerdotum,[8] plerisque videtur ab Antiocho Epiphane diversus, litteræ quippe quibus ea narratio continetur, anno 188 æræ Seleucidarum scriptæ sunt:[9] obiit autem Epiphanes an. 148, seu juxta aliam supputationem 149. Ad mortem igitur Antiochi Sidetis, qui anno 186 haud desierat regnare, numisma enim extat eo anno cusum, referre visum est quæ de interfecto in templo Antiocho retulerunt litterarum scriptores. Discrimen hoc magna copia eruditionis propugnavit P. Erasmus Frælich e S. J., qui numismatibus annales regum Syriæ illustravit;[10] quamvis Calmeto, emunctæ sane naris homini, nil obstare visum sit eundem intelligere, qui scilicet plerisque e suis cæsis in templo, ipse fuga evasit.[11] Quod autem in montibus, in terra aliena, procul scilicet a regia obierit Epiphanes, res est explorata.

Raziæ mortem sibi consciscentis animus virilis a Sacro Scriptore exhi-

(1) Jer. xli.
(2) Vide Jeremiam c. xliii.
(3) Baruch i 2.
(4) Vol. IV. p. 1. c. viii. p. 217.
(5) l. V. c. xxxv.
(6) Baruch iv. 36.
(7) I Mac. vi. 4.
(8) II Mat. i. 13.
(9) Ib. v. 10.
(10) Vide Annales compendiarios Regum et Rerum Syriæ, Viennæ 1754, c. iv. p. 45 et Vindicias p. 200. Vide etiam Wiseman's Lectures on Science, lect. ix.
(11) Vide Commentar. Calmet. in loc.

betur, quin recte se gessisse dicatur: ut effugeret gentis et Religionis hostes, jam eum comprehensuros, "gladio se petiit, eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis agi."[1] Studium ejus pro Religione et constans legis observantia magnam merentur laudem; quod autem mortem sibi consciverit, laudandum non est, quamvis in eo mirari liceat eundem animi affectum erga patriam et religionem; eumque in ipsa morte "dominatorem vitæ et Spiritus" invocantem. Samsonis mors refertur ab alio Sacro Scriptore, quin idcirco divina narrationis labefactetur auctoritas: attamen certæ se objecit morti templi columnas evertendo. Circumcellionibus Raziæ exemplo abutentibus respondit olim Augustinus: "Scriptum est quod voluerit *nobiliter et viriliter mori*, sed numquid ideo sapienter? *Nobiliter* scilicet, ne libertatem sui generis captivus amitteret: *viriliter* autem quod tantas vires animi haberet, quibus idoneus esset ut se ipse perimeret."[2] "At enim Sanctarum Scripturarum auctoritate laudatus est Razias? Quomodo laudatus? quia fuit amator civitatis * * * Istam vero ejus mortem mirabiliorem, quam prudentiorem narravit, quemadmodum facta esset, non tamquam facienda esset, Scriptura laudavit."[3]

Obj. 4. Falsa, absurda, incredibilia his libris continentur. In libro Tobiæ Angelus mendax exhibetur: dæmon fugatus dicitur incenso jecore piscis: in Machabæorum secundo libro ignis sacri in aquam crassam conversio, aquæ deinceps in ignem narratur: tabernaculum et arca Jeremiæ jussione eum secuta ad montem quemdam dicuntur.

Resp. Si eadem ratione omnes sacri libri examini subjaceant, vicerunt Deistæ. Angelus se Azariæ filium dicens ea usus est libertate quæ Judæis jam innotuerat, qua quis vocaretur juxta personam quam gerebat. Angeli quidem Abrahamo et Lot visi non statim qui forent manifestarunt, sed ea dixerunt et fecerunt quæ eos homines esse indicarent. In rebus extra ordinem consuetum non possunt adhiberi regulæ, quæ hominum quotidiano inter se commercio congruunt; sed ex tota rerum serie petenda est dictorum explicatio. Profectò Tobiæ fuit ratio cur suspicaretur, ignotum illum se comitem offerentem esse cælestem quendam Spiritum, præsertim quum nosset Angelos sæpius humana latuisse forma. Dæmonis expulsio non vi quadam jecori incenso piscis insita facta est, sed ejus occasione; quum enim insana libido fuisset in causa cur Saræ mariti morte plecterentur, placuit fumo libidinis impetum minuere.[4] Mira illa ignis sacri in aquam crassam conversio, et aquæ deinceps in ignem, haud excedit fidem, præsertim quum finis quem sibi proposuit Jeremias esset, ut sacer ignis ser-

(1) II Mach. xiv. 42.

(2) Ep. cciv. Dulcitio, alias lxi.

(3) Aug. l. i. contra Gaudentium.

(4) Vide Dissertazioni da Alfonso Niccolai del libro di Tobía diss. 4. p. 76. Venezia 1782, "Vivo sulphure victus amor." Ovid. de Remed. l. i.

varetur, lex enim vetabat ne novus aut alienus ignis adhiberetur.[1] Non adeo mirandum ignem diu latentem crassæ aquæ speciem præsetulisse, eum autem iterum accensum, Nehemia reverso, et oblaturo Sacrificium, consonum est iis quæ Deus alias fecit, nam etiam aqua sacrificio Eliæ circumfusa, igni consumptum est. Nihil quidem in ea narratione incredibile.

Quod autem de jussione Jeremiæ ut tabernaculum et arca comitarentur secum, intelligendum plane est de iis secum afferendis; ἐκέλευσεν αὐτῷ συναχολεθεῖν, nec de ambulante arca, vel tabernaculo, aliquid dicitur. Placuit autem Hornio in re gravi nugari. Totam rem retulit Ambrosius veluti pulcherrimum pietatis exemplum, mysterii plenum: narrationi quippe ex libro Machabæorum desumptæ, adjunxit. "Prolixior excursus admirandi gratia mysterii factus videtur, dum studemus revelatum plenius Sacramentum pandere, quod eousque plenum est honestatis, ut sit plenum religionis."[2]

Obj. 5. Plura libris illis continentur, quæ profanis omnibus historiis repugnant. Sic de Romanis dicitur: "committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, et omnes obediunt uni, et non est invidia, neque zelus inter eos."[3] Constat autem Imperatores nonnisi sæculo elapso post id temporis regnare cæpisse. Sic quæ de Alexandri morte dicuntur,[4] scriptorum aliorum testimonio destituuntur.

Resp. De Imperatorum regimine plane non agitur, sed de Consulatu. Duo quidem eligebantur quotannis consules, quorum tamen unus regebat civitatem, altero bello præfecto. "Omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere," testante Tito Livio.[5] Constat etiam unius regiminis speciem exhibitam, nam alternis plerumque diebus, nonnumquam mensibus, imperii insignia cum auctoritate penes consulem fuere, adeo ut Polybio, qui ipse testis erat oculatus, Monarchiæ formam repræsentaret: ὅτε μεν γαρ εἰς τὴν τῶν ὑπάτων ἀτενίσαιμεν ἐξουσίαν τελείως μοναρχικὸν ἐφαινετ' εἶναι.[6] De morte Alexandri nullam habemus narrationem quæ possit auctori sacro conferri, quum ipse historicis profanis longe sit prior: Quintus Curtius scilicet 1° post Christum sæculo, Justinus secundo, Plutarchus primo ad finem vergente, scripsit. Curtius ipse testatur ipsam quam sacer auctor narrat regni divisionem apud aliquos obtinuisse fidem: "Credidere quidam testamento Alexandri distributas esse provincias: sed famam ejus rei, quamquam ab auctoribus tradita est, vanam fuisse comperimus."[7] Diodorus Siculus, aliquanto prior, narrat Alexandrum testamentum pro imperii sui divisione

(1) Lev. x. 1.
(2) l. III. de officiis c. xiv. t. IV. col. lxxx. edit. Paris 1603.
(3) 1 l. c. viii. 16.
(4) I Mac. 1. 6. 7.
(5) Liv. l. 2.
(6) l. iv. p. 460. Vide opus laudatum auct. l. Mac. p. 253.
(7) l. 10.

in urbe Rhodo deposuisse.[1] Igitur quæ sacer auctor dixit: "divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret,"[2] non adeo aliena sunt ab historia.

Cæterum Drusius, Protestanticus licet scriptor, fatetur tantam esse discordiam scriptorum de Alexandri rebus gestis, ut injuria Machabæorum libri auctori invidia hinc confletur: "injuriam faciunt huic scriptori, qui hinc illi calumniam struunt."[3] Arianum citat testem ἄλλα μὲν δὴ ἄλλα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρα ἀνέγραψαν, ἐδ' ἐστιν ὑπὲρ ὅτα πλείονες, ἢ αξυμφωνότεροι ἐς ἀλλήλας.[4] Totam hanc rem docte illustravit Scriptor de auctoritate Canonica librorum horum, qui vindicias Frælich annalium suscepit.[5]

Obj. 6. Libri illi dicti sunt canonici, utpote genuini, quos in Ecclesiis legi liceret: nam Patres Carthaginenses dicunt se ita a patribus accepisse. Ita Burneti abbreviator.[6]

Resp. Decretum illorum patrum sic incipit: "Item placuit ut præter scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum."[7] Liquet igitur ipsas canonicas Scripturas divinas haberi. Canonis quidem nomine catalogus divinorum librorum semper designari consuevit: ideoque ipsi qui de divina quorumdam auctoritate dubitabant patres, eos canone non includebant: cæteri eos divinos et canonicos simul agnoverunt.[8]

Obj. 7. Additamenta Estheris cum aliis capitibus plane non cohærent, et aliena manu adjecta sunt, a Vulgato scilicet interprete, prout olim conjecit Hieronymus.

Resp. Inter capita illa cæteraque nulla est pugna, sed leves quædam varietates quæ facile conciliantur. Additamenta plures continent epistolas et edicta, sicut et orationem Mardochæi, quæ indicat vel summatim refert liber ipse. Utrum autem ab auctore prodierit liber iis omnibus locupletatus non una est eruditorum sententia. Censet eruditissimus vir Joannes Bernardus De Rossi, cujus in rem Biblicam et Hebraicam merita toto orbe claruerunt, Mardochæum librum Chaldaico idiomate scripsisse, quo omnia continebantur, fusiori stylo enarrata, eoque usum esse supremum Palæstinorum magistratum in breviori illo quem habemus concinnando libro, Hebraico idiomate, qui in Canonem Judaicum receptus est: quamvis plura documenta ex Mardochæi libri desumpta in Septuaginta versionem sint translata. Constat quidem additamenta ea contineri, et plura documenta a Josepho relata.[9] Extant insuper hodie tres saltem Chaldaici codices qui

(1) Diodor. l. 20. p. 774.
(2) I Mac. I. 7.
(3) In criticis Sacris.
(4) l. 1. c. I. p. 2 ed. Gronov. apud Vander Ludg. Bat.
(5) Vide opus plus semel laudatum, Viennæ an. 1749. p. 173.
(6) Analysis p. 121.
(7) Hard. t. 1. col. 968.
(8) Vide Lanigan, Instit. Bibl. l. 1. c. viii. n. 1. p. 406.
(9) Antiq. Jud. l. xi. c. 6. Josephus Gorionides etiam Josiffon l. 1. c. ii. iii. et iv. p. 74 seq. edit. Hebræo-latinæ Breithaupti.

additamenta dant, ea varietate distincta, quæ suspicionem amovent ea fuisse ex Vulgata vel Septuaginta Chaldaice reddita. Codex ille præsertim, cujus specimina dat De Rossi, haud valde antiquus, optimæ tamen notæ, ea præbet cum toto libro ea ratione qua scripta certo divina exhibentur, nulla discriminis nota.[1] Nullo pacto conjici potest ea a Latino interprete excogitata, nam Septuaginta Versio et Josephus ea habet: nec Hieronymus unquam id conjecit; vulgatum autem interpretem vocavit Græcum, consuevit quippe Græca Versio ea ratione designari κοινή, et dixit *se in editione vulgata Græcorum lingua et litteris* ea reperisse. Sed ea ne quidem Græce primum prodiisse liquet, ex eo quod Josephus profiteatur se Hebraicis codicibus in suis describendis antiquitatibus uti, sicut et ex paucis illis qui supersunt codicibus Chaldaicis.

Obj. 8. Plura iis continentur additamentis quæ nullatenus valent cum libro canonico Estheris conciliari. C. ii. conjuratio dicitur facta anno septimo Assueri, quæ tamen anno secundo Artaxerxis capite xii. adscribitur. Mardochæus dicitur nihil omnino mercedis accepisse ob insidias detectas, c. vi., quum c. xii. rex præceperit ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. Aman c. iii. "de progenie Agag," c. xii. 6, "Bugæus," c. xvi. 10, "animo et gente Macedo," exhibetur. c. xvi. Aman dicitur voluisse transferre regnum Persarum in Macedones: constat autem Macedonum imperium nonnisi post annos fere tercentos ab eo tempore floruisse. C. xiii. edicto jubetur ut cædes Judæorum fiat decima quarta die duodecimi mensis Adar, et c. iii. clades dicitur facienda die decima tertia mensis ejusdem. C. ix. decem filii Aman in patibulis suspensi dicuntur decima tertia die mensis Adar: quos tamen edictum regis ante octo vel novem menses editum, jam suspensos refert. c. xvi. 18. De rege, Esthere coram stante, dicitur c. v. 2: "Cum vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus." E. contra c. xv. 10: "Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit."

Resp. Hæ narrandi varietates, quæ in libris Canonicis passim reperiuntur, facile sibi invicem conciliantur. Plures enatæ sunt difficultates ex turbato capitum ordine, secrevit enim S. Hieronymus ea quæ in Hebraico textu non reperiebantur, eaque ad finem remisit. Artaxerxes in Græca versione vocatur qui Assuerus in textu. Conjuratio non dicitur secundo anno evenisse, sed somnium eo anno Mardochæo occurrit, quo futura portendebantur. "Eo tempore" est consueta ratio introducendi relationem alicujus rei gestæ, quin determinetur tempus; vocesque hæ Græco codice desiderantur, adeo ut minime necesse sit conjurationem eodem anno quo somnium contigisse intelligere, quam ex alio loco septimo tantum anno

(1) Vide Specimen et Chaldaica Estheris Additamenta a De Rossi Romæ 1782., p. 117. et. seq.

detectam novimus. Mardochæus nihil omnino mercedis accepisse dictus est a regis famulis, quia nihil in annalibus ei tributum referebatur, quæ enim forsan accepit non ejusmodi erant quæ referri mererentur: sed amplissimum honorem et munera deinceps est consecutus, quæ, si placeat, duodecimo capite indicari intelligas. De Aman genere non satis constat, Αγαγι enim incolam Agag licet accipere, constat autem ex Plinio fuisse in Scythia *Agagamatas*. βȣγαιος dictus est forsan Persico vocabulo, quod officialem regis nonnulli interpretantur.[1] Fuit autem animo et gente Macedo, genere, ut videtur, quamvis forsan non nativitate. Macedonum imperium, quod augere cupiebat, jam floruit, si Josephi et plurimorum standum sit sententiæ, Assuerum Artaxerxem Longimanum habentium, hic enim Xerxi patri in Persarum imperio an. 3531 suffectus est, 473 annis ante Christum natum; Macedonum autem regnum a Catano fundatum dicitur anno 794, ad culmen quidem gloriæ sesqui sæculo post Artaxerxem, Alexandro imperante, perductum. Levis illa unius dici discrepantia quæ objicitur in amanuenses non temere rejicitur, constat enim facile in numeris errari. Filii Aman patris pænæ participes videntur facti statim, sed in die cladis generalis cadavera eorum in terrorem et exemplum exposita. Esther autem coram rege pavens benigne sublevata est, uti fusius narratur, c. xv.

Obj. 9. *Additamenta Danielis* carent verosimilitudine. Daniel puer dicitur, c. xiii. 45, qui fere septuaginta jam annos in captivitate degerat, Susannæ enim historia paulo ante Cyri regnum dicitur occurrisse, v. 65. Exhibetur etiam Græcis vocibus ludens, quum enim senex affirmasset se vidisse Susannam cum amasio sub arbore σχίνω, Daniel vocem arripit: σχίζει "scindet te medium: altero dicente sub πρίνω, Daniel πρίσει "secet te medium" precatur.

Resp. Daniel junior quidem ætate fuit quando Susannam e manibus senum eripuit: nec aliud colligitur ex sacro textu, capitulorum ordine, qui ex Hieronymi tempore turbatus est, uti de Esthere diximus, restituto. Quod ad vocum ludum pertinet, liquet Danielem Chaldaice vel Hebraice locutum, et ex senum responsione de arbore sumpsisse occasionem pænam senibus declarandi: quam Græcus interpres repræsentavit vocibus aliis, sed quæ rem exprimunt.

Obj. 10. *De Tobia* narratio risum movet, quod hirundinei stercoris casu fuerit excæcatus. Mirum, nec satis verecundum est, quod de septem viris ad Saram accedentibus, indeque mortuis narratur. Piscis in terram detractus a juniore Tobia, et cæcitatis remedium inde derivatum, dæmonis etiam, post jecoris incensi fumum, in Ægypti superioris desertum relegatio, fidem excedunt, et fabulam redolent. Sara insuper in Rages dicitur habitasse, et tamen Angelus inde profectus ad Gabelum in Rages morantem, iter magnum suscepit.

Resp. Etsi excæcatio ex causa adeo levi plerumque non contingat, eam

(1) بغج *a tyrant*, Richardson's Persian dictionary.

tamen permisit Deus, ut Tobiæ patientia posteris foret exemplo, prout sacer auctor dicit. Nil in ea fidem excedit, quum tenera sit pupilla, et facile lædatur. Mira quidem fuit ejus sanatio, divina sane ope effecta: attamen piscium quorumdam jecur idoneum a nonnemine dicitur mundando oculo.[1] Piscis in terram detractus a Petro, jubente Christi Domino, refertur, ex cujus ore pecunia extracta res est magis miranda, quam jecur quadam medendi virtute donatum. Mors septem virorum insigni est exemplo punitionis intemperantioris libidinis, quo usus est Angelus ut sanctissima de ea domanda traderet juniori Tobiæ præcepta. Dæmonis relegatio coercitam ejus potestatem, causa etiam sublata, denotat, quam procul a Sara esse voluit Deus, eo veluti ad deserta loca amandato: quæ ratio loquendi si cui non arrideat, memmerit eam sacris Scriptoribus esse familiarem:[2] "alligatio diaboli est non permitti exercere totam tentationem, quam potest, vel vi, vel dolo, ad seducendos homines."[3] Rages in qua habitabat Sara Ecbatana quoque vocari ex Græco textu liquet, quam civitatem adhuc Rhaga Græci vocant, in Persia Tauride; morabatur autem Gabelus in Rages quæ posita est in montanis, quæ civitas Reset haud procul a mare Caspio jam audit. Ita *Nicolai*, haud inverosimili nixus ratione.[4]

Obj. 11. *Judith* liber res gestas exhibet, quarum epocha adsignari nequit. Nabuchodonosorem regem Assyriæ appellat, quamvis principes eo nomine insignes Babyloniis tantum imperarint. Arphaxad fundasse Ecbatana dicitur, et a Nabuchodonosore postea victus et occisus, quum Herodoto docente constet Dejocem civitatis illius fundatorem in senectute florentissima tranquille obiisse. Silet prorsus regem Judæorum, et rei summam penes Pontificem et Concilium statuit. Mulierem omni arte meretricia præstantem, fraude, mendacio, cæde inquinatam, summis laudibus ornat, veluti perfectæ virtutis exemplar. De tota hac historia, quæ celeberrima esse debuit, Josephus, diligentissimus rerum suæ gentis relator, silet.

Resp. Eadem difficultas de epocha historiæ urget librum Esther, quem divinum Protestantes agnoscunt. Variæ quidem sunt eruditorum de utraque sententiæ, quas nostrum non est dirimere. Eam speciminis veluti causa dabimus quam Gibert post Eusebium aliosque amplexus est, qua post reditum e captivitate Babylonica res a Judith gestæ existimantur:[5] antea scilicet templum solo fuerat æquatum, jamque rerum summa apud Sacerdotem summum et Concilium erat. Artaxerxes Ochus Persarum rex ab eo habetur Nabuchodonosor, nomen enim hoc, a Nabo Chaldæorum deo derivatum, consuevit regibus tribui, titulusque Assyriaci imperii dari

(1) Vide Dissertazioni di S. Serittura l. xii. Tobia. p. 190 da P. Niccolai, Venezia 1782.
(2) Apoc. xx. 2. II Pet. ii. 4. Jud. v. 6.
(3) Augustin l. xx. de civ. Dei. c. vii.
(4) Vide Dissert. x. p. 163.
(5) Memoire des Inscript. t. XXI. p. 41. ed. Paris 1754.
(6) Jahn ad Machabæorum tempora historiam hanc refert.

Persarum regi, uti apud Esdram: "convertam cor regis Assur ad eos;"[1] et apud Zachariam: "humiliabitur superbia Assur."[2] Arphaxad Ecbatana ædificasse ob civitatem muris munitam prædicatur, uti colligitur ex Græco textu et etiam Latino: nec inusitatum est civitatem ædificatam dicere, quando aucta est novis amplisque ædificiis. Media quidem jam Persarum imperio subacta erat, sed eam jugo excusso, dominis bellum intulisse circa id temporis testantur Herodotus et Xenophon, coævi scriptores. Arbacam Medorum satrapam nominat Xenophon, quem iis imperitantem rediens cum exercitu invenit, quem Arphaxad esse suspicatur Gibert, eum diuturno imperio gavisum putans, 42 enim annorum intervallum effluxit, inter Xenophontis recessum, et historiam Judith. Quod si difficultatem alicui faciat, licebit alium ab eo existimare.[3] De Judith constat sanctum fuisse animi propositum patriam discrimini eripendi, et sacra suæ gentis impiorum vi; quod ut perficeret, ea ratione se ornavit qua libidinem Holofernis accendendam prævidit, quin ipsa aliquid minus pudicum præseferret, vitio notissimo ejus animi, tamquam occasione, usura in patriæ commodum. Licet quidem numquam aliquid consultò facere, quod libidinem accendere natum sit; sed justa urgente causa, non culpatur fœmina modeste se ornans, etsi occasionem peccati inde aliquem suo vitio sumpturum prævideat. Finis omniaque rei adjuncta perpendenda sunt antequam de re gesta judicium fiat. Quod si alicui videatur Juditha a veritate, vel modestia, aliquatenus deflexisse, animus ejus culpam minuat necesse est. Nobis quidem totam historiam considerantibus admiranda vere videtur ob vitæ puritatem, et animi vim invictam: quod et sanctissimis Ecclesiæ patribus a rei Christianæ primordiis visum est. Josephi silentium potest explicari, quum sæpius professus sit se velle ex sacris suæ gentis libris suam concinnare historiam; nec facile debet *negativum* quod vocant *argumentum* positivis rerum documentis prævalere. Illud quidem Christiano homini debet sufficere, quod Hieronymum subdubitantem movit ut Episcoporum voluntati, librum hunc vertendo, acquiesceret: "quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse."[4]

Obj. 12. Sapientiæ liber idololatriæ originem ex patris erga filium defunctum amore repetit,[5] contra Scriptorum consensum.

Resp. Possunt Sacri Scriptoris verba de origine idololatriæ explicari, veluti speciminis gratia, quin prima omnino origo intelligatur. Sed si hanc placeat intelligere, nihil obstat, nec enim scriptores profani adeo fide digni proferri valent in contrarium.[6]

(1) I Esdr. VI. 22.

(2) Zach. x. 11.

(3) Vide Dissertazione II. del Padre Niccolai t. xi. La Giuditta, p. 20.

(4) Hier. Præf. in Judith.

(5) Sap. xiv. 15.

(6) Vide Il buon uso della Logica del Canonico Alfonso Muzzarelli t. 2. opuscolo settimo, Metafisica p. 137.

Obj. 13. In Machabæorum libris Alexander primus in Græcia regnasse dicitur, contra omnem historiæ fidem. Judas mortuus anno 152, cujus nomen nihilominus præficitur epistolæ anno 188. Antiochi mors diverse narratur. Antiochus Eupator anno 148 scribens, mortem patris sui refert, quæ anno 149 contigit, et pacem post magnas clades acceptas ab obitu patris conciliat. Præter Raziam Eleazar commendatur morti se objiciens "ut acquireret sibi nomen æternum." Insuper somnia, visiones Angelorum per aera, hominis in templo flagellatio ab Angelis, aliaque hujusmodi fabulis simillima referuntur. Citatur Jeremias veluti testis de arca celata, cujus nullum in ejus scriptis occurrit vestigium, et arca ipsa detegenda dicitur redeunte populo, quæ tamen numquam noscitur detecta. Indi Medique a Romanis domiti dicuntur, repugnante historia.

Resp. Illud de Alexandro in primo Machabæorum libro dicitur, qui Hornio[1] historica exactitudine præstare, imo Luthero canonicus visus est: "tam dignum esse (*censuit*) librum I. Macchabæorum qui in canonem recipiatur, quam dignum librum II. qui inde expungatur."[2] Jure quidem optimo de Alexandro dicitur ὃς ἐβασίλευσε πρῶτος ἐν τοῖς Ἕλλησι, re enim vera primus obtinuit totius Græciæ imperium: idque in numismatibus discriminis videre est, quod ante illum nomen tantum rectoris ferant, ipsi regis titulo primum tributo: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.[3] Judas cujus nomen præfigitur epistolæ alius fuit a Machabæo, verosimiliter Judas Essenus, vaticiniis celeber quem laudat Josephus;[4] vel potius Judas Joannis Hircani primogenitus, alias dictus Aristobulus qui, utpote designatus patris successor, præesse poterat senatui.[5] Ob nominis similitudinem non est cur hæreamus, temporis ratione vetante ne Judas Machabæus intelligatur. Narratio mortis Antiochi quæ primo libro datur cum ea quæ nono capite secundi libri continetur haud difficile conciliatur. Urbem quidem in qua templum situm est Ἐλυμαΐδα ἐν τῇ Περσίδι vocat I. libri auctor;[6] Περσεπολιν alter; sed licet urbs foret hoc nomine insignita prope Araxen fluvium in Persia, ab Alexandro M. incendio vastata, videtur latiori sensu urbs Persica hic designari, quæ forsan, alia jam diruta, nomen etiam obtinuit: quod insinuatum videtur: τὴν λεγομένην Περσέπολιν. Equidem Elymais provincia dicta est, sed et Elam universum imperium Persicum sæpe designabat.[7] Placet igitur ipsam civitatem Elymaidem intelligere, fanum autem Nan-

(1) "The first book of Maccabees is a most valuable historical monument written with great accuracy and fidelity." Horne, Intro. vol. IV. p. 1. c. viii.

(2) Præf. in II lib. Mac.

(3) Annales Regum Syriæ a Frælich, Prol. c. vi. p. 31.

(4) Antiq. l. XIII. c. xix.

(5) Vide vindicias Annalium sæpe laudatas p. 210.

(6) I Mac. vi.

(7) עילם Hebræi solent dicere pro toto imperio Persico, ideo scriptor Hebræis lectoribus scripsit ἐν Ελύμαις, id ipsum vero Græcis lectoribus interpretans, addit εν τῃ Περσίδι.

nææ, quam Anaim vel Anaitim, Dianam forsan aut Venerem, Strabo designat.[1] Cæterum et in Ecbatanis Dianæ eo nomine templum a Plutarcho memoratur: Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνεῖτιν καλοῦσι.[2] Eo se contulisse videtur, forsan pari consilio fanum diripiendi, sed nuntio rerum in Judæa infeliciter gestarum accepto, iter Babylonem versus deflexit, et in montibus prope Tabas, tristitia morboque fædissimo, lapsus etiam e lectica tandem occubuit. Tabarum in Syria Peræa meminit Stephanus Byzantius, sed aliis placet Tabas Persidis quas memorat Polybius hic intelligere, quas in Babyloniæ finibus sitas dicunt.[3]

Antiochus IV. Epiphanes obiit anno 148 mense Nisan, quem Græci vocabant Xanthicum, ineunte verno æquinoctio: quapropter ejus successor Antiochus V. Eupator litteras dedit 15 die ejusdem mensis et anni. Syro-Macedones consueverunt anni initium a mense Dios autumnali seu Tisri, uti Hebraice dicebatur, sumere, Judæi a Nisan, seu Xanthico. Inde factum est ut auctor primi libri Antiochum anno 149 mortuum dicat, quippe annus novus inceperat, quamvis idem haberetur a Syro-Macedonibus usque ad autumnum. Hoc discrimen supputationis ubique in utroque libro servatum magno est indicio genuinæ et accuratæ historiæ.[4]

Quod autem pacem Antiochus Eupator statuerit cum Judæis, contigit statim post Epiphanis mortem, nulla nova accepta clade, forsan ut obsequeretur ultimæ patris voluntati. Litteræ Lysiæ quibus pax iterum conciliata est, nonnisi vigesimo quarto die mensis Dioscori datæ sunt, elapsis interea sex saltem mensibus, nam mensis intercalaris habetur, mensi ultimo anni autumnali adjectus: violaverat quippe pacis conditiones Lysias, Judæis semper iniquus, sed cladibus gravibus acceptis pacem iterum statuendam curavit. Igitur annus 148 juxta Syro-Macedonum supputationem non adhuc desierat, quamvis septem fere menses anni 149, juxta Judæorum computum, elapsi fuerint.[5]

Eleazar non laudatur a sacro Scriptore, sed quo animo sese objecerit discrimini refertur: nec tamen constat eum nullam spem vitæ servandæ habuisse, dum se elephanti subjiceret ad regem interficiendum.[6] Quod Heliodorus templum direpturus vapularet, juvenibus duobus cælitus apparentibus[7], divinam majestatem et potentiam commendat, qua domus Dei sancta ostenditur: nec absimile est illi Christi Domini zeli indicio, quo, virga manu arrepta, violantes templum foras exire jussit. Cætera celestia

(1) l. II. 12. 15.

(2) In Artaxerxe, p. 1025.

(3) Vide *Prolusionem in examen vocatam* a Frælich p. 18, etiam vindicias citatas p. 200.

(4) Vide opus egregium: "Annales compendiarii Regum et Rerum Syriæ Numis veteribus illustrati ab Erasmo Frælich, Viennæ 1754. c. ii. et iv. p. 22, 43.

(5) Vide Annales Regum Syriæ Prolog. c. iv. p. 28. et Vindicias, Chronolog. p. 129.

(6) 1 Mac. vi. 44.

(7) II Mac. iii. 26.

signa, visionesque, Dei erga populum suum curam ostendunt, nec ob miram naturam in quæstionem vocari queunt, quin totius Scripturæ periclitetur auctoritas. Liber Jeremiæ in quo illa omnia quæ indicat Sacer auctor referebantur, eo tempore procul dubio extabat, nec enim nullo veluti fructu eum laudasset, mendacio facile detegendo: novimus autem plures alios libros a sacris scriptoribus citatos desiderari. Id quidem notatu dignum capite LII. Jeremia, ubi omnia ex templo ab hostibus ablata recensentur, de arca et altari non fieri mentionem, ipsis mortariolis alioquin enumeratis: unde colligere est ea ante direptam urbem ex principis venia, Jeremias enim gratia ejus fruebatur,[1] a vate in tuto posita. Arcam autem iterum detegendam sub mundi finem ex verbis vatis colligi potest: "ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi."[2]

Quod ad Indos Medosque spectat Grotius qui cum Usserio historicam horum librorum fidem admittit, legendum putat Ionios, Mysiosque; quamvis Harduino aliisque placeat Midæos in Phrygia, aliosque minoris Asiæ incolas designari. χώραν τὴν Ἰνδικήν, καὶ Μηδείαν καὶ Λυδίαν[3] Loca Eumenidi data, quæ notat sacer auctor, Polybius alias designat πλὴν Λυκίας καὶ Καρίας τὰ μέχρι τῆς Μαιάνδρου ποταμοῦ.[4] Quum de re sacer et profanus scriptor conveniant, de nominibus, quorum magnam confusionem Polybius agnoscit ob migrationes, permixtionesque hominum, non est difficultas movenda. Id etiam animadvertendum agi de libro primo quem adeo accuratum prædicat ipse Horne.

Obj. 14. Veteres illi catalogi quibus præcipue nititur canon Tridentinus dubiæ sunt fidei. Canoni Carthaginensi additur: "hoc etiam fratri et consacerdoti nostri Bonifacio—pro confirmando isto canone innotescat.' Bonifacius autem cathedram Petri non conscendit ante annum 418, diu post Concilium III. Carthaginense. Igitur vel canon supposititius prorsus est, vel saltem dubii hæserunt qui eum condiderunt. Decretum Gelasianum dictum incerti est auctoris, codices enim aliqui Damaso, alii Gelasio, alii Hormisdæ illud tribuunt. Innocentii autem epistola decretoria non erat, sed ad amicum Episcopum directa, quapropter Hieronymus illud nihil moratus de libris adscititiis libere censuit, et disseruit: quem tamen Ecclesiam Romanam sequi illud decretum Gelasianum profitetur.

Resp. Apud criticos optimos canones illi certam habent auctoritatem. Quæ verba objiciuntur apposita sunt codici Ecclesiæ Africanæ Bonifacio oblato, quem "Breviarium Africæ Provinciæ Canonum, sedi Apostolicæ missum, et ad eadem Sede corroboratum" vocat Hincmarus.[5] Ter quidem in conciliis Africanis de canone actum est, in Hipponensi concilio an. 393, in Carthaginensi an. 397, et altero Carthaginensi an. 419. Patres non

(1) Jer. xxxix. 12.
(2) II Mac. 2. 7.
(3) I Mac. viii. 9.
(4) Leg. xxv. p. 824. edit. Wechel. 1619.
(5) t. II. Opusc. 33, c. 34, p. 518.

dubii hæserunt, sed canonem ex suarum Ecclesiarum constanti traditione confecerunt. Cæterum quum apud omnes Ecclesias traditio de quibusdam libris non ita clarescceret, sapientissimi erat consilii Sedis Apostolicæ auctoritatem, ut decreto constaret vis, expetere. Gelasianum decretum quod spectat, etsi unus alterve codex Damasi vel Hormisdæ præseferat nomen, Gelasio fere omnes id tribuunt, quorum aliqui illud ab eo cum LXX. episcopis editum referunt. Illud in MSS. codicibus ante mille et amplius annos exaratis se reperisse testati sunt Maurini editores operum S. Ambrosii. Illud etiam commemoravit Althelmus sæculi VII. scriptor.[1] Innocentii autem catalogus datus est, Exuperio, Tolosæ episcopo, eum consulente: "ad sedem Apostolicam referre maluit," potius quam sua niti prudentia. "Qui verò libri recipiantur in canone sanctarum Scripturarum, brevis annexus ostendit." Damus libenter canonem hunc non formam decreti de fide præsetulisse, sed exhibuit "quod sequendum-custodita series temporum demonstraret." Est igitur insigne documentum traditionis sedis Apostolicæ. Quod autem Hieronymus subdubitare visus sit de librorum extra canonem Judaicum auctoritate, vix ignorantiæ traditionis Ecclesiæ Romanæ adscribi potest, sed libros illos apud fidei adversarios parum valere censuit, in ipsa Ecclesia ædificationi inservire, quin divina eorum inspiratio decreto aliquo solemni proponeretur credenda. Scripsit scilicet pleraque sub Damaso, diu ante Innocentii I. tempora, qui nec ipse fidei condidit decretum. Minime autem professi sunt Patres concilii Romani sub Gelasio se in sacris libris recensendis Hieronymi sequi auctoritatem, sed quæ sensit ipse de quibusdam Ruffini, et Origenis, et aliorum, Joviniani scilicet et Vigilantii præsertim, opinationibus se probare significarunt. Quam mala fide hæc Cave ad sacrorum librorum canonem retulerit, manifestum erit decretum legenti.

Fusius de libris Deutero-canonicis egimus, quia in eos scriptores Protestantici vehementius debacchati sunt, licet alias inviti fateantur sanctissima morum principia iis contineri.[1] Vere dixit *Clausen*, Protestanticus licet vir, alias rationes præter historico criticas Protestantes impulisse ut eos

(1) Vide vindicias Frælich de lib. Mac. auctoritate canonica, p. 105.

(2) "Although the book of Tobit has always been rejected from the sacred canon, *(fallitur vehementer vir eruditus in Carthaginiensi enim et Romano, quarto et quinto sæculo, recensitus est)* it was cited with respect by the early fathers of the Christian Church; the simplicity of its narrative, and the pious and moral lessons it inculcates, have imparted to it an interest which has rendered it one of the most popular of the apocryphal writings." Horne on the Apocrypha, vol. iv. p. 1. ch. viii. De Sapientia dicit: "This book has always been admired for its elegance, and for the admirable moral tendency of its precepts; on which account some of the ancients styled it *Panaretos*, or the treasury of virtue." Non veretur adjicere: "the fathers of the Church, and particularly Jerome, *uniformly* considered it as apocryphal!" De Ecclesiastico dicit: "This book has met with general and deserved esteem in the Western Church." * * "Next to the inspired writings, a collection of purer moral precepts does not exist." Ibidem.

rejicerent.[1] Doderlein etiam fatetur eos odio Catholicorum actos. Augusti Jenis, Wette Heidelbergæ, paucos ante annos, novas librorum istorum istorum versiones ediderunt, iis admodum laudatis.[2] E contra Concilium Tridentinum nihil novi decrevit, ne unum quidem librum canoni adjecit; sed eundem quem, ante duodecim fere sæcula, catalogum ediderat Concilium Carthaginense iterum agnovit et sanxit. Re quidem vera si cæteri omnes libri divini eidem subjacerent scrutinio quod in hos Protestantes instituerunt, nemo foret indubia, auctoritatis, humano sensu arbitrio, uti patet ex Paine, Voltaire, cæterorumque Deistarum scriptis. Horum insistere vestigiis, methodum adhibere pudet.

C. VI. DE SCRIPTURARUM INTERPRETATIONE.

Canone Scripturarum statuto, de earum interpretatione dicendum est. *Unitariani* dicunt eas instar cæterorum librorum explicandas, et quidquid rationi repugnans videatur, vel intelligi plane nequit, ad sensum rationi conguum et clarum reducendum.[3] *Amici* Spiritui aures cordis præbendas, eoque docente scripturas intelligi tradunt. Plerique *Protestantes* mentem a Spiritu Sancto illustrari censent ut Scripturæ intelligantur, quatenus ad salutem opus sit. *Hermeneuticæ* cultores plurimi, subsidiis litterarum nimis confisi, suoque indulgentes ingenio, Scripturas adhibitis linguarum et morum orientalium, et scientiarum adminiculis explicarunt, divina dogmata nihil curantes. Cæterum coluerunt hanc scientiam viri apprime Catholici, qui omni eruditionis copia sacrum textum illustrarunt magno cum Religionis profectu. Quæ igitur de supremo jure Ecclesiæ in Scripturis interpretandis dicturi sumus, Hermeneuticæ intra justos limites non officiunt, sed summum judicium de rebus fidei, quod Ecclesiæ jam vindicavimus, Scripturæ sensum complecti ostendunt, ne explicationum novarum pruritu, ipsa Religionis certissima dogmata in quæstionem vocentur. Id igitur nos inter et Protestantes haud controvertitur, utrum singulis liceat ingenii sui vires in Scripturis scrutandis exercere, adhibitis litterarum et scientiarum subsidiis, id enim in confesso apud omnes est; sed contendimus fidei prin-

(1) "Unter den neueren Protestanten hat es wenigstens Clausen nicht in Abrede gestellt, dass hier wirklich auch andere Rücksichten im spiele waren, als historisch-critische." Möhler. Symbolik l. 1. § xxxv. Kanon.

(2) Vide Biblische Hermeneutik von Gerhauser 1 thiel, p. 174.

(3) "We believe that the revealed truths of the scriptures are in conformity with the principles of right reason. * * * If any are found apparently of this character, *(irrational)* we believe the obscurity arises from an imperfect acqaintance with their meaning, and that further inquiry, and more accurate rules of interpretation, will prove them to be perfectly consistent with the clear positive parts of Scripture, and with our rational convictions." Unit. Misc. v. 1 p. 12.

cipia præ oculis habenda, ut tutò procedatur, et singulorum interpretationes Ecclesiæ supremo judicio subjacere, cujus est fidei depositum custodire illæsum, nec quidquam novi proferendum in rebus fidei vel morum contra unanimem Patrem sensum, qui scilicet doctrinam fidemque Ecclesiæ suis temporibus vigentem testantur. Non desunt inter Protestantes qui Scripturas intelligendas dicunt *juxta fidei analogiam*; tradunt scilicet Gerard[1] et Horne[2] ad certa fidei principia revocanda quæ dubia fuerint vel obscura, sed censent ea dogmata præcipua ex Scripturarum lectione detegi, utpote satis perspicua. Cæterum eos sibi non constare recte animadvertit Georgius Campbell, quia revera ad Scripturarum interpretationem accedunt, his imbuti sententiis.[3]

PROPOSITIO.

Scripturarum interpretatio juxta fidei analogiam, ex Apostolici ministerii doctrina derivatam, necessario facienda est.

Probatur. Vidimus jam Apostolis et eorum successoribus docendi munus a Christo demandatum, promisso sui præsentis auxilio efficaci per omnia sæcula, et Spiritus Sancti lumine, quo in omnem veritatem ducerentur. Ergo quæ tradunt dogmata sigillo divino obsignata habenda sunt, et certissima norma ad quam omnia documenta sunt referenda. Equidem paulo antequam ad Patrem ascenderet, dum munus Apostolis traderet Evangelium prædicandi, "aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas;"[4] et Philippi, ad aliquod sacrorum munerum consortium assumpti, usus est opera, ut Eunucho reginæ Candacis vaticinii Isaiæ sensum, juxta fidei analogiam, aperiret.[5]

Apostolus de variis membris Christi corporis loquens, dicit: "habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina."[6] Prophetiæ nomine intelligi donum explicandi Scripturas plerique conveniunt, quod "secun-

(1) "All the great principles of Religion may be collected from Scripture, while yet many particular texts remain not understood. When thus collected, they form the analogy of faith, and may be applied to the illustration of these texts, *which must be explained in a consistency with them.*" Biblical Criticism, Gerard, n. 591.

(2) Introd. vol. ii. p. 2. ch. iii. § viii. "*The analogy of faith* is an expression borrowed from St. Paul's epistle to the Romans, (xii. 6.) where he exhorts those who prophesy in the church, (that is, those who exercise the office of authoritatively expounding the Scriptures) *to prophesy according to the proportion*, or as the word is in the original, the analogy of faith. To the same effect many commentators interpret St. Peter's maxim (2 Peter i. 20.) that *no prophesy of scripture* is of any private or self interpretation." p. 557.

(3) Diss. iv. p. 114.

(4) Luc. xxiv. 45.

(5) Act. viii. 35.

(6) Rom. xii. 6.

dum rationem fidei" fieri debuit: licet enim lumen supernaturale affulgeret, nihil tamen eo prætextu licuit proferre quod fidei non foret consonum. Hanc interpretandi regulam tradidit alias Paulus, Timotheum laudans quod Scripturas ab infantia nosset: "quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu."[1]

Idem insinuavit Petrus monens fideles in vaticiniis suum sensum non oportere sequi: "hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: ἰδίας ἐπιλύσεως.[2] Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines." Explicationem privatam voces illæ denotant, quam non affigendam sacro textui docet Apostolus, quia non hominum verba, sed Spiritus Sancti dictamina continet. Publica igitur interpretatio, magisterio Apostolico consona, est eloquiis sacris tribuenda. Id iterum sub epistolæ ejusdem finem inculcat, ostendens interitum manere eos qui scripturas ad suos sensus detorquent: "Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes custodite; ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate."[3] Liquet Apostolum ex Judaismo conversos præcipue respicere qui discrimini perversæ interpretationis objiciebantur. Vult igitur ut firmitatem propriam retineant, eam scilicet quam ex fide concepta, Apostolis prædicantibus, habent; adeo ut Scripturæ legantur, sanctissimis fidei principiis semper prælucentibus.

Probatur II. Ex totius antiquitatis sensu. Tutissima ac verissima Scripturarum interpretatio ea semper habita est quæ juxta fidem a præsulibus Ecclesiæ traditam, communi veluti consensu per orbem, fiebat. Irenæus: "Paulus docens ait: 'posuit Deus primo in Ecclesia Apostolis secundo Prophetas, tertio doctores.' Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum, et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam quæ est in unum Deum qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt: et eam quæ est in Filium Dei dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones propter nos fecit: et Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque

(1) II Tim. iii. 15.

(2) II Pet. i. 20. Valde anguntur interpretes Protestantici vocibus illis. Macknight eas reddit "of private invention," ut insinuet sacros scriptores designari, qui non sibi finxerunt quæ scripserunt: sed "explicationem privatam" voces indicant: fatetur ipse se eam significationem nullo exemplo tueri posse; "that the Greek word which I have translated *invention* hath that signification in another Greek book, I will not take upon me to affirm." *In locum.*

(3) Ibid. iii. 15.

Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque prophetas contemnentes."[1]

Tertullianus, cujus verba jam recitavimus, Scripturarum examen ad doctrinam certo definiendam haud sufficere agnoscit, ideoque solum inquirendum vult: "Quibus competat fides ipsa: cujus sint Scripturæ: A quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani: ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum Christianarum."[2] Fidei regulam, seu analogiam in interpretandis Scripturis ab eo, et ab Origene quem etiam laudavimus ibidem, agnitam esse constat.

Vincentius Lirinensis hæreses vitandas docet, fidemque muniendam, primum "divinæ legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione. Hic forsan requirat aliquis: Cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia scilicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus; aliter Jovinianus, Pelagius, Cælestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos varii erroris amfractus, ut Propheticæ et Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur."[3]

Equidem si fidei analogia, seu dogmata credenda, non innotescant certo ante lectas Scripturas, infidelitas, saltem negativa, lectionem præcedit: caret enim fide lector donec ea dogmata sua industria detegerit. Insuper quum viri ingenio et doctrina præstantes, pietatis etiam studium præseferentes, in Scripturis interpretandis, de præcipuis dogmatibus vehementer discordent, vix nisi post diuturnas meditationes potest quis sibi suadere se certo nosse ea dogmata Scripturis contineri: imo dubio semper angi debet ob contrarias aliorum sententias. Ergo humana tantum persuasio ei esse potest, haud absque aliqua errandi formidine. Protestantico igitur homini analogia fidei incerta est, qui idcirco cum magno erroris periculo Scripturas juxta eam, quam sibi ita finxit, exponit.

Obj. 1. Fidei analogia ex Præsulum doctrina derivata præjudicium dicenda est, consueverunt scilicet Præsules scripturas interpretari arbitrio plane suo, vel decessorum suorum commentationibus adhærentes. Obtinuit autem per plurima sæcula mysticum interpretandi genus, quo genuino relicto sensu, somnia vana omni carentia similitudine venditabantur. In

(1) L. IV. adv. hær. c. xlv.
(2) Lib. de præscr. cit. p. 335.
(3) Common. c. i. 2.

sæculis tenebrarum ignorarunt plerique linguas primarias, gentis Judæorum consuetudines et phrases, ex quibus vis testimoniorum et sensus maxime pendent, historiam, cæteraque fere omnia, quæ ad *Hermeneuticam* omnino requiruntur.

Resp. Judicium Ecclesiæ de sensu Scripturæ plerumque respicit pauca quædam testimonia quæ cum dogmatibus certis adeo connectuntur, ut non possint ullatenus divelli: sæpius ipsa dogmata, quin de singulis textibus aliquid decernatur. Publica autem dogmata Ecclesiæ semper et ubique celebrata, prædicatione, symbolis fidei, cultu, nullam patiuntur ambiguitatem, et divina fulciuntur promissione. Jure optimo hæc in regulam sumuntur, nam omni monumentorum genere, et usu et consensione orbis Christiani cælestis eorum origo innotescit. Non igitur Præsules arbitrio indulgent suo, nec tamen decessorum placita de singulis amplectuntur, sed dogmatibus in tuto positis, de plerorumque locorum sensu libere judicant, omni adhibito litterarum subsidio, et divino implorato lumine. Fatemur mysticis interpretationibus sanctos viros aliquando liberius usos, quod semper non prodit obviæ significationis ignorantiam, quæ plerumque omnibus patebat, sed ædificationis studium, et Apostolorum imitationem, quibus magistris omnia in figura contigisse Israelitis didicerant. Retinebatur interim verus et genuinus scripturarum sensus, dogmatibus fidei et morum principiis ubique celebratis, quæ non desierunt per sæcula sequiora obtinere, litterarum studiis non adeo florentibus. Simplicissima hac et tutissima via fides divinitus revelata ab Apostolis ad præsules, serie haud interrupta, transmissa est, et quæ Scripturarum summa est ab hominum temeritate servata. Studiis jam adeo excultis profecerunt viri eruditi in vocum sententiarumque vi dignoscenda, sed fidei luce plerosque non illustrante cæcutierunt ipsi, sanctissima fidei mysteria temere repudiantes, voculis potius ambiguis, quam publico testimonio totius Ecclesiæ per sæcula omnia a Christo niti eligentes.

Obj. 2. Ecclesiæ in interpretandis Scripturis supremo jure agnito, dogmatibusque quæ tradit in normam interpretationis exceptis, frustra quis ei dat operam, omnia enim ex præjudicata sententia intelligit.

Resp. Fides quæ ex auditu concipitur omnino necessaria est, Apostolo docente, ut Scripturæ nos instruant ad salutem, inservitque ut certis positis principiis dubii non hæreamus. Quod si quis eam præjudiciis velit accensere, contumelia haud movebimur ut cum tanti doni detrimento, nulla regula adhibita, sacros libros perlegamus, dogmata arbitrio nostro post diuturnum studium confecturi. Ipsi critici Protestantes, uti vidimus, fidei analogiam docent adhibendam in interpretationis regulam, singulaque eo, revocanda. Cur autem præjudicium censenda non sit analogia illa quam quis sibi statuit, juxta quam omnia interpretatur, plane non videmus.

Obj. 3. Ecclesia, de plerisque textibus non consuevit proferre judicium: quapropter ejus auctoritas frustra statuitur, tamquam scripturarum interpres.

Resp. Ecclesia dogmata revelata definiendo limites interpretandi libidini

ponit, normamque interpretationis certissimam statuit, ad quam omnia referenda sunt testimonia, adeo ut nihil ex eis contra dogmata certa fidei possit derivari. Sic docet Christum Deum esse et hominem, quo veluti principio posito, quæcumque de eo dicuntur ita sunt intelligenda ut divina illa veritas, fide totius orbis Christiani semper celebrata, frustra repugnantibus Arianis, Socinianisque, sarta tecta servetur. Hac veluti face homo fidelis difficilia illa loca scrutatur, nihil de dogmate dubius, cæteris hærentibus, vel haud sine errandi quadam formidine quædam sibi veluti in scripturis tradita suadentibus.

Obj. 4. Ipse revelationis finis, nempe ut veritatis notitia illustretur mens, probat Scripturarum interpretationem ab Ecclesiæ judicio non pendere: nam clara sit necesse est.

Resp. Revelatio Christiana facta est ore Christi Domini, et Apostolorum prædicatione, qui utique verbis perspicuis quid credendum sit manifestaverunt, licet mysteria hominum superent captum. Illustratur adhuc mens prædicationi Apostolici ministerii credendo, qua ratione ad felicem scripturarum interpretationem præparatur.

Obj. 5. Ideo Ecclesiæ judicium appellatur, quia arcana quædam Scripturis contineri censentur: nihil autem hujusmodi in iis occurrit, sed tota nascitur difficultas ex linguarum, phrasium, morumque veterum ignorantia. Igitur omnia ad rationis trutinam revocanda sunt, et illud certissimum principium ponendum, ea quæ ambagibus involuta videntur, esse ad sensum reducenda rationi consonum.

Resp. Utique arcana continentur Scripturis, Dei enim natura, consilia, opera longe superant humanam cogitationem. Ex mysteriorum igitur altitudine, non minus ac ex aliis capitibus, nascitur interpretationis difficultas. Pessimum est illud principium quod statuunt Unitariani et Rationalistæ, quo scilicet ratio sensusque humanus norma fit ad quam divina veritas sit componenda. Gratis et falso supponunt Deum non posse exigere humani intellectus assensum rei cujus natura nobis non sit explorata, et idcirco revelationem debere ita proponi, ut veritas ipsa pateat. Eodem principio Deistæ revelationem Christianam jamdiu irrito conato impugnarunt, quo hi revelationis præclari vindices! eam tuentur.

Obj. 6. Scripturæ satis intelliguntur, adhibitis criticæ genuinis principiis.[1]

Resp. Ipsi critici laborant in principiis illis statuendis et applicandis, et sententiis inter se collidunt de fidei summa, nempe de Christo Deo. Constat in Germania, ubi Biblica studia maxime floruerunt, juxta critices et Hermeneuticæ principia, omnia revelationis dogmata a criticis magni nominis explosa.[2] Igitur extra Criticam exquirendæ sunt regulæ quibus

(1) Gerard, Institutes of Biblical criticism, Introd. 3.

(2) "Assuming to themselves the appellation of *Evangelical Divines*, the teachers of this school assert, that there is no such thing as a divine revelation in the sense attached to this word by christians; and that the miracles recorded in the Scriptures are merely natural occurrences, exaggerated or embellished by those who related them." Horne, Introd. p. 2. ch. i. p. 490. 1. Vide etiam Travels of an Irish Gentleman, ch. xlv.

in Scripturarum lectione dirigamur, ut præcipua fidei dogmata salva sint. *Analogia fidei*, quam vocant, statuenda est, ante lectas Scripturas, et Criticæ principia adhibenda sunt, ea in tuto posita.

Analogia fidei, de qua disceptavimus, omnia Ecclesiæ dogmata complectitur, non autem omnes interpretationes quibus favere videatur. Quandocumque Ecclesia solemni judicio aliquam interpretationem textus cujusdam damnat, ea respuenda est, utpote traditioni de genuino ejus sensu adversa. Sic qui Christi verba de regeneratione ex aqua et Spiritu Sancto ad figuram detorquent a Concilio Tridentino damnati sunt, sicut etiam qui pari ratione verba institutionis Eucharistiæ figurate explicant. Cæterum in definiendis dogmatibus, plerumque non definit Ecclesia testimoniorum quibus fulciuntur sensum, ideoque licet, saltem absque hæreseos nota, ea alias explicare, dogmate ipso admisso, hoc enim ex constanti fide Ecclesiæ indubium est, licet quorumdam textuum incertus esse possit sensus. Sic Purgatorium qui fatetur, Ecclesiæ nixus auctoritate, potest, salva fide, Apostoli locum de salvando per ignem alias explicare, quamvis Theologi nonnulli eo utantur ad illud probandum. Ipsa quæ Ecclesia adhibet testimonia in dogmatibus vindicandis et illustrandis, non sunt necessariò ita explicanda, nam auxilium divinitus promissum doctrinam ipsam, non autem argumenta quibus commendatur, respicit. Quamvis igitur Concilium Tridentinum verba ex sexto capite Joannis de Eucharistia passim usurpet, ad fidem non pertinet ea de hoc Sacramento intelligenda. Multo minus ad fidei analogiam referenda sunt, quæ *accommodando*, uti dicunt, Ecclesia applicat mysterio alicui, vel sancto. Plura ex libris Sapientialibus desumpsit quæ in festis B. Mariæ Virginis leguntur, quæ tamen primario sensu Sapientiam divinam spectant. Consueverunt scilicet sancti Patres verba Scripturæ passim usurpare ad pietatem commendandam, utpote mira dulcedine et vi prædita, et omnibus animi affectibus sanctis enuntiandis idonea, quin de speciali eorum significatione apud sacros Scriptores laborarent: nec enim criticos agebant. Hunc morem adhibuit Ecclesia, ut singulares Virginis SSmæ celebraret dotes divinis eloquiis, vel alias insinuaret pietatis affectus.

Analogia igitur fidei non exigit ut singulorum testimoniorum exquiramus interpretationes Ecclesiasticis dogmatibus suffragantes, sed ut nihil inde excudamus quod his repugnet.

Jam vero aliquas dabimus regulas, quas ex sanctis Patribus præsertim derivavimus, quibus quis in Scripturis interpretandis dirigatur.

I. Sensus litteralis et obvius Scripturarum exquirendus in primis est, præsertim in rebus gestis.

Regula hæc nulla indiget probatione, seu explicatione, quum narrationes omnes et scripta obvio accipienda sint sensu, nisi ex adjunctis pateat aliam esse scriptoris mentem.

II. Ut sensus litteralis determinetur, contextus præcipue est attendendus; et habenda est ratio adjunctorum, scilicet cujus sunt verba, ad quos

directa, quibusnam in circumstantiis: et quem præcipue habent scopum, eaque tribuenda est vocibus significatio quam verosimiliter iis tribuissent, omnibus rite perpensis, ii ad quos directæ sunt.

Secunda hæc interpretandi regula eadem ratione nititur; quia scilicet verborum finis est ut pandant aliis mentis conceptus, quæ proinde debent ita proferri ut audientes vel legentes eos facile valeant colligere.

III. Collatio facienda est omnium testimoniorum quæ ad eandem rem referuntur, eaque ineunda est concordiæ ratio quæ simplicior videtur, et ex textibus magis perspicuis, et frequentioribus desumpta. Hæc interpretationis regula satis se commendat: falluntur autem vehementer qui rem putant nullius esse laboris, cuique homini litterarum etsi rudi facilem, uti Horne post Horsley asserit, jactans, quam dicto tantum probat, Protestanticum de Scripturarum sufficientia principium.[1]

IV. Conferendæ sunt etiam phrases, vocesque, præsertim quæ ab eodem Scriptore usurpantur, eaque vis iis est tribuenda quam plerumque habent, nisi constet ex contextu aliam esse significationem. Etymologia verborum usui, et significationi receptæ non debet prævalere.[2]

V. Præter *parallelismos* rerum et vocum, de quibus mox diximus, illa partium consonantia quæ in poesi Hebræorum, vel scriptis quæ poesim imitantur, plerumque servatur, qua scilicet vel eadem sententia variatis vocibus iterum profertur, vel antithesis inducitur, inservit ad sensum illustrandum.

VI. Ad difficultates enodandas quæ occurrere possint sacros libros legentibus, maxime juvat linguarum in quibus conscripti sunt notitia: eaque præferenda est explicatio quæ iis est congrua. "Namque," ait Augustinus, "aut ignotum verbum facit hærere lectorem, aut ignota locutio. Quæ si ex alienis linguis veniunt, aut quærenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut eædem linguæ, si et otium est et ingenium, ediscendæ, aut plurium interpretum consulenda collatio est."[3] Linguarum etiam affinium adminicula utiliter adhibentur: quapropter Chaldaica et Syriaca maxime juvant, et Arabica, quamvis longius ab Hebraica distans, plurimum inservit: nec tamen eadem vis vocibus Hebraicis statim tribuenda, ob solam vocabulorum similitudinem, quum constet voces derivatas sæpius a primaria significatione recedere, præsertim post sæculorum lapsum, et apud populos qui nulla societate, cum iis apud quos primum usurpabantur, conjunguntur. Id de Arabicis vocibus præsertim dicendum est.

VII. In narrationibus, vel documentis fidei vel morum, nulla admittenda est allegoria, vel figura quævis, præter eas quæ manifesto se produnt, vel ex recepto usu loquendi, Israeliticæ præsertim gentis, colliguntur.

Hanc regulam necessariam esse quisque intelligit; secus nihil certi ex sacris libris addisci poterit, et mens in labyrintho quodam errabit. Quam

(1) On the Analogy of Scripture, Introd. Vol. II. p. 2. ch. iii. § ii. p. 518. Note.
(2) Vide Horne Ib. ch. ii. p. 504. Campbell Diss. IV. p. 118.
(3) De Doctr. Christ. l. II. c. 14.

vis igitur consueverint Orientales allegoriis, aliisque figuris uti, ex adjunctis tamen eas colligere semper facili negotio quis poterit.

VIII. In iis quæ obiter notant sacri Scriptores, quæque ad physicam, astronomiam, aliasve scientias humanas referuntur, non facile deserendus est sensus obvius verborum :[1] nec tamen adeo ei inhærendum ut veluti fidei dogma tradatur: fieri quippe potest ut Spiritus Sanctus eis communem loquendi morem sequi permiserit in rebus hujusmodi, ad salutem haud spectantibus. "Plerumque enim accidit," inquit Augustinus, "ut aliquid de terra, de cælo, de cæteris mundi hujus elementis, de motu, et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunæ, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque hujusmodi cæteris, etiam non Christianus ita noverit, ut certissima ratione, vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum Christianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut (quemadmodum dicitur) toto cælo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cum enim quemquam de numero Christianorum in ea re quam optime norunt errare deprehenderint, et vanam sententiam suam de nostris libris asserere; quo pacto illis libris credituri sunt, de resurrectione mortuorum et spe vitæ æternæ, regnoque cælorum, quando de his rebus, quas jam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos?"[2] Ut igitur media quadam semita tutissime incedatur, quæ in Scripturis reperiuntur ad scientias naturales relata, obvio sensu videntur accipienda, donec certis rerum documentis contrarium evincatur: quæ autem scientiarum cultores tradunt, non sunt facile damnanda, juxta illud Augustini: "tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur."[3] De omnibus quæ dubitationem patiuntur, sapientissime monet Sanctus Doctor: "Et in rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullum eorum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit corruamus: non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus."[4]

IX. In vaticiniis sensus etiam obvius exquirendus est, si de objecto im-

(1) Vide opus "Moyse et les Géologues par M. Victor De Bonald," et "Il buon uso della Logica," Opusculo 70. Metafisica, dal Muzzarelli, t. II.

(2) Aug. de Genesi ad litteram l. I. c. xix. § xxxixi.

(3) Ib. c. xix. § xxxviii.

(4) Ib. c. xix. § xxxvii.

mediato constet: quæ autem sublimiora sunt quam ut ei conveniant, ad Christum plerumque referenda sunt.

Quum ex perpetua Judaicæ gentis traditione, a Christo ipso et Apostolis confirmata, et ex perspicuis Veteris Testamenti locis, constet Messiam fuisse ab antiquissimis temporibus promissum, et prophetarum ore ejus elogia celebrata, non immerito eum quærimus iis in locis in quibus dicta vix alias sensum plenum habere possint. Sic quæ de Salomone Ps. 71 prædicantur, sublimiorem terrestri rege respiciunt. Duplex igitur aliquando vaticiniorum sensus est, alter quippe ad immediatum objectum, alter ad remotum refertur; sed probationis vis pendet ex relationis perspicuitate. * * Quæ dogmata divina respiciunt, simpliciter accipienda sunt, nec licet ea ad rationis normam investigare, quum Dei natura, opera, consilia, humanum intellectum longe superent.[1] Hac ex parte maxime peccarunt recentiores interpretes, Rationalistæ et Unitariani abutentes Hermeneutica, quæ quum Dei eloquia explicanda aggrediatur, divinam auctoritatem spectatam præ omnibus habere debet. Ab obvio igitur verborum sensu, quibus dogmata divinitus proposita sunt, non licet recedere, nisi clariora suppetant Scripturarum testimonia, quibus illustrentur, vel manifesta repugnet ratio, Ecclesiæ fide et judicio comprobata. Mirum videri debet Hornium aliosque revelationis vindices principium propugnare, quo totus virus *Rationalismi* continetur, si enim, uti docent, prius consulenda sit ratio antequam de textus sensu decernatur, facile omnia rejicientur dogmata quæ videbuntur rationi adversa. Verum quidem est revelatam doctrinam non posse rationi repugnare; sed ob ejus altitudinem potest videri adversa, et si singulorum rationi judicium permittatur, vix aliquid obtinebit assensum. Necessario igitur apponendus est limes rationis arbitrio, nihilque ad alienum sensum detorquendum ob apparentem cum ratione pugnam, nisi ex fide Ecclesiæ pateat verba prout sonant non esse accipienda.

XI. Consuetudo Universalis Ecclesiæ ab antiquissimis temporibus est tutissima interpretationis regula: quum enim quæ Scripturis tradebantur in usum deducerentur, fundamenta scilicet erant fidei et officiorum pietatis, ex publica et generali consuetudine solemniter sancita quid faciendum injungebatur, optime deducitur. Hic præsertim obtinet illud Juris principium: *Consuetudo est optima legum interpres.* Hinc novimus mandatum de lavandis pedibus non esse ad litteram accipiendum: e contra Unctionem ægrotantium esse perpetuò servandam.[2]

(1) Bretschneider, non tantum interpretationem scripturarum, sed ea quæ continet, scientiæ humanæ subjicit indagini. "Der Simonismus und das Christenthum, oder beurtheilende Darstellung der simonistichen Religion, ihres verhaeltniss zur Christlichen Kirche, und der lage des Christenthums in unserer zeit." Cit. a J. A. Moehler in Insigni Opere, Symbolica, c. 5, § 36.

(2) De hac mire sibi illudit Gerard, cum Hornio (t. ii. p. 2, ch. iii. § 8) hanc interpretandi regulam suo arbitrio confingens: "No doctrine can belong to the analogy of faith, which is founded on a single text; for every essential principle of religion is

Præter sensum litteralem *mysticus* etiam agnoscitur, scilicet qui a Spiritu Sancto designatus est, præter obviam verborum vel rerum significationem. Judæis persuasum semper fuit omnia viam veluti struere Messiæ adventui, quapropter consueverunt in scrutandis arcanis, quæ sub cortice veluti latebant, sedulam ponere operam. Eam interpretandi rationem adhibuit profectò Apostolus, ea quæ de duobus filiis Abrahæ dicta sunt, duorum populorum, Judaici scilicet et Christiani, fata, allegorice, exhibere docens: "Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera, quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei qui nunc est, Jerusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est: quæ est mater nostra."[1] Eadem ratione de Israelitis dicit: "omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali consequente eos petra,) petra autem erat Christus."[2] Plurimis rebus gestis relatis subjungit: "Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt."[3] Hoc nixi fundamento consueverunt Patres Ecclesiæ ad Christum et Ecclesiam mystico hoc sensu referre pleraque quæ veteri Testamento continentur: "finis enim legis Christus,"[4] quo aperiente sensum ut intelligerent Scripturas, quæ in lege, prophetis et Psalmis de eo dicta sunt didicerunt discipuli. Hinc Augustinus ait: "Quis potest * * * omnia quæ in illis veteribus legis et prophetarum libris figurate Christum annuntiant, quantalibet brevitate perstringere? Nisi forte quis putat ingenio fieri, ut ea quæ rerum ordine per sua tempora cucurrerunt, ad Christi significationes interpretando vertantur. Hoc forte Judæi possunt dicere, sive Pagani: eis autem qui se Christianos putari volunt, premit cervicem Apostolica auctoritas, dicens: 'Omnia hæc in figura contingebant illis:' et 'hæc omnia figuræ nostræ fuerunt."[5] Equidem qui fata Joseph cum Servatoris nostri ærumnis et gloria contulerit, pulcherrimam imaginem præcessisse haud ægre fatebitur. Toto igitur cælo errant qui hanc interpretandi ratio-

delivered in more than one place: * * * Extreme unction is founded only on Jam. v. 14, 15, perverted from a temporary direction, to a perpetual institution." Biblical Criticism, n. 503. Debuit dicere quoties oportet sacrum scriptorem rem tradere ut ei credatur, vel obtemperetur, et quæ temporis limitis indicia in illo Jacobæo mandato reperiantur. Melius Stuart "urged that we are to believe a doctrine as much, provided only one text remains to support it, as if we could see it running through the whole Gospel." Unitarian Miscellany, Vol. III. p. 225.

(1) Gal. 4. 22.

(2) 1 Cor. 10. 4.

(3) Ibid. v. 11.

(4) Rom. 10. 4.

(5) Aug. contra Faustum l. 12. c. 37.

nem Alexandriæ e schola Platonis primum inductam putant.[1] Mysticus ille sensus ad fidelium ædificationem laudabiliter a Patribus adhibitus, argumentum non suppeditat, sed rebus illustrandis inservit: "Quis non impudentissime nitatur," inquit Augustinus "aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?"[2] Quod plerique eum præ litterali adhibuerint, contigit ex eo quod ille obvius omnibus haberetur, hic interpretis ingenium et diligentiam postularet. Cæterum Chrysostomus, Theodoretus, aliique verborum sensum optime exposuerunt. Consueverunt etiam Patres, uti supra diximus, verba Scripturæ *accommodare* iis de quibus concionando agere contigerit rebus, pio quodam studio sua sensa verbis sacris exponendi. Id S. Bernardus felicissime consecutus est, qua ratione sua scripta dulcissima ac animis movendis maxime idonea effecit. Inde concludi nequit Scripturas eo quo adhibentur sensu fuisse a Sancto Spiritu dictatas. Modus autem huic Scripturarum usui imponendus est, ut ad profanum aliquid nunquam convertantur, nec temere in familiaribus colloquiis usurpentur.[3]

Affirmarunt recentiores quidam ipsos sacros Scriptores testimonia ex Veteri Testamento desumpta, sensu illo *accommodatitio* usurpasse, adeo ut certò concludi non possit ea illum revera præseferre sensum, etsi dicantur ea occasione impleta. Hengstenberg plura ea fere formula laudata putat ἵνα πληρωθῇ, quin vera testimonii significatio tradatur, exemplumque affert verborum Oseæ: "Ex Ægypto vocavi filium meum;"[4] quæ de Israelitici populi liberatione dicta, in Christi ex Ægypto reditu impleta a Matthæo referuntur.[5] Contendit tamen alia laudari a Novi Testamenti scriptoribus ipso quo olim exarata sunt sensu: v. g. de virginis partu vaticinium, cui præmisit Evangelista nativitatis Jesu e Maria, Spiritus Sancti opera, narrationem, his adjectis verbis: τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπο τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου.[6] *Wiseman*, allatis exemplis ex S. Ephrem scriptis, ostendit impletum dici aliquando quod nullatenus ad eventum referatur; quod ideo notat doctissimus vir, ut negantibus ea de causa Evangeliorum auctoritatem eripiat telum, cautus alioquin ne principium agnoscere videatur.[7] Cardinalis de la Luzerne censet ea testimonia quæ ad probandum aliquid a Christo vel sacris scriptoribus afferuntur, necessario exigere sensum ab iis tributum: sed aliqua concionando accommodata, quin eorum significatio divinitus declarata sit.[8]

(1) Horne fuse probat mysticum sensum, salva Christi et Apostolorum auctoritate, rejici non posse. Vol. II. p. II. ch. i. p. 496.

(2) Ep. 48.

(3) Vide Dec. Trid. Sess. 4. de edit. et usu. sacr. lib.

(4) Oseæ. xi. 1.

(5) Matt. 2. 15.

(6) Hengstenberg, Christology, p. 328.

(7) Wiseman, Lecture x. On the Connexion beween Science and Revealed Religion.

(8) Dissertation sur les Propheties, ch. 2, p. 42.

Nos tutissimum ducimus sensum a sacris scriptoribus tributum, mystice et allegorice saltem, a Sancto Spiritu designatum habere, ut typus præcederet et imago rerum veritati. Sic non absque causa filius Dei dictus est populus ex Ægypto redux, quum inde verus Dei Filius rediturus foret.

Hæc summatim retulimus, nec enim Hermeneuticæ tractatum scribere in animo est.

C. VII. DE TEXTUS SCRIPTURÆ INTEGRITATE.

Substantialem sacrorum librorum utriusque Testamenti integritatem in tractatu *de Revelatione divina* vindicavimus, ut rerum gestarum certitudine statuta, argumenta inde desumere liceret. Id autem inquirendum jam occurrit, utrum libri hi omnino integri sint, adeo ut non tantum historia, sed textus totus idem servetur, qualis a sacris scriptoribus prodiit. Constat ex laboribus Kennicott et de Rossi, Mill, et Griesbach in levioribus rebus magnam reperiri in codicibus varietatem. Conjiciunt plures libris nonnullis, præsertim Pentateucho, aliqua adjecta, ad vetustum textum illustrandum, nominibus scilicet locorum vetustis nova suffecta, vel adnotatione ad marginem apposita, et in textum deinceps inducta: quod si admittatur, integritati textus non officiet, leves quippe sunt mutationes hujusmodi, si quæ revera sint. Quæstio autem oritur utrum textus alioquin sit integer, adeo ut nihil magni momenti vel adjectum vel sublatum sit, seu casu, seu fraude. Fuerunt inter Patres, uti jam indicavimus, qui Judæos vitiati textus incusarent, sed plerisque recentioribus mendas, quæ in Hebraicis codicibus reperiuntur, casu potius quam consilio irrepsisse visum est, quamvis non desint, etiam inter Rationalistas, qui eos fraudis uno vel altero loco arguant.

Integrum habendum esse textum Hebraicum Veteris Testamenti nobis plurima persuadent: ejus quippe integritas eodem nobis commendatur testimonio quo ejus authentia; gens enim Judaica testatur libros illos summa solicitudine a majoribus suis servatos, utpote qui divini merito habebantur. Celebre est Josephi testimonium: "Quantum fidei et auctoritatis nostræ Scripturæ libris tribuamus re ipsa satis perspicuum est. Nam tanto et tam diuturno ævi curriculo decurso, nemo illis vel addere, vel adimere, vel quidquam denique in eisdem immutare ausus est. Immo quod rata Dei præcepta decretaque sunt pro certo existimare, iisque adhærescere, et pro illis, si opus sit, vitam libenter profundere, non dubitare, omnium Judæorum animis, statim ab ineunte ætate quasi insitum et innatum est."[1] Accedit quod ex ipsa Hebræorum in varias regiones abductione occasio multiplicandi codices sit orta, ex quorum collatione textus vera lectio, si qua forte

(1) l. I. contra Appion.

occurreret discrepantia, potuit statui: 740 annis ante Christum tribus ex Galilæa et Galaad abductæ sunt in Assyriam; 732 annis aliæ Israelitici regni tribus, ad flumen Chabor in terra Gosen, et in Mediæ civitates; 606 annis Daniel aliique ex Judæ regno Babylonem; 595 annis Ezechiel, et 10,000 cives spectatissimi ex eodem regno in Mesopotamiam, juxta flumen Kabor; annis 588 et 584 reliqui Judaici regni incolæ Babylonem, et eodem anno 588 plurimi se in Ægyptum contulerunt; alii etiam in Arabiam felicem[1] secum procul dubio attulerunt libros sacros exilii sui solamen; quos nullam alicujus momenti discrepantiam exhibuisse, inde liquet quod textus idem ab omnibus Judæis posterioribus magno consensu agnitus sit.

Accedit quod consueverint libri *legis*, Pentateuchus scilicet, intra septennium quodlibet in cætu legi, iisque studuerint Levitæ præsertim, cæteri etiam Israelitæ. Qui post Josue tempora surrexerunt judices populi, zelo legis flagrabant, vatesque serie non interrupta per sæcula plurima nihil non fecerunt, ut rerum divinarum notitia integra perseveraret. Post Babylonicam captivitatem minus claruit vatum series, sed fuerunt procul dubio homines divinitus afflati, præter magnam Judæorum multitudinem qui mortem pro lege librisque sacris tuendis lucro duxerunt. Verosimile non est textum ullo tempore vitiari consulto posse, tot ejus integritati invigilantibus.

Præterea menda nulla gravioris momenti in libris Veteris Testamenti probari potest: æquum autem est librum quemque integrum habere, nisi indicia vitii alicujus inducti præbeantur.

Hoc eo magis de libris sacris valet, quod in locis præcipuis, quibus Christiana Religio probatur, mutatio, si qua facta fuisset, verosimiliter detegeretur: in quibus tamen nulla apparet, quæ enim a nonnullis objecta est Scriptoribus, casui, potius quam consilio est tribuenda. Sic in Psalmo xviii, (apud Hebræos xix) קָוָם pro קַלָּם facili errore scriptum est, et in Psalmo xxi. (apud Hebræos xxii.) כָּאֲרִי pro כָּרוּ. Si quis autem contenderit hunc locum consulto mutatum, ut insignis de confodiendis manibus et pedibus Christi prophetia obscuraretur, non ideo totius textus omnium librorum Veteris Testamenti periclitabitur integritas.

Cæterum hodiernum textum Hebraicum, qui in editis libris habetur, non omnino integrum esse, agnoscunt jam eruditi.[2] Quamvis enim substantia textus servata sit, plures irrepserunt amanuensium incuria, vel casu quodam, mendæ, quas ut quis tollat antiquissimos optimæ notæ codices consulere oportet, et Samaritanum Pentateuchum, sicut et Versiones antiquas, Septuaginta et Vulgatam præsertim, quæ utpote factæ ex exemplaribus

(1) Einleitung in die Göttlichen Bücher des Alten Bundes von Johann Jahn, I theil § xii. n. 4. p. 57.

(2) "There are readings in the text——which are evidently wrong." Gerard sect. iv.

vetustate longe superantibus codices qui extant, melioris notæ codices repræsentant.[1] Vehementer errarunt Reformationis auctores, qui textum quem in Bibliis Hebraicis repererunt, integrum, et omni numero absolutum putantes, versiones omnes ad ejus normam componendas et corrigendas clamitabant.

De Novo Testamento fatendum plurimas reperiri in Codicibus varietates, quæ tamen plerumque sensum non admodum afficiunt. Ex styli simplicitate, in qua Hebraismi sæpissime occurrunt, desiderata Græcæ linguæ puritate et elegantia, contigit ut nonnemo vellet quæ durius sonabant suavius enuntiare: quod aliquando levi verborum mutatione licuit. Fuerunt etiam qui in margine apponerent illustrationis causa quædam ex alio Scriptore sacro desumpta, quæ deinceps errore Amanuensis in textum irrepserunt. Recensiones Evangeliorum quæ tertio sæculo ab Hesychio, Luciano, Origene prodierunt, varietatibus præbuerunt nonnullam occasionem; sicut et alia scripta quæ concordiam Evangeliorum ut monstrarent, plura ex singulis desumpta conjuncta exhibuerunt. Nonnulla textui adjecta, occasione lectionum in Ecclesia, constat, verba quippe quæ introductionis causa præmissa sunt, vel terminationis instar in publica lectione adjecta, nonnumquam cum textu confundebantur.[2] Licet igitur hodiernum textum Græcum non omni carere menda exploratum sit, et Criticorum opera in eo corrigendo utiliter ponatur,[3] caute tamen, et servata Ecclesiæ reverentia, liquet ex varietatibus paucas esse quæ doctrinæ summam respiciant,"[4] et mendam gravem, si qua occurrerit, ex aliis testimoniis Scripturæ, vel ex antiquis versionibus ad normam exemplarium accuratiorum factis, facile satis corrigi. Equidem ex criticorum laboribus is jam derivatus est fructus, ut capitis ultimi Marci versiculi undecim, et sanguinei sudoris apud Lucam relatio extra omnem dubitationis aleam posita sint, collatis codicibus.[5]

C. VIII. DE VERSIONIBUS ANTIQUIS.

Omnium versionum Veteris Testamenti celeberrima et antiquissima merito habetur quæ *Septuaginta interpretum* obtinuit nomen, ex eo quod

(1) "To allow this authority (*to establish a reading different from that which is commonly received*) to versions, is not to prefer a copy to the original; it is only to collect from them, what was the reading in the MSS. of the original from which they were taken; and because these were more ancient and more correct than any which we now have, to prefer that reading to what is found in later and less correct transcripts." Gerard, § ix. n. 328.

(2) Vide Hug, Einleitung in die Schriften des N. Testaments Erster Theil, Viertes Hauptstuck. p. 140. edit. 1826.

(3) Consule Hug, et Griesbach.

(4) Vide aliquas in Unitarian Miscellany, l. III. p. 221.

(5) Vide Wiseman lecture 10th. on Science and Religion.

a septuaginta duobus Judæis Alexandriam arcessitis facta crederetur. Fuit olim apud plerosque recepta narratio Aristæi nomine vulgata, qua Ptolomæus Philadelphus a Judæorum Pontifice hos impetrasse referebatur,[1] qui collatis consiliis egregiam interpretationem confecisse dicebantur, aliis eam divinitus factam prædicantibus, concordia mira omnium, in cellis seorsim positorum. Jam vero exploratum videtur quod Hieronymus subodoratus est, rem fuisse ficto ornatu auctam: "nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit."[2] Attamen certissimum est Græcam versionem Scripturarum, cæptam Ptolomæo Lagi filio regnante, 298 annis ante Christum, eamque haud diu postea perfectam inde infertur, quod nullum in ea ætatis recentioris indicium occurrat.[3] Judæorum seniores eam aggressos esse, ut genti Hebraice jam non loquenti consulerent, non est inverosimile: sed quum a Josepho, aliisque, partes in ea jubenda adsignentur principi, fieri potuit ut et ipse eam jusserit fieri: unde orta occasio fabulosa quædam, ad ornatum et jucunditatem, adjiciendi, quibus interpretatio commendaretur.

Plerique censent *Pentateuchum*, seu legem, a primis illis interpretibus redditum, cæteros libros deinceps ab aliis, nam exhibent diversorum auctorum vestigia, voces quippe singulorum propriæ, stylusque eos distinguunt. Eos autem omnes vel Alexandriæ, vel in Ægypto versatos, ex vocibus Ægyptiacis immixtis infertur. Ex Hebraicis autem codicibus, non autem ex Samaritanis, versionem factam plerique eruditiores censent, Philone testante eam ex Chaldaico textu factam, qua ratione vocari consuevit id temporis Hebraicus, ex quo Hebræi Babylone degerant. Quod igitur sæpius accedat Septuaginta versio ad Samaritanum Pentateuchum, ex codicis Hebraici antiquioris cum Samaritano concordia majori contigisse censetur.

Pentateuchi interpretes majori præstant laude: "quos *(libros)* nos quoque," inquit Hieronymus, "plusquam cæteros profitemur consonare cum Hebraicis."[4] His accedit Proverbiorum interpres. Judicum, Ruth, Samuelis, et Regum libri uni tribuuntur. Jeremias inter vates meliorem interpretem nactus dicitur, Amos, et Ezechiel, proxime laudandum. Male autem cessit Isaiæ et Psalmistæ. Danielis versio a Theodotione mutuata locum Septuaginta obtinuit, "recto judicio" Ecclesiarum, juxta Hieronymum.[5] Ecclesiastes ad verbum versus est: Job haud fideliter redditus. Hæc ex Jahn desumpsimus,[6] cujus tamen criticam aliquando temeritate haud vacare adnotandum duximus.

(1) Vide Josephum l. XII. Antiq. c. ii.
(2) Hier. Præf. in Pentateuch.
(3) Jahn, Einleitung altes Bundes, § xxxiv.
(4) Præf. ad quæst. in Gen.
(5) Præf. in Danielem.
(6) Einleitung altes Bundes § xxxvi.

Quod ad auctoritatem Septuaginta Versionis maxime facit, eam ab Apostolis Ecclesiis traditam constat, nec enim alius fere codex per priora tria sæcula in usu erat, eamque Apostoli, citando testimonia veteris Testamenti, secuti sunt, uti iis collatis videre est.[1] Nil igitur mirum Patres vetustissimos de ea summa cum veneratione locutos, adeo ut Hieronymus, plerumque ei iniquior, nonnumquam communi sententiæ cedens, interpretes illos "Spiritu Sancto plenos" prædicaret.[2] Plurima passa est hæc versio Scriptorum culpa, attamen magni facienda est, et Criticorum judicio in plurimis textu hodierno Hebraico accuratior est.[3]

Origenes Septuaginta versionem una cum textu Hebraico, litteris utriusque linguæ expresso, et versionibus Græcis Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis, sex columnis exhibuit, quibus duas alias versiones, nullo nomine insignitas, deinceps adjecit, Hexapla, et Octopla opus vocans, 50 voluminibus constans. Tres Recensiones invaluerunt, sæculo quarto, et deinceps: "Alexandria et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudant auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos, Eusebius et Pamphilius vulgaverunt, totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat."[4]

Plurimum inservit Septuaginta Versio ad Novum Testamentum intelligendum, ea enim Græce scribendi ratio est adhibita a scriptoribus sacris quæ a vetustis interpretibus, a Græcorum plerorumque scriptorum longe distans: Hebraica quippe idiomata et phrases Græcis vocabulis enuntiarunt.

Aquila, quem Judæum fuisse ex Irenæo colligitur, inter annum 90 et 130 a Christo nato, Scripturas Græce reddidit obscurius quandoque, quia pressius, quin propter odium Christi aliquid mutaverit, judice Hieronymo,[5] quamvis forsan non totam vim verborum ubique agnoverit.

Theodotion, Ephesius, "incredulus fuit, licet eum quidam dicant Ebionitam, qui altero genere Judæus erat,"[6] medio sæculo secundo scripturas veteres Græce reddidit. De eo scribit Hieronymus: "simplicitate sermonis a 70 interpretibus non discordat."[7]

Symmachus, Ebionita sub finem secundi sæculi scripsisse censetur. "Non verbum e verbo, ut Aquila, sed sensum ex sensu transtulit."

Pleræque hæ versiones præter Septuaginta sensim sine sensu neglectæ pene perierunt; sed doctorum hominum industria effectum est ut magna

(1) Jahn, Einleitung § xxxvii. Horne vol. II. p. 1. ch. v. sect. i. § 2. p. 170.

(2) Præf. II. Par.

(3) "Many of the readings which it points out, are still found in the oldest and best MSS." Gerard 243.

(4) Hieronym. Præf. I Par.

(5) Ep. 24 ad Marcellam.

(6) Hieronym. Præf. in Daniel.

(7) Præf. in Ps.

ex parte reviviscerent, fragmentis undequaque conquisitis, inter patrum opera, et Hexaplorum codices antiquissimos.[1]

Samaritana versio, scilicet lingua quæ ex Hebraica et Syra conflata est, ante octavum sæculum facta noscitur, quum inde valuerit Arabica; nec tamen quo tempore vel auctore constat. In re critica non magni est pretii.

Thargum תַּרְגּוּם paraphrasis Chaldaica audit. Celeberrima est ea quæ ab Onkelo filio Calonymi in Pentateuchum habetur; sæculo secundo scripta censetur a Jahn. *Thargum Jonathan filii Ozielis*, quod audit, a diversis auctoribus sæculi secundi et tertii prodiit, judicante eodem Scriptore. Cætera Thargum non admodum valent.

Syra versio פְּשִׁיטָא *simplex* dicta, ut a paraphrasibus distingueretur, antiqua est, quum ea, tamquam ubique apud Syros excepta, usus sit S. Ephrem, sæculo quarto ad finem vergente. Ex Hebraico textu facta habetur a pluribus, temporis quodam intervallo, forsan a Judæis, a Christianis ad exemplum Septuaginta emendata.[2] Rei criticæ utillima judicatur, quum repræsentet codicem primi forsan sæculi. Dantur Syriacæ versiones ex Septuaginta factæ, quarum una *Hexaplorum* notas exhibet, quæ ad septimum sæculum a nonnemine refertur. *Philoxeniana*, Philoxeno episcopo Hierapolitano jubente, facta est sæculo sexto ineunte; et *Figurata*, seu Paraphrastica אֶלְצָר sæculo tertio aut quarto conjicitur facta. Ex his nullus rei criticæ fructus videtur.

Arabica versio vel paraphrasis Pentateuchi et Isaiæ habetur, auctore, uti plerumque existimatur, R. Saadia Phijumensi, qui Judaicæ scholæ Babylone præerat ante medium sæculum decimum. Alia habetur, Africano Judæo sæculi decimi tertii auctore, qui textui Hebraico inhæsit. Habetur etiam Pentateuchi, Psalmorum, et Danielis, versio Arabica, decimo septimo sæculo facta. Aliæ ex Syriaca versione recensentur, ex quibus versio Jobi libri in polyglottis Parisiensibus et Londinensibus.

Persica quæ in Londinensibus Polyglottis datur, versio, idiomate recentiori est facta.

Coptica lingua, in inferiori Ægypto usurpata, versiones habuit saltem quorumdam librorum Scripturæ, ante Saracenorum irruptionem. Pentateuchus et Psalterium juxta Alexandrinam versionem edita sunt; et caput Danielis lingua Memphitica seu Sahidica in superiori Ægypto usitata.

Æthiopica versio habetur in Musæo Britannico, et aliquæ partes typo impressæ sunt Romæ, et alibi. Juxta Septuaginta exemplar versio facta est.

Armena versio ex Græca est facta sæculo quinto ineunte sæculo; decimo septimo typis impressa, ad Latina exemplaria magis accessit.

Sclavonica versio ex Græca sæculo nono facta est, Cyrillo Thessalonicensi et Methodio gentem Sclavonum ad fidem perducentibus.

(1) Vide apud Jahn, Einleitung, § 39 et seq.

(2) Hug, Einleitung Neues Test. 8, hauptstuck n. 66.

C. IX. DE VERSIONE LATINA VULGATA.

"Qui Scripturam ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari possunt, Latini vero nullo modo; ut enim cuiquam primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari." Ita Augustinus.[1] "In ipsis autem interpretationibus Itala cæteris præfetur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ."[2] Anno 383 Psalterii juxta septuaginta interpretes emendationem cursim fecit Hieronymus, qui deinceps ex Hebraico textu integram totius fere Scripturæ aggressus est versionem. Habuit tamen rationem receptæ versionis, ad quam, quoad licuit, accessit. Baruch, Ecclesiasticus, Machabæorum libri ab ipso redditi non sunt: qui idcirco ex Veteri Vulgata, quæ et Itala dicebatur, desumpti sunt. In ipsam Hieronymianam versionem plura ex ea irrepserunt. Utraque translatione sedes Apostolica utebatur Gregorii M. temporibus,[3] sed Hieronymiana deinceps invaluit. Ad tempora usque Concilii Tridentini permansit usu Ecclesiæ comprobata ejus auctoritas, quam contra Novatores, omnia moventes, statuerunt Patres, hanc ipsam consuetudinem appellantes: "pro authentica habeatur, et nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat."

Quanta autem sapientia illud statutum sit unusquisque videt; quum enim graves exardescerent controversiæ, si novam cudendam esse versionem jussissent Patres, non omni partium studio immunes videri possent; sed sancita illa quæ per tot sæcula sua præstantia obtinuerat, nulli hujusmodi suspicioni dederunt locum: e contra fiduciam suæ causæ, certamque persuasionem dogmata quæ profitebantur antiqua esse, et illi quæ agnita est vetustis temporibus scripturarum versioni conformia ostenderunt. Eos igitur hac ex parte vindicat ipse Georgius Campbell, iis cæteroquin iniquior.[4]

Decretum hoc verbis admodum cautis conditum est, adeo ut Vulgata ex omnibus Latinis editionibus sacrorum liborum *authentica* declararetur, de textu primario nihil dicto. Authentia in lege usurpatur de documento quod facit in tribunali fidem; quapropter non licet in judiciis vel concertationibus de fide Vulgatam rejicere, quum sensum fidei consonum ubique exhibeat.[5] Id autem decernere opus fuit ne libri sacri per tot sæcula in

(1) l. ii. de doct. Christ. c. ii.

(2) Ib. c. xiv.

(3) Præf. in Mor. Job.

(4) "If instead of this measure, that Council had ordered a translation to be made by men nominated by them, in opposition to those published by the Protestants, the case would have been very different." Campbell Diss. x. p. 355. *translation of four gospels.*

(5) Vide Bellarminum l. II. c. xi. De Verbo Dei.

Ecclesia lecti statim e manibus eriperentur, Novatoribus interpretationem fidelem esse negantibus. Mendas autem nullas Vulgata versione contineri non affirmarunt Patres, neque enim authentia eas prorsus excludit; sed editionem emendatissime fieri jusserunt. Prodiit an. 1590, Sixto V. curante; sed quum errores plures, leves licet plerumque, statim detecti fuissent, fuit revocata ipso anno, Gregorio xiv. ad Sedem evecto. Anno 1592 Clementina editio, Clementis viii. sanctione munita, lucem aspexit. Plurimum triumphum egerunt Scriptores Protestantici de mendis in Sixtina detectis, et Bullæ forma consueta abusi sunt, ut decretum veluti de fide conficerent. Cæterum norunt periti verba illa tantum ferre, ut editio authentica haberetur, nullo privati cujuscumque ausu temeranda, vel rejicienda, quin ab omni leviori menda immunis prædicetur. Ex ipsa rei de qua agitur natura verborum vis pendet, ideoque in edenda Scripturarum versione frustra quæritur fidei definitio.

Re quidem vera non desunt docti homines, fidei studio insignes, qui censent mendas leviores etiam in editione Clementina reperiri, quas tamen tollere publicæ est auctoritatis, ne singulis illis tributa facultate, desideraretur codex authenticus, quem omnes in fidei judiciis appellare possent. Id autem pro explorato habendum est, substantiam sacri textus fideliter et optime exhiberi, quod et fassi sunt insignes scriptores Protestantici. Hugo Grotius testatur se "vulgatum interpretem semper plurimi fecisse, non modo quod nulla dogmata insalubria continet, sed etiam quod multum habet in se eruditionis."[1] Michaelis judicio, "præiverat Vulgata Versionum una omnium præstantissima."[2] Augustus Dathe, Hebraicarum litterarum in Lipsiensi academia professor, dicit: versionem vulgatam inter eas, quæ ex antiquitate supersunt, haud infimum locum occupare.[3] Joannes Augustus Starckius æquitatem Tridentini decreti probat, utpote ad unitatem Ecclesiæ valde salutarem, ne versionum varietate confundantur imbecilliorum animi.[4] Critici etiam Angli in eum convenerunt consensum, Joanne Bois præeunte.[5]

(1) Præf. Annot. in V. Test.

(2) In suppl. Lex. Heb. p. 3. p. 992.

(3) De difficultate rei criticæ in V. T. caute dijudicanda 4, Lips. 1762. § 9. p. 25.

(4) Davidis aliorumque Poet. Heb. carm. l. v. vol. i. p. 279, et 308.

(5) "The Vulgate, in its present state, being a mixture of the old Italic version, and that of Jerome, points out the state of the original text, partly in the first, and partly in the fourth century; and it gives great authority to those readings which it clearly indicates; and contains several which are preferable to the present readings, and supported by some of the best and oldest MSS. * * It is, in general, skilful and faithful, and often gives the sense of Scripture better than more modern versions." Gerard, Institutes of Biblical Criticism, § iv. n. 269. 270.

"It is allowed to be in general a faithful translation, and sometimes exhibits the sense of Scripture with greater accuracy than the more modern versions. * * The Latin Vulgate preserves many true readings, where the modern Hebrew copies are corrupted." Horne Introd. vol ii. p. 1. ch. v. § i. p. 281, 202.

"It ought to weigh with us, that even the latest part of this translation was made

Querebantur olim Protestantes Vulgatam Hebraico textui non semper respondere: constat quidem in Psalterio eam ad Græcam Septuaginta versionem magis accedere: sed quum hæc versio tribus fere sæculis ante Christum natum sit facta, et a Christo et Apostolis adhibita, nulla eo ex capite potest nobis moveri difficultas. Profectò nullus qui extat codex Hebraicus tantam antiquitatem præsefert, et fieri potest ut Septuaginta versio antiquam et veram lectionem exhibeat nonnullis in locis in quibus menda deinceps in textum irrepsit: idcirco versiones antiquas inservire posse textui restituendo agnoscunt Critici. Profecto in celebri illo Psalmi loco quem jam notavimus: "foderunt manus meas et pedes meos:"[1] Septuaginta et Vulgata veram lectionem exhibent; כארי pro כרו in textum inducto. Sic: "in omnem terram exivit sonus eorum"[2] ὁ φθόγγος αὐτων, Paulo ipso Septuaginta concordante,[3] quum jam casu quodam קום linea eorum pro קלם scriptum sit. Jam autem criticorum laboribus res est explorata Vulgatæ et Septuaginta lectionem sæpius esse præferendam.

Exprobrant nobis aliqui inter Protestantes Vulgatam Versionem fideliter textum non exhibere Gen. iii. 15. "Ipsa conteret caput tuum:" quum masculinum pronomen et verbi forma masculina in textu occurrat. Cæterum id imprimis animadvertendum hanc aliasve varietates non fuisse recentius inductas, sed ab antiquissimis derivatas codicibus, adeo ut si menda constaret, fraudis omnis suspicio absit. Profecto Ambrosius ita legit: "ipsa tibi servabit caput."[4] Reperitur etiam pronomen fæmininum in codicibus duobus inter eos quos recensuit Kennicot:[5] varietas autem facile contigit, ea enim antiquitatis nota in Genesi occurrit, quod "הוא de maribus æque ac fæminis" usurpatur, uti animadvertit Rosenmuller[6] et pronomen fæmininum sæpius scribi consuevit iisdem litteris, nullo discri-

about fourteen hundred years ago. * * * There are two things in this circumstance, which ought to recommend the work in question to the attentive examination of the critic. First, that having been made from manuscripts older than most, perhaps than any now extant, it serves in some degree to supply the place of those manuscripts, and furnish us with the probable means of discovering what the readings were which Jerome found in the copies which he so carefully collated. Another occasion is, that being finished long before those controversies arose which are the foundation of most of the sects now subsisting, we may rest assured, that in regard to these, there will be no bias from party zeal to either side of the question." The four Gospels translated by George Campbell, D. D. Dissert. x. p. 354. American edit.

"The Vulgate may reasonably be pronounced, upon the whole, a good and faithful version." Ibid. p. 358.

(1) Ps. xxi. 18.

(2) Ps. xviii. 5.

(3) Rom. x. 18.

(4) l. de fuga Sæculi, c. vii.

(5) Vide 227, 329 Kenn.

(6) Prol. in Pentateuch, p. 13. ed. Lipsiæ 1828.

mine ante punctorum inventionem.[1] Sæpius etiam verbum masculinæ formæ cum nominibus fœminini generis conjungitur.[2] Quamvis autem concionatores nonnumquam ea verba accommodent Mariæ, serpentem, filio suo edito, conculcanti, non ex vocula lectioneve ambigua pendet celsa ejus dignitas et prærogativa.

Alius aliquando objicitur locus quo particula causalis pro conjunctione ponitur, sensum quodammodo afficiens: "At vero Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum, erat *enim* Sacerdos Dei Altissimi." Gen. xiv. 18. Cæterum ille conjunctionis usus ad causam significandam est Hebræis familiaris; "En morieris propter mulierem quam tulisti, habet *enim* virum."[3] "Experimento didici, *quia* benedixerit mihi Deus propter te[4]" כי scilicet iis locis reperitur. Sicut igitur eadem vis objecto loco veteri interpreti inesse visa est, culpandi non sumus qui ejus versionem retinemus.

Ecclesiastis, c. ix. 1. textus habet:

גם אהבה גם שנאה אין יודע האדם הכל לפניהם quod in Vulgata redditur: "nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta:" quum ad litteram sit: "sive amorem sive odium nesciens homo, omne coram eis." Liquet autem veterem interpretem sensum fideliter feliciterque expressisse; nec est cur obscuriorem recentiorum versionem præferamus.

Psalmus lxvii., apud Hebræos lxviii., a Vulgato Interprete ambagibus inexplicabilibus involutus dicitur: sed et textus Hebraicus magnas patitur difficultates, quæ vix nisi conjiciendo expediuntur. Religioni autem duxit Ecclesia aliquid immutare vel adjicere, etiam claritatis causa, et ideo quædam obscura reliquit, diligentiori studio elucidanda.

Ex Novo Testamento id præcipue objicitur: "Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit: et adoravit fastigium virgæ ejus:"[5] sed præpositionem casu omissam censet Campbell, ita ut legendum sit "ad fastigium," juxta textum Græcum: ἐπι το ακρον της ραβδε αυτε. Nobis recepta lectio arridet, utpote indoli linguæ Latinæ conformior, et eundem præseferens sensum: nec enim verba Græca significant eum virga sua innixum, secus esset ἐπι τε ακρε της ραβδε ἑαυτε; sed ad virgam se venerabundum convertisse, sicut Esther narratur tetigisse vel osculata fuisse summitatem virgæ Assueri, in obsequii signum.[6] Videtur Jacob ea occasione adimplesse quod Josepho in somnio ostensum fuerat de se a Patre colendo, præstitit illi scilicet obsequium, tamquam principi, simul fide contemplans

(1) v. 12. הוא נתנה-לי ipsa dedit mihi.
(2) Ruth i. 8. Esther i. 20.
(3) Gen. xx. 3.
(4) Gen. xxx. 27.
(5) Heb. xi. 22.
(6) Esther v. 2.

sceptrum Christi, cujus Josephus typus erat insignis. Meritò idcirco Apostolus eximium fidei exemplum in re quæ per se levis videbatur miratus est.

C. X. DE VERSIONIBUS VERNACULIS.

Fide per orbem propagata Scripturæ in varias linguas versæ sunt, occasione opportuna oblata: quamvis enim absque Scripturis gentes ad fidem perductæ plerumque sint, iis tamen nutriebatur pietas. Hinc, referente Hornio, anno 706 Adhelmus, primus episcopus Sarisburiensis, Psalterium Saxonice reddidit, eoque hortante, Egbertus, episcopus Lindisfarnensis, quatuor Evangelia eodem idiomate exhibuit. Beda ante annum 735, quo e vivis discessit, integra Biblia in idem vertit. Alfredus rex Psalterii versionem aggressus est, et inchoatum reliquit an. 900; Elfricus Archiepiscopus Cantuariensis an. 995, Pentateuchum, Josuen, Job, Judices, Ruth, partem librorum Regum, Esther et Machabæos reddidit. Post Normannorum irruptionem, sæculo undecimo, lingua Anglica, ex admixtione Normannicæ et Saxonicæ linguarum orta est, cujus initium sæculo duodecimo medio ponitur. Ante an. 1290 versio Anglica Scripturarum jam facta noscitur: aliam confecit sæculo sequenti Joannes de Trevisa. Post schisma Anglicanum Novum Testamentum an. 1582 Anglice prodiit Rhemis, curis Gulielmi Allen aliorumque; totaque Biblia Duaci an. 1609, 1610. Ea curis episcopi Challoner an. 1750, pluribus ad recentiorem stylum redactis, iterum edita sunt, quibus adhuc utimur: sed typographorum arbitrio plurimæ inductæ sunt varietates in plerisque recentioribus editionibus.

In plerisque gentibus Catholicis ante Lutheri turbas Biblia lingua vernacula edita sunt. Jacobus a Voragine, ex ordine S. Dominici Archiepiscopus Genuensis, qui an. 1290 floruit, "utriusque instrumenti volumina divina, primus omnium in Italicam linguam, summa fide ac diligentia transfudit."[1] Nicolai Malermi, Camaldulensis, anno 1471, Venetiis et Romæ Italica versio prodiit, quæ ante annum 1525 terdecem vicibus lucem aspexit.

Germanica versio an. 1466 typis prodiit, quæ sexdecim vicibus edita est ante Lutheranam versionem anno 1534.

Bohemica versio extitit tempore Huss, itaque est Pragæ an. 1488, Cutnæ an. 1498, Venetiis an. 1506, et 1511.[2]

Illam difficultatem vernaculis versionibus adhærere, quod linguæ sæpius

(1) Sextus Sen. Bibl. S. t. I. p. 397.

(2) Vide articulum Versions of the Scripture in Dublin Review, Vol. I. July, 1836.

mutentur, quisque adimadvertat oportet, adeo ut progrediente tempore phrases ridiculæ fiant, vel haud amplius intelligantur, uti fuse ostendit Alexander Campbell in præfatione novæ versioni Novi Testamenti:[1] inde enim fit ut mutentur, haud absque quadam populi offensione. Gravius autem incommodum, non sine divini verbi injuria, contingit, quoties quisque suo veluti arbitrio novas cudere versiones vélit, haud attenta præsulum Ecclesiæ auctoritate, et ita ipsa divina eloquia incerta reddere. Manifesta vero impietas est, si quis suæ studens sententiæ vel sectæ, textum reddere aggrediatur ea ratione qua possit facilius ad placita hujusmodi tuenda deflecti. Vix autem contingere posse fatetur Campbell, ut quis a studiis partium inveniatur liber, quod si unus alterve egregius vir intra sæculi spatium oriatur omnibus numeris absolutus, poterit opus aggredi, quod inter multas versiones sua veluti præstantia sese commendabit, tandem aliquando obtenturum! Constat Lutherum, Bezam, pluresque alios inter Reformatores consultò sacrum textum ad sua placita traduxisse interpretatione perversa: quod Bezæ præsertim exprobrat Georgius Campbell. Interpretes Anglicanos, quorum opera usus est Jacobus rex, studiis partium actos verba haud accurate reddidisse etiam queritur: quapropter mirum nemini esse debet Catholicos versionem illam rejicere et reprobare. Quædam autem dare juvat specimina:

Πρεσβυτέρος ubique redditur *Elder*, contra optimam interpretandi regulam, munerum enim nomina negligi non debent, ut vocis etymologia attendatur.[2] Sic etiam Επισκοπος *Overseer* plerumque redditur, quamvis muneris sit vocabulum, ad plerasque linguas translatum. Latini quidem *Presbyterum*, *Episcopum*, Itali *Prete*, *Vescovo*, Galli *Prêtre*, *Evêque*, Germani *Priester*, *Bishof*, Hispani *Presbitero*, *Obispo*, Angli *Priest*, *Bishop*, inde sumpserunt.

Mat. xix. 2. Ου παντες χωρουσι τον λογον τουτον. Male redditur: "All men cannot receive this saying," ut insinuetur continentiam esse quibusdam impossibilem.

I Cor. vii. 9. εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν. Perperam etiam eundem ob finem: "but if they cannot contain, let them marry."

(1) "A living language is continually changing. Like the fashions and customs in apparel, words and phrases at one time current and fashionable, in the lapse of time become awkward and obsolete. * * * This constant mutation in a living language will probably render new translations, or corrections of old translations, necessary every two or three hundred years." General Preface to New Testament, translated by George Campbell, James Macknight, and Philip Doddridge, Doctors of the Church of Scotland. Præfatio videtur ab Alexandro Campbell scripta, qui in Virginia et per fœderatas provincias fama notus est. Consule tamen Diss. XI. Georgii Campbell, part II. p. 123 et seq.

(2) Qui voces *President*, *Governor*, *Mayor*, in alias linguas verteret, muniis cuilibet adsignatis haud distinctis, non veram earum notionem daret, licet vocum ipsarum vim forsan exhiberet.

I Cor. ix. 5. Μη ουκ εχομεν εξουσιαν αδελφην γυναικα περιαγειν. Male redditur: "have we not power to lead about a sister, a wife?" quum significet mulierem sororem. Profecto si Apostolus de uxore circumducenda loqueretur, eam sororis nomine appellare non erat opus. Adeo curæ erat Novatoribus Apostolis dare uxores ut Bezam[1] non puduerit eum locum Act. i. 14. συν γυναιξι, reddere "cum uxoribus eorum."

1 Cor. xi. 27. ωστε ος αν εσθιη τον αρτον η πινη το ποτηριον. Male vertunt *and* drink.

Εκκλησια aliquando reddita est *Congregation*, deinceps *Church*, iterum proponitur a Campbell *congregation;* et sic variatur, cum doctrinæ varietate et incertitudine: quum oportuisset retinere vocabula ab ipsis primordiis Religionis Christianæ derivata, et Christianarum gentium usu sacrata. *Ecclesia* apud Latinos, *Chiesa* apud Italos, *Eglise* apud Gallos, *Iglesia* apud Hispanos, *Eagluis* apud Hibernos. Germani autem, Scoti, Anglique alia forma ejusdem vocis usi sunt, quæ ad domum in qua conveniebant fideles, et ad cætum et tribunal sacrum designandum, usurpabatur το κυριακον *Dominicum templum*, *kirche*, *kirk*, *church*, levi quadam variatione vocatur.

Alia corruptionis exempla ex Beza desumpta, quæ imitati sunt Anglicani, dat Georgius Campbell. Matt. v. 21. 27. 23: ηκουσατε οτι ερρεθη τοις αρχαιοις: "You have heard that it was said by them of old time." Hoc ita omnium versionum et codicum auctoritatem, et ipsam linguarum indolem ita redditum, ne traditioni faveretur agnoscit criticus.[2]

Heb. x. 33: Ο δε δικαιος εκ πιστεως ζησεται· και εαν υποστειληται ουκ ευδοκει η ψυχη μου εν αυτω. "Now, the just shall live by faith: but if *any man* draw back, my soul shall have no pleasure in him." Hæ voces Italicis quidem litteris, veluti explicationis necessariæ causa, Anglicæ versioni insertæ, sensum plane pervertunt, quum Apostoli verba de *justo* ad *quemlibet* transferant, ne error de justitia inamissibili everteretur. Merito igitur de ea proferri potest censura quam ipse Pearson in Bezam hac occasione protulit: "Illa verba a Theodoro Beza haud bona fide sunt translata."[3]

(1) "We know that Peter had once a wife, as we learn from the Gospel that his wife's mother was cured by Jesus of a fever, Matt. viii. 14. 15. But whether she was living at the time referred to in the Acts, or whether any more of the Apostles were married, or whether their wives were disciples, we know not. Now this falsification, though in a little matter, is strongly characteristic of that interpreter." George Campbell, Diss. x. part iv. p. 378. Adeo quidem levis momenti videtur Apostolis uxores adsignare *suo mendacio*, ut verbo Hieronymiano semel de corruptore sacri textus utar.

(2) In contradiction to all the versions which had preceded, oriental and occidental, and in opposition to the uniform idiom of the sacred writers." Diss. x. p. 376.

(3) "Præf. Paræneticа," laudata a Campbell, Diss. x. "This is one of the many passages in which this interpreter has judged that the sacred penmen, having expressed themselves incautiously, and given a handle to the patrons of erroneous tenets, stood in need of him more as a corrector than as a translator." Ib. p. 348.

De lectione Scripturæ id tenendum est, Ecclesiam eam numquam vetuisse,[1] sed Patres e contra summopere commendasse, adeo ut Chrysostomus persæpe fideles hortetur, ut spectaculis neglectis, sacrorum librorum lectioni dent operam;[2] et S. Hieronymus matronæ piæ studium illud vehementius commendet. Sacerdotibus id muneris est præcipui, quod ne negligerent, sapienter instituit Ecclesia ut inter preces quotidianas, et in sacrificio celebrando, lectiones ex Scriptura desumptas recitarent. Vitiatas quidem versiones a fidelium manibus procul esse jubet, nec enim convenit eas tamquam Dei verbum venditari, quod justissime et sanctissime sancitum agnoscet qui corruptiones perpenderit. Post turbas Lutheri, indoctis et instabilibus scripturas in sui perniciem detorquentibus, a Sacra Congregatione quæ Indicis vocatur, vetitum est, ne quis versiones vernaculas legeret, absque Ecclesiastici Superioris venia, quæ Parochi testimonio de pietate et aliis animi dotibus, prævio, dabatur: sed ea disciplina non ubique obtinuit; jamque satis habetur ut Versio sit probata, et Patrum et Catholicorum aliorum scriptorum commentationibus illustrata. Cæterum nemo ignorat ex Scripturis temere lectis plurima sequi mala, ad quæ præcavenda fides præcedere debet, prout ex Pauli ad Timotheum verbis colligitur, humilis animi sensus numquam abesse, et affectus ad Deum dirigi ut mirabilia de lege sua revelare dignetur, nosque sanctorum scientiam doceat. Jure igitur optimo Patres monuerunt fideles qua ratione scripturas inoffenso, uti dicitur, pede, percurrere possent. Tertullianus: "Fides tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum: fides in regula posita est: habes legem et salutem de observatione legis. Exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei."[3] Origenes: "Sunt plurima in Scripturis, quæ apertius et simplicius dicta sunt, quam ut parvi sensus ædificent auditorem."[4] S. Basilius: "Crebram lectitationem novi præsertim Testamenti ne levi ex causa transmiseris, quod ex veteris lectione identidem nec pauci noxam contraxerunt; non quia Scripturæ illæ ulla ex parte noxiæ sunt, quando id contigit per infirmam eorum, qui noxam contrahunt, mentem: panis enim suapte natura comparatus est nutriendo corpori, tametsi noxam afferat infirmo."[5] S. Gregorius Nazianzenus: "Legem profecto apud nos constitutam esse oportebat, quæ juberet ut quæmadmodum olim apud sapientes Hebræos a quibusdam sacræ Scripturæ libris juvenes arcebantur, utpote tenerioribus adhuc minimeque firmis animis haud quaquam profuturis."[6] S. Ambrosius de diabolo Scripturas citante disserens, ait: "Disce hic quoque

(1) Tolosanum Concilium an. 1229 Albigensibus ut occurreret qui pessime divinis eloquiis abutebantur, vetuit vulgares versiones: sed decretum illud *locale* fuit, abusui tollendo accommodatum.

(2) Hom. iii. de Lazaro.

(3) l. de præscr. c. xii.

(4) Hom. xxvii. in Num.

(5) Ep. 1 ad Chilon.

(6) Orat. xxvi.

quia Satanas transfigurat se velut Angelum lucis, et de Scripturis ipsis divinis sæpe laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit: sic eviscerat fidem: sic jura pietatis impugnat."[1] S. Augustinus: "Sed et in multis et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur qui temere legunt aliud pro alio sentientes."[2] S. Hieronymus: "Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent anteqnam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor, a fœminis quod viros doceant: et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt."[3]

Furor igitur ille spargendi Biblia tamquam aptissima subsidia ad fidem integram formandam, moresque dirigendos, qui recenti ætate nonnullos invasit, plane insanus est: quis enim sibi persuadebit Christum, non jussurum ut doctrina ejus statim scripto mandaretur, et multiplicatis exemplis per orbem diffunderetur, si revera idonea esset ratio eam propagandi? quis credere potest eum longe maximam ipsorum fidelium multitudinem per quatuordecim sæcula absque hoc subsidio relicturum, ob paucitatem et pretium exemplarium, arte imprimendi adhuc non detecta? Quis existimabit infideles, præjudiciis et erroribus imbutos, ad fidem facile traducendos sola Scripturarum lectione? Profectò nobis penitus persuasum est ipsos Christicolas, qui legunt Scripturas absque prævia instructione et magna animi humilitate, huc illuc, opinando, circumduci, et in turpes errores facile inde labi. Si apparentes contradictiones Scripturarum inter se conciliare eruditissimorum hominum ingenia etiam præstantia summopere exerceat, valebitne rudis plane ac ignarus quisque eas enodare? Si de sensu Scripturarum circa ipsa præcipua Religionis mysteria, Trinitatem v. g. Incarnationem et Redemptionem, innumeræ sint lites, potestne privatus quisque solo suo judicio eum discernere? Insuper quum in Veteri præsertim Testamento variæ sint leges de fluxu seminis, coitu enormi, aliisque, quæ juniores ignorasse oportet, estne culpa immunis qui eas pueris puellisque tradit præpropere legandas? Vacatne periculo legere etiam graphice depicta Thamar et Judæ, filiarum Loth, et Absalonis, Sodomitarum, aliorumque immania scelera, vel etiam Liæ et Rachelis de consortio Jacobi assequendo artes, vel Abrahæ cum ancillis coitum? Canticum Canticorum, Ezechielis et Jeremiæ de meretricibus comparationes, Osee de fornicaria muliere in thorum assumpta narrationem, legent juniores ætate, jam ad libidinem proclives, quin inde detrimentum pudoris patiantur? Cruentas

(1) l. iv in Lucam.
(2) l. ii. de doct. Christ. c. 6.
(3) Ep. 103 ad Paulinum.

strages a famulis Dei sæpius factas, imprecationes sæpissime in sacris litteris effusas, qui legerit incaute, subit periculum aut fidem de librorum inspiratione abjiciendi, aut cæco indulgendi contra adversarios Religionis furori. Quod si hæc mala non semper eveniant e sacrorum librorum lectione, tribuendum instructioni jam acceptæ, juxta quam legentes judicium suum, etsi id ignorent, efficiunt.[1]

C. XI. DE PATRUM AUCTORITATE.

Patres vocari consueverunt antiqui Christiani scriptores qui scriptis suis fidem illustrarunt. Plerumque eo nomine vocantur qui a fidei semita numquam deflexerunt, hæresim animo pertinaci propugnando. Attamen Tertullianus, qui sub finem vitæ ad Montanistarum castra deseruit, et Origenes, in cujus scriptis hæreses inventæ sunt, ob antiquam qua floruerunt ætatem, et eruditionem, qua ornarunt doctrinam Christianam, solent inter Patres recenseri. Eusebius Cæsareensis etiam Arianismi insimulatus, et Theodoretus, Nestorio nimis favens, aliique nonnulli, haud omni labe immunes, Patrum dignantur consortio, summa quippe eruditione effulserunt. Qui intra quinque sæcula a Christo nato vixerunt, nomine illo digni censendi sunt, quamvis et ad alios doctrinæ merito honor deferatur; nam Gregorius M. sub finem sæculi sexti, V. Beda sæculo octavo, Bernardus sæculo duodecimo, patres vocantur, tanto honoris nominisque consortio profecto haud indigni.

Ut intelligatur quid valeat in re Theologica Patrum auctoritas, principia quæ posuimus fidei Catholicæ sunt præ oculis habenda. Quum humani intellectus obsequium Deo tantum debeatur, cujus revelatio per Apostolos est promulgata, semper in Ecclesia servanda, nullus homo, nullus hominum cætus, potest aliquid credendum injungere, suo veluti arbitrio, vel sententia. Cæterum quæ fuerit fides olim tradita ex testimoniis documentisque discitur: ideoque qui in vetustis illis sæculis rem Christianam illustrarunt, jure optimo testes adhibentur, ut quæ suis temporibus obtinuerit fides constet. Igitur hæc prima sit regula qua Patrum auctoritas dignoscatur.

I. *Quotiescumque Patres unanimi consensu testantur aliquid divinitus traditum esse, et ad fidei depositum spectare, illud omni procul dubio dogma fidei habendum est.*

Ratio patet, quia consensus ille tot insignium Scriptorum, quibus publica fides et doctrina innotuit, quique temporum intervallis locorumque inter se

(1) Callaghan, minister Protestanticus in Hibernia, egregie vitium systematis Biblici exposuit.

dissiti erant, est indicium certissimum traditionis divinæ, fidei scilicet in Ecclesia semper celebratæ.[1]

Majorum suorum auctoritatem præclare urget Augustinus: "Quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. * * * Isti Episcopi sunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores * * * * Hos itaque de aliis atque aliis temporibus, atque regionibus, ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac et cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos, etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissime ac fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Ideo profanas voces vestræ novitatis expavit."[2] Patrum consentientem auctoritatem semper secuta est Ecclesia in suis decretis. Nicæno in Concilio "Episcopi" teste Athanasio "non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea a Patribus, testimonia conscripserunt."[3] In Ephesino "hoc Catholicissimum, fidelissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum patrum sententiæ proferrentur, quorum alios Martyres, alios Confessores, omnes vero Catholicos Sacerdotes fuisse, et permansisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter, ex eorum decreto atque consensu, antiqui dogmatis religio confirmaretur, et profanæ novitatis blasphemia condemnaretur." * * * "Ii sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri, consiliarii, testes, judicesque producti, quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque odio, tædio, præsumptione et gratia, de fidei regulis pronuntiavit." Ita refert Vincentius Lirinensis.[4]

Dicunt quidem Protestantes Patrum consensum unanimem nullatenus dari: sed falluntur, nam eorum afferuntur in dogmatibus vindicandis testimonia quæ rem evincunt. Hinc non dubitavit Vincentius prælaudatus eum appellare consensum: "Operam dabit, *(Christianus Catholicus)* ut conlatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum dun-

(1) "Ancient use, like all other ancient facts, can be conveyed to us only by written testimony, * * * I do not say, —, that we ought to confide in the verdict of the fathers as judges, but that we ought to give an impartial hearing, as in many cases, the only competent witnesses. And every body must be sensible, that the direct testimony of a plain man, in a matter which comes within the sphere of his knowledge, is more to be regarded than the subtle conjectures of an able scholar, who does not speak from knowledge, but gives the conclusion he has drawn from his own precarious reasonings, or from those of others." George Campbell, Diss. IV. p. 113.

(2) l. II. contra Julian. Pelag. c. x.

(3) Ep. ad Afros.

(4) Comm. c. penult.

taxat qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione et fide permanentes, magistri probabiles extiterunt, et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum."[1] Cæterum ubicumque discors videatur testimonium, *moralis* unanimitas quærenda est, fieri enim potuit ut unum aut alterum lateret doctrina et traditio Ecclesiæ, de re aliqua speciali, quam plerique ignorare non poterant: sit igitur secunda regula:

II. Quandocumque consensus Patrum unanimis penitus non est, sufficit plerorumque concors et firmum testimonium de doctrina et traditione Ecclesiæ.

Ratio est manifesta, quia agitur de facto noscendo, scilicet quid olim docuerit Ecclesia, quod ex testimoniis discendum est: testibus autem non penitus concordibus, plerorumque standum est dictis, si graves sint, et de re sibi nota testentur; nec paucorum dissensus plurimorum concordiam infirmare valet. Cæterum loquimur, ut patet, de testimonio quod dant Patres rem ad depositum doctrinæ pertinere. Hinc clarissimus Scriptor mox laudatus, cum antiquitatem et consensionem sequi nos oportere docuisset, adjunxit nos sequi "antiquitatem, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur."[2]

III. Unanimis Patrum consensus in interpretanda Scriptura est certissimum genuini ejus sensus indicium; cui proinde numquam licet repugnare.

Regulam hanc intelligendam liquet de dogmatibus quæ Patres tradunt veluti ex Scripturis derivata, eorum enim consensus in hujusmodi interpretatione non nititur singulorum de vocum vi et significatione judicio, sed publica doctrina et fide Ecclesiæ.[3] Quoties autem singuli suas interpretationes opinando tradunt, nec doctrina Ecclesiæ nituntur, numerus non parit certitudinem ante solemne Ecclesiæ ipsius judicium. Quod autem in professione Piana polliceamur nos nonnisi juxta unanimem Patrum consensum scripturas interpretaturos, ita intelligendum est, ut nulla tradatur explicatio quæ ei non conveniat, adeo ut principia illa quæ unanimi consensu tradunt Patres, sint norma ad quam omnis interpretatio sit referenda.

(1) Common. c. iv.

(2) Common. c. iii.

(3) "Many points were with them a subject of testimony, which with modern critics are matter merely of conjecture, or at most of abstruse and critical discussion. It is only from ancient authors that these ancient usages, in other things as well as in language, can be discovered by us, which to them stood on the footing of matters of fact, whereof they could not be ignorant. Language, as has been observed, is founded in use." George Campbell diss iv, p. 112.

Non ideo consensus ille necessarius est, ut aliqua detur interpretatio, salvis illis principiis. Equidem labores interpretum Catholicorum, Calmeti præsertim, illa regula non sunt impediti, sed magna cum libertate plurimas proposuerunt explicationes quas apud neminem ex Patribus reperire erat; nec tamen improbati sunt quicumque rata habuerunt et firma Ecclesiæ dogmata, a Patribus tradita: omnis quippe interpretandi lex eo revocari potest, "ut nihil extra fidei regulam loquamur aut sapiamus."[1] Ita Anselmus, Pauli de prophetia secundum rationem fidei locum exponens. In rebus quæ doctrinam non spectant, Patrum explicationes non certam faciunt fidem, fieri enim poterat ut re non investigata communem quæ obtinuerit sententiam secuti sint: communi autem sententiæ de re ad doctrinam non spectante error subesse potest, quum divinæ promissiones doctrinæ custodiam respiciant.

IV. Quæ nonnulli Patres singulari studio propugnarunt, tamquam dogmata divina, Ecclesia ipsa plaudente, summa fide excipienda sunt ob Ecclesiæ quæ ea probavit auctoritatem. Cæterum non omnia quæ protulerunt argumenta, vel ea quæ explicationis gratia adjecerunt, eandem postulant fidem.

Regula hæc maxime illustratur Augustini exemplo, qui Pelagianam hæresim insigni prorsus studio impugnavit et profligavit, summis Pontificibus et toto Orbe Christiano plaudentibus. Cæterum non omnia quæ ea occasione scripsit inter fidei dogmata recensenda sunt, quapropter sapientissime scripsit Cælestinus Pontifex ad Galliarum episcopos: "Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere."[2]

V. Singulorum Patrum privatæ sententiæ cum reverentia perpendendæ[3] sunt, pro ratione ætatis qua floruerunt, eruditionis, judicii acuminis, aliarumque dotum: sed certam fidem non faciunt, nullamque imponunt assensus necessitatem; imo incunctanter deserendæ sunt in omnibus in quibus eos errasse ex solemni Ecclesiæ judicio, vel sensu, constat.

Regulæ hujus æquissimæ rationes facile se exhibent. Qui Apostolicis temporibus extiterunt proximi, traditionis ab Apostolis derivatæ testimonia facilius nosse poterant aliis qui longiori temporis intervallo separati sunt. Sic Ignatii, Justini, Irenæi magni fit auctoritas. Eruditio etiam judicio dat pondus, quapropter Clementis Alexandrini, Origenis, Theodoreti, Hieronymi sententiis plurimum tribuendum est.[4] Cæterum quæ Justinus ex privata

(1) S. Anselmus comm. in ep. ad Rom. c. xii. 6.

(2) Ep. ad Ep. Gall.

(3) "Even as to what is advanced not on knowledge, but on opinion, I do not think that the moderns are in general entitled to the preference. * * If in this respect there be a difference, it is entirely in favor of the ancients." George Campbell, Diss. iv. p. 113.

(4) "Sin considerar á estos Doctores mas que como sabios y filósofos, seria menester no tener gusto ni discernimiento para no admirar la extension de su doctrina, la pene-

sententia dixit de millennio, quæ Origenes in Scripturarum interpretatione allegorica luxurians protulit, a fidei simplicitate aliena, nobis legem non faciunt. "Neque enim," uti recte animadvertit Augustinus, "quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, vel[1] scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis."[2] Sic et insignis ejus discipulus, S. Thomas Aquinas: "Auctoritatibus autem canonicæ scripturæ utitur *(sacra doctrina)* proprie ex necessitate argumentando: auctoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiæ quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta."[3]

VI. In Patrum scriptis perlegendis temporis adjuncta et occasio præ oculis habenda sunt, nam ante exortas hæreses securius loquebantur, vocum haud accurato instituto discrimine. Quæ ita sunt prolata benignam excipiunt interpretationem. Sic Augustinus verba Chrysostomi quæ Pelagiani objiciebant, veluti peccato originis adversa, explicanda mitius contendit juxta cæterorum Patrum sententiam, locutus quippe est securius Catholice apud Catholicos. Occasio etiam scopusque considerandi sunt, facile enim fit ut impugnando errorem iis utamur vocibus quæ errori adverso videantur favere, præsertim si scriptor impetu quodam ingenii sui, vel zeli feratur. Sic contigit Hieronymo virginitatis præstantiam contra Jovinianum vindicanti, visus est enim nuptias improbare. Sic Augustinus Manichæis humanæ voluntatis arbitrium negantibus respondens, ejus vires cum gratiæ dispendio efferre, quas tamen Pelagianos refellens, penitus negare videre possit. Sic Cyrillus Nestorium impugnans naturarum in Christo distinctionem haud agnoscere arguebatur.

VII. Æquissima ratio est Patrum interpretandi scripta, ut nullus eis imputetur error contra notissimam suo tempore Ecclesiæ doctrinam, si nihil hujusmodi eis objectum editis scriptis constet. Ratio liquet, error enim hujusmodi alios haud latuisset, ideoque adversarios excitasset: notum est enim quam acriter plerumque in errorum auctores insurrexerint antiquæ fidei vindices. Voces igitur quæ errorem insinuare videntur, sunt benigne explicandæ. Sic quæ S. Hieronymus de Presbyterorum et Episcoporum

tracion de su ingenio, la elevacion de sus pensamientos, la fuerza de sus raciociniso, la hermosura y energía de sus expresiones, y hasta la gracia y la delicadeza de sus frases eloqüentes, ingeniosas ó pateticas. No eran ciertamente ni espiritus superticiosos, ni talentos frivolos, ni ingenios limitados á quienes era facil deslumbrarlos ó hacerles creer qualquiera cosa." El Evangelio en triunfo t. ii. c. xiii. p. 69.

(1) Ita Veneta editio. Citatur: *velut*, a P. Thoma de Charmes.

(2) Ep. ad Fortunatianum n. 148, alias 111.

(3) Sum. i. p. q. i. Art. viii. Ad Secundum.

pari gradu tradere videtur, mitiorem postulant intepretationem, nec enim erroris insimulatus aliquando est in Aerio damnati, quo omne inter illos discrimen tollebatur.

VIII. In dubiis difficilibusque Patrum locis, quæ ipsi clarius alias protulerunt adhibenda sunt ut eliciatur sensus, adeo ut perspicua testimonia, et quæ variis verbis sæpius enuntiatæ sint ab auctore sententiæ, in interpretationis normam sumantur. Sic quæ Augustinus de Eucharistia verbis maxime perspicuis sæpius dixit, ad quorumdam ejus testimoniorum difficultatem tollendam inserviunt.

IX. Genuina Patrum Scripta ab operibus suppositiis sedulo sunt secernenda: nec tamen omnis deneganda statim auctoritas libris ψευδεπιγραφοις.

Constat quidem plura opera falso Patribus nonnullis tributa, quod casu potius quam consilio plerumque contigit. Scripserunt nonnumquam alii eodem nomine appellati, quorum opera sequiori sæculo insignibus auctoribus ejusdem nominis sunt tributa. In eodem codice brevius aliquod opusculum cum majori conjunctum est, ne pergamenus tanti prætii vacaret; unde factum ut fœtus haberentur ejusdem scriptoris. Opera nullo nomine notata conjectura alicui adscripta sunt, ob rem de qua agebatur, quam alias propugnaverat, vel ob styli quandam similitudinem. Nonnumquam ad declinandam invidiam opera prodierunt, antiquioris auctoris præsidio petito. Aliquando etiam hæreticorum fraude evenit ut quædam ementito nomine in erroris patrocinium vulgarentur; nec defuerunt inter Catholicos qui zelo haud secundum scientiam supponerent opera scriptoribus magni nominis. Ne autem *scepticismo* involvamur, omnia opera habenda sunt genuina, quæ a viris eruditis communi veluti consensu excipiuntur: constat enim viros omni litterarum laude florentes, et acri pollentes judicio, studiis etiam et sententiis discordes, magnam in eo posuisse operam ut genuina a suppositiis discernerentur, remque felici successu confecisse, nam in ipsis scriptis ætatis et auctoris vestigia impressa sunt, et ex coævis vel supparibus documentis eorum authentia extra omnem dubitationis aleam posita est. Criticorum igitur judicium unanime ratum habendum est, nisi gravior occurrat dubitandi ratio. In dubiis autem exeutiendis, styli, rerum, sententiarum, et scriptorum veterum testimoniorum habenda est ratio, ut dignoscatur utrum liber auctori, cujus præsefert nomen, tempori, rerumque adjunctis conveniat. Cæterum non omnia scripta ψευδεπιγραφα carent auctoritate, sæpius enim alterius auctoris sunt, qui vel ætate est superior, vel suppar, quique eruditione aliisque dotibus ornatus extitit. Ideo suum cuique tribendum est, idque momenti singulis scriptis adsignandum quod tempus auctorque exigunt.

X. Interpolationes a genuina lectione discernendæ sunt, nec tamen rejiciendum opus quod aliquid casu vel fraude amanuensium passum sit.

Dum exscriberentur libri facile contigit ut quædam ex margine in textum irreperent, vel adjicerentur illustrationis causa. Nonnumquam fraude hæretica, aliqua inserta sunt ad patrocinandum errori: nonnumquam aliqua deleta sunt vel immutata, ut ad normam sanæ doctrinæ sententiæ

scriptoris componerentur. Sive igitur falso zelo, sive fraude, sive casu, mendæ vel lacunæ occurrerint, textus integritas, collatis codicibus, et locis dubiis cum certis auctoris sententiis, restituenda est. Cæterum non ideo totum opus temere rejiciendum, præsertim si suppetant codices antiqui optimæ notæ, vel scriptorum antiquorum testimonia, ex quibus vera lectio eruatur.

C. XII. DE AUCTORITATIS METHODO.

Ex his quæ in tribus his tractatibus disputavimus, liquet fidem nostram ea tantum respicere quæ a Deo revelata sunt, revelationem autem nobis innotescere, docente Ecclesia, Deo interius illustrante mentem, et Ecclesiam commendari indiciis celestis originis quibus effulget. Tota igitur fidei ratio pendet ex auctoritate: nec examen necessario præcedit, quamvis argumenta seu *motiva credibilitatis* ejusmodi sint quæ severissimum scrutinium sustinere valeant. "Fides," inquit S. Basilius M., præeat ac ducat sermones de Deo, fides et non demonstratio: fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens. * * *. Et nemo subsannet sermonem, tamquam citra examinationem ad eorum quæ dicimus assensum, auditores inducamus necesse est enim omnis disciplinæ principia discentibus citra contentionem inexpensa et concessa esse * * * sic sane etiam Theologiæ mysterium assensum ex fide citra examinationem requirit."[1] Accurate, uti solet, Angelicus Doctor auctoritatis pondus in re Theologica exponit: "argumentari ex auctoritate est maxime proprium hujus doctrinæ, eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et sic oportet, quod credatur auctoritati eorum quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ. Nam, licet locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate quæ fundatur super revelatione divina, est efficacissimus[2]"

Auctoritas nobis videtur ratio concipiendi fidem, examen enim quod ratio instituit, tempus diuturnum, otium, ingenii vires, et eruditionis copiam postulat, et in incertas desinit sententias. Opus igitur erat ut revelatio auctoritate innotesceret, ut homines a teneris annis, et litterarum rudes, et ingenio parum valentes, sicut et alii dotibus insignes certam veritatum quas fide tenere debent notitiam adipiscerentur. Ipsi auctoritati docenti firmus et plenus datur assensus, non tamen rationis quocumque examine, ut nobis videtur, innixus: nam incertus foret et ordinis naturalis assensus rationis. Nec cæcorum instar sequimur ducentem, nec rationi valedicimus: sed divinitus illustrati percipimus divinæ originis quibus effulget illa auctoritas indicia, quæ examen severissimum patiuntur, et omnimodam certitudinem parere nata sunt. Examen revera plerumque

(1) Concio in Ps. cxv.

(2) Summ. i. p. qu. i. art. viii. Ad secundum.

præcedit fidem, in adultis ab hæresi vel infidelitate conversis, Deo sua gratia sæpius disponente ut præjudicia singula rerum evidentiæ cedant, antequam lumen fidei ipse infundat, quo mens jam non inquirit, nec dubitat, sed fide in veritate agnita quiescit. Inserviunt argumenta et documenta ad vindicandam fidem, eamque aliis commendandam, sicut etiam ad ostendendum fidei assensum non esse meram mentis illusionem, sed certissimis rerum documentis fulciri.

Ex quo vir sermonis elegantia insignis *De La Mennais* auctoritatis methodum suscepit illustrandam, magnam sub initium bonorum omnium excitavit admirationem, plurimornm deinceps conflavit sibi invidiam, nimium progressus, et Systemate Philosophico Religionis vindicias impediens. Quo eum perduxerit singularitatis studium norunt omnes, nec volumus ejus exaggerare errrores, dum spes manet eum ad semitam ipsam divinitus constitutæ auctoritatis, quam olim aliis monstravit, rediturum. Sed ne nostra cum ipsius confundatur sententia, animadvertendum duximus de re Philosophica non agi, nec de iis quæ ad ordinem naturæ pertinent, in quibus veritatem pluribus rationibus constare fatemur. De his nihil soliciti Religionis causam agimus, et fidem contendimus derivari ex Dei in anima speciali lumine, fidei notitiam ex Ecclesiæ prædicatione, et auctoritate. Duorum systematum liceat exhibere discrimen, auctoritatis scilicet et examinis.

Puer statim ac fit rationis compos potest auctoritatis via fidei veritatum assequi aliqualem notitiam, easque certò tenere, parentes scilicet, et pastores eum docent quædam tamquam ab Ecclesia Dei semper et ubique tradita. Adhuc non valet vel rerum quæ traduntur, vel argumentorum quibus probantur, instituere qualecumque examen; nec potest ipse nosse, indagine aliqua, Ecclesiam revera semper et ubique ita docere: sed pendet necessario ex patris, pastoris, et aliorum testimonio. Cæterum quum primum gratia aspirante certo apprehenderit Deum per Ecclesiam ita docere, habet omnia quæ ad fidem sunt necessaria. Proponitur credenda res revelata, et auctoritas, non singulorum docentium, sed totius Ecclesiæ Dei allegatur, quæ revera ita docet. Exterius habetur propositio revelationis ea ratione quæ ætati teneræ est accommodata: interius adest gratia. Omnia igitur ad fidem necessaria habentur.

Examinis principium, præsertim quatenus a Protestantibus statuitur, fidei omnino officit: nam nihil credendum est nisi post examen; puer autem non potest examen instituere, nec judicium ex Scripturarum lectione efficere, quod studium postulat assiduum, diligentemque testimoniorum collationem. Igitur hærere debet puer, et fidem ad maturiorem ætatem deferre.[1] Si enim patri vel pastori credat Scripturas divinas esse, et quasdam continere veritates asserenti, jam auctoritate nititur, et plane

(1) Fassus est Claudius puerum Protestanticum fidei actum elicere non posse, ignarum autem, non incredulum eum habendum esse contendit. Vide Conférence de Bossuet avec Claude.

umana: neuter enim, juxta principium Protestanticum, potest id affirmare, nisi quatenus id sibi post examen visum fuerit.

Idem dicendum de omnibus qui legere nesciunt, quorum plurimis, mancipiis scilicet in nonnullis *Statibus* litterarum tradere rudimenta, legendique disciplinam, lege prohibetur. Hi enim nequeunt credere vi examinis, sed pendere debent ex ore docentis, qui si loquatur ex sua tantum sententia, nullum præbet fundamentum certi assensus, Scripturam enim, quam forsan alleget, sensum quem tribuit ferre auditores certò nosse nequeunt.

E contra litterarum rudes auctoritatis methodo certo et facile instruuntur: nam audiunt præconem ex nomine Ecclesiæ loquentem, et ea tradentem quæ et ipsi ex aliorum testimonio alias tradi et servari norunt, quæque cultu celebrari vident. Est igitur illis propositio veritatis sufficiens, auctoritate idonea commendata, et eorum indoli et conditioni accommodata.

Ipsi doctissimi homines, ingenio valentes, non possunt fidem concipere examinis via: quæcumque enim illis videantur Scripturarum inspirationis indicia, quæcumque dogmatum singulorum documenta, debent hærere dubii, ob discordes aliorum virorum doctissimorum, qui diligens instituerunt examen, sententias. Opinatio potius quam fides ex examine quocumque oriatur, necesse est, nisi auctoritas tandem agnoscatur.

E contra auctoritas certum monstrat iter viris doctis, qui semel fide illustrati, quo magis pollent eruditione et ingenio, argumenta quibus vindicatur Ecclesia, clarius percipiunt.

Examinis methodus non conveniebat plerisque gentibus Apostolorum temporibus et sæculis inde secutis, præsertim usque ad typographicæ artis inventionem: nam litteræ plerisque haud innotuerunt, vel apud paucos floruerunt. Codices vix haberi poterant, magno cum labore transcribendi, vel magno emendi pretio. Igitur lente admodum progressa fuisset Christi fides, ea adhibita methodo.

Auctoritas etiam necessario requiritur ad Scripturas testandas, quum enim nonnisi in linguis vernaculis plerisque hominibus exhiberi possint, debet certissime constare verbum Dei iis fideliter repræsentari, quod constare nequit plerisque examine; docti enim homines de vocum vi maxime dissentiunt, plerique aliorum versiones textum ad alienum sensum detorquere queruntur,[1] imo testimonia aliqua quæ ad summam fidei spectant esse intrusa.[2] Falso dicitur omnes versiones in substantia conuenire, nam quamvis id de rebus gestis possit aliquatenus affirmari, non ita de vocibus ex quibus dogmata pendent, quæ rei summam constituunt, quando de fide agitur.

Illud etiam gravissimum incommodum ex examinis methodo sequitur, quod omnia fidei dogmata, quæ sæculorum consensione sunt celebrata, doctissimis et piissimis hominibus ea divinitus revelata agnoscentibus, singulis in dies incerta habenda sint, donec ipsi examine instituto Scripturarum

(1) Vide Dissertations x. xi. xii. by George Campbell.
(2) Act. xx. 28, Θεοῦ. I Tim. iii. 16. Θεὸς. I Joan. v. 7.

ea judicaverint satis probata. Hinc Bossuetus in celebri cum Claudio concertatione ostendit aniculam, Protestantico principio, elevari supra doctissimorum Præsulum collegia, et ipsa suprema tribunalia, quorum judicia, post diligens Scripturarum examen prolata, ipsa dubia habebit, vel rejiciet, prout sibi examine instituto visum fuerit![1] Idem dicendum de mancipio litterarum penitus rudi!

Manifestum est auctoritatis principium a Protestantibus adhiberi licet haud consciis, nam tenent Scripturas esse divinas, antequam legerint, et plurimas textuum explicationes apud Sectas celebratas sequuntur: imo singulorum hominum qui ingenio præstant et doctrina, plus valet apud eos auctoritas, quam apud nos: facile enim assentiuntur præconi copia verborum insigni, et sententias sectæ auctoris magni faciunt. Ubi publica deest Ecclesiæ auctoritas, qua omnes pariter in rebus Religionis diriguntur, hominum singulorum in cæteros auctoritas, pro eruditionis, eloquentiæ, vel potentiæ diversitate valeat necesse est. E contra illa admissa nullius vi dotum suarum singularis est auctoritas: sed omnes in qualibet ætate, vitæ conditione, litteris florentes, vel earum rudes, ingenio præstantes vel parum valentes, eadem tenentur regula. Imo ipsi apud quos docendi munus est eandem quam cæteri insistunt semitam, nec valent aliquid in doctrina immutare.

In Ecclesia Catholica ea habetur auctoritas quæ sane summa est: quippe quæ antiquitate sua, constantia, vique invicta sese commendat, adeo ut et pueri et rudes in ea valeant divinæ originis percipere indicia. Objecit quidem Claudius Bossueto auctoritatis principium a qualibet secta adhiberi posse, puerosque eo innixos parentum suorum imbui erroribus: sed fefellit eum partium studium, a Protestantibus enim adhiberi nequit, quum ab iis rejiciatur. Græci quidem illud admittunt, puerque Græcos inter institutus in eo haud fallitur quod credat Catholicam Dei Ecclesiam magistram esse veritatis, sed humano ducitur errore dum parenti vel pastori assentitur docenti sectam suam ipsam esse Ecclesiam. Nec ideo auctoritatis principium, quod Græci nobiscum statuunt, rejiciendum est, quod in eo applicando errent, sæpius enim contingit ut optimum principium perperam adhibeatur. Ipsum quidem in errorem non ducit, quamvis eo utatur forsan quis ut errorem commendet. Sunt autem plurima subsidia quibus error detegatur, præsertim in adulta ætate, et iis quorum animus doctrina excolitur. Cæterum si quis pueros rudesque litterarum plurimos hac ratione in Græcorum Secta retineri contendat, hoc fretos principio, nos non juvat *applicationem*, uti aiunt, principii vitio illis vertere, errorem enim culpa vacare posse jam docuimus, licet ad præjudicia humana necessariò referendus sit.

Tractatui huic finem tandem imponemus, auctoritate qua in fidei negotio dirigamur statuta. Jam vero de rebus ipsis revelatis agendum est, ut quæ Deus de se, suisque in hominum salutem consiliis manifestavit, exponamus, et vindicemus. Det ipse lumen viresque.

(1) Conference de Mons. Bossuet avec Claude.

208.9 8765
K 346 KENRICK, F.P.
AUTHOR
Dogmaticae Theologiae I
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	F. Carroll MAR 21	
	STORAGE - CBPL	

8765